HISTORIA
Nuperæ Rerum *Mutationis*
IN
ANGLIA:

In quâ

Res à *JACOBO* Rege contra Leges Angliæ, & Europæ Libertatem, & ab Ordinibus Angliæ contra Regem patratæ, duobus Libris recenſentur.

Authore E. B. Edmund Burnet.

LONDINI,
Sumptibus *Sam. Buckley*, ad inſigne Delphini in *Fleetſtreet*, 1697.

226. k. 405.

Illuſtriſſimo Viro CAROLO Duci *Salopiæ*, Marchioni *Altoniæ*, Comiti *Salopiæ*, *Wexfordiæ & Waterfordiæ*, Baroni *Talbotto*, *Strangio (de Blackmere)* [*Furnival*, *Vernon*, *Lovetot*] *Giffordo de Brimsfield*, [*Comyn de Badenagh*, *Valence*, *& Mountcheſney*] Præfecto *comitatus & civitatis Wigorniæ*, *Sereniſſimo Regi* Wilhelmo *à Sanctioribus conſiliis*, *& Secretioribus Epiſtolis*, *nec non auguſtiſſimi Ordinis auratæ periſcelidis Equiti.*

MOris eſt ſcriptoribus, *Vir Illuſtriſſime*, quibus quæ tradituri ſunt in manus hominum invidiam conflatura ſunt, in illorum confugere ſinum, quorum dignitatis ſplendorem malevorum odio parem eſſe arbitrantur. Ut nominis tui claritudo efficit, ut poſſis; ita indolis generoſæ comitas, ut velis præſidio eſſe omnibus patrocinium tuum haud iniquè implorantibus. Tanti generis claritas, & ſingularis iſta humanitas, quâ, ut honeſtiſſimum quemque, ita illos præſertim omnes complecteris, qui publicæ, & literariæ rei tantillum prodeſſe ſtudent, monuit, ut opuſculum hoc, quod plurimorum invidia inſectatura eſt, Donarium nomini tuo ſacrum ſuſpenderem, dicarem, conſecrarem. Nec ingratam fore credo oblationem, ſi materiam, qua ingenium tuum maximè delectari debet, par doctrinæ cultus, & elegantiæ nitor exornaret. A quo etenim patrocinium aut commendationem

meliùs petat labor iſte, in quo *Ordinum* Angliæ, & glorioſæ rerum noſtrarum *mutationis* defenſio ſuſcipitur, quàm à Celſitudine tuâ, qui magna pars eorum fuiſti, quorum virtuti debetur quod temporum vices tam feliciter mutatæ fuerint.

Tu religionis afflictæ, & expirantis libertatis caſum miſeratus, cùm de ſalute jam pœne deſperatum eſſet, Belgium petiiſti, ad ſalutis communis, & libertatum recuperandum ſubſidia illic comparanda.

Quàm læta eſt Angligenis tanti muneris recordatio: quod nobilis antiquiſſimæ ſtirpis, cui nulla cum iracundo Rege ſimultas interceſſerat, ipſo in flore juventæ, re familiari integrâ, amorem tranquillitatis habuerit poſt charitatem patriæ! præclarum eſt, ægræ & ruenti reipublicæ, non ſine vitæ & fortunarum omnium periculo, remedia tempeſtivè ita exquirere: præclarius verò, partam tali facinore gloriam conſtanter tueri: periculoſas infenſiſſimorum hominum inſidias non extimeſcere: verùm impavidè ſemper obſtinateque in eodem reipub. ſtudio perſeverare. Hæc eſt tua laus, hæc gloria tua: poſtquam etenim rerum humanarum Rector, nobis ſupra ſpes noſtras, imò pœnè dixeram ſupra vota, propitius, imperii ſummam ad rerum noſtrarum *Statorem* tranſtulerit, pietas tua in patriam, fides in Regem conſtantiſſimè emicuit.

Præclaræ virtutis claram mercedem eſſe oportet. Nihil homini poteſt dari majus

quam

quam gloria, & laus, & æternitas; hæc à civibus ſuis præmia ſunt eorum quorum animis patriæ, libertatis, & majeſtatis publicæ cura inſedit. Cùm igitur, *Vir Celſiſſime*, tu eodem ingenti animo, cœptis iiſdem, ſempiternæ tuæ gloriæ, quibus felicitati noſtræ proſpexeris; nihil noſtra prædicatio ad laudum tuarum ſplendorem adjicere poteſt. Laudabunt alii perantiquæ gentis tuæ titulos & imagines: alii titulis & imaginibus ſplendidiores, quæ ſolæ ſunt tuæ, virtutes. Apud plurimos tibi honori erit quòd colis ſtudia, quòd ſtudioſos amas, foves, provehis: apud alios, quòd liberalibus ſtudiis ità teipſum excoluiſti, ut ingenii tui vires, annis longè majores, pares ſint maximis regni negotiis. Impar ego tantis ſum laudibus; &, ſi non eſſem, ab illarum tamen prædicatione abſtinerem, quoniam elogia, quæ virtutibus debentur, ſingularis tua modeſtia deprecatur. Meritis tuis inimicorum inſidiæ teſtimonium perhibent: Illi ut virum, clariſſimum antiquitatis exemplar, & maximis hujuſce reipub. temporibus idoneum, à rerum gubernaculis, & intimioribus Regis conſiliis removerent, & quod aliâ fraude non poterant, rempub. ità everterent, te inter alios conjurationis inſimulandum curarunt: peſſimo verò ſucceſſu; Rex etenim, cui egregia tua fides perſpecta eſt, te ſingulari benevolentiâ complectitur: Te, magnum ſeculi, magnum iſtius Ordinis ornamentum *Proceres* regni; te *Plebis Delegati* cer-

certatim amant : alioquin non eâ, quâ nuperrime, vocum & animorum contentione laudibus tuis, in lege *rogandâ*, ſuffragati eſſent. Te ſuſpicimus, te effuſiſſimè diligimus omnes : nec ex ima plebe quiſpiam tam imbecillo ingenio eſt, qui ignoret, te, amore recti, amore reipub. imbutum, publicis utilitatibus ſedulò ſemper invigilare.

Ut tibi, *Vir Inclytiſſime* ad augendam dignitatem nil ſupereſt, qui Britannici faſtigii apicem tenes ; ità neque ad felicitatem ; cùm perinde ſummis atque infimis charus popularium benevolentiâ ſis undique ſeptus. De noſtra itaque, & familiæ tuæ illuſtriſſimæ fortunâ, tantùm ſollicitus Deum opt. max. precor, ut animam tam publicè ſalutarem diutiſſimè ſervet : nec tu priùs hinc abripiaris, quàm poſt lætos & felices hymenæos (quod debes familiæ, & patriæ tuæ, & neſcio quid aliud debes) numeroſam genueris ſobolem, per quos fama tua, qui partam à majoribus gloriam virtute ſuperaſti, latiùs in memoriâ, & ſermone hominum verſabitur.

Vovet

Cum omni, ut par eſt,
Obſervantiâ & cultu,
Celſitudini tuæ
Devotiſſimus

E. B.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

MAnavit longè ad ultimas uſque terrarum oras fama ſtupendæ rerum mutationis, quæ non ſine mœrore quorundam, plurium exultatione, & admiratione omnium ferme mortalium, nuper in Angliâ contigerit. Poſt tantæ rei novitatem, de quâ variæ ſiniſtræque opiniones regiones tranſmarinas pervaſerint, neminem hactenus extitiſſe demiror, qui res geſtas ita expoſuerit, ut exteris innoteſceret quâ ratione, quo jure ordines *Angliæ* abdicatum *à Jacobo Rege imperium* Principem Auriacum *penes eſſe permiſerint.*

Plurimis ſcio ſtudium illud ſupervacaneum videri; res à populo Anglicano *in nuperâ* converſione *geſtas Europæ tam ſalutares eſſe arbitrantur, ut non ſit metuendum ne quævis inimicorum calumniæ famam ipſorum apud exteros lædant: rerum* ſummam *PRINCIPI inquiunt, tradiderunt, qui domi in pacis conſiliis Rex bonus eſt, & foris in rebus bellicis imperator præ-*

ſtantiſſimus; qui cohortes bellicas in exterâ regione quotannis in aciem educit, atque ita caſtigavit ibi furorem hoſtis *Europæ libertati diu inſidiantis, ut quaſi* ardentiſſimæ Gentis *conſeneſceret impetus, unum opus ſit* Gallis *nectere moras, continere ſemet in caſtris clauſtriſque, & à prælio committendo abſtinere.*

At iniquos rerum æſtimatores iſtos cenſeo, quibus res geſtas ex ſolis commodis metiri ſufficit. Nihil ego utile, nihil glorioſum cenſeo, niſi idem ſit honeſtum: neque ex eorum numero ſum qui pro imperio violandum eſſe juſtitiam arbitrantur. Ergo igitur Principis Auriaci *EXPEDITIO in Angliam mihi videatur auſpicatiſſima, & ejus momenti eſſe, ut nulla res geſta ſit major, nulla glorioſior, & commendatior ſempiternæ hominum memoriæ; etſi inauguratio ejus feliciſſima ſit habenda, neque lætior ulla dies nobis illuxerit, quam cùm, ablegatâ tyrannide, expiato ſoro, diſſipato inſidiatorum concurſu, talis Princeps rerum noſtrarum potitus fuerit; pergam nihilominus neceſſarium mihi videtur facinora omnia commemorari, ut quod* ordines *Angliæ præclarè fecerint & glorioſe in ſuâ ipſorum libertate tuendâ, & in ſolvendis Europæ vinculis, juſtè etiam feciſſe exiſtimentur.*

Varia quidem ſunt hominum genera apud quos ſceleris poſtulabimur, imo apud plurimos quorum ſalati optimè proſpexiſſe videmur, proditionis *incudabimur, vix crimen illud diluamus. Præter enim maleſanum iſtum è noſtratibus gregem,*

qui

qui ſemper in potentes obliqui ſunt, *qui ſub uno Rege alterum laudant, qui* rempublicam *amant in* regno, *in* republicâ regnum, *& ubique ſunt ſeditionum faces, idque non aliâ de causâ quàm quod in eâ dignitate non ſint quam parem meritis arbitrentur: alii etiam quamplurimi ſunt quorum benevolentiam nobis conciliare, & quibus noſtræ innocentiæ fidem facere debemus. Illi omnes imprimis, quibus illud præcipue religioni eſt ſacroſanctam Regum majeſtatem ab injuriis tueri, nos ad jus vocabunt, & quaſi reos peragent, quòd projecta nobis ſit regum authoritas, & non ſolùm Regem, ſed Regnum ipſum de repub. tollere velimus. Romanæ etiam Eccleſiæ cultores, & in iis ſacrorum præſertim antiſtites plurimis in locis iracundiâ exardeſcere ſolent, quoties in Jacobi Regis infortunii mentionem incidunt. Condonanda eſt pleriſque illorum indignationis iſta intemperies, qui aliorum luſi mendaciis in eâ ſunt opinione Jacobum Regem pro causâ Dei ſolicitum regni ſui naufragium feciſſe.* Jeſuitæ *populum Anglicanum iſtius criminis infamârunt. Ex illorum* ſocietate * *Gallicus ſcriptor, in conſuetudinibus noſtræ gentis, in legibus atque inſtitutis noſtris, & in rebus nuperrimè geſtis plan hoſpes, de atrocitate injuriæ queritur quâ* ordines *Angliæ religionis Catholicæ odio incenſi,* Jacobum *dignitate regiâ ſpoliârunt. Tanti ſceleris macula quam primum eluenda eſt; & nobis fidem, æquita-*

* Pere [illegible] Orleans revolutions d'Angleterre.

tem, patientiam teſtatam cunctis & probatam reddere; authoritatem etiam, honorem, & decus noſtrum adverſus infames Jeſuitarum linguas apud idoneos rerum æſtimatores tueri difficile non debet eſſe. Si crimen etenim illud, cujus non ab uno tantum, verum omnibus propemodum Jeſuitis apud exteros incuſamur, fidem apud Romano-Catholicos obtineat, tum infamia ſceleris, & labes æterna poſteris adhærebit.

*Mecum itaque reputans quàm neceſſarium eſſet cives fortiſſimos & integerrimos, deque univerſis ferme Europæ civibus egregiè meritos, ab omnibus maledictis defendi, expectabam diu dum magni nominis pugil aliquis è globo eruditorum iſtorum, quorum Anglia refertiſſima eſt, in arenam hanc deſcenderet: cum vero neminem viderem huic operi incumbentem impulit tandem me veritatis & reipub ſtudium, ut cauſæ hujus nobiliſſimæ & ſæculorum omnium memoriâ digniſſimæ, impar licèt tantæ provinciæ, patrocinium ſuſciperem. Cogitavi ſæpius quàm grande illud onus eſſet, & quod humeri mei, ſi aliis negotiis haud eſſent impediti, præ modeſtiâ recuſare deberent. Et quidem cogitatio iſta me ab incepto opere deſiſtere ſubegiſſet, niſi viri duo ornatiſſimi * quorum judicium ingeniumque excellens ſummâ ego in admiratione habeo, labantem mihi animum ſæpius confirmâſſent. Credide-*

* Sanctus Georgius Aſh nuper præpoſitus Acad. Dublinenſ. nunc Epiſcop Clonenſ. & Gul. Molyneux Armiger.

runt viri optimi, idque

mihi

mihi ſæpius perſuaſum iverunt, lucubrationes meas, quales quales eſſent, refutatis inimicorum calumniis, opinionem, quam de nobis concepiſſent, peregrinorum mentibus evulſuras.

Illud verò dolendum eſt, quod injuriæ vulnus ab inimicis noſtris, & præſertim à Jeſuitâ *contumelioſiſſimo* * populo inflictum, *haud aliter ſanari poſſit quam vetera refricando vulnera quibus humanitatis eſt cicatricem potius obducere. Plurimi ſunt quibus ſacroſancta Regum nomina haud ſunt terriculo, quò minus facinora pravo patrata exemplo annalium monumentis mandarent, recenſetur, inquiunt, inter maxima Trajani in populum Romanum beneficia, quòd illo regnante,* liceret illis de malis imperatoribus quotidie vindicari & futuros ſub exemplo præmonere nullum locum, nullum eſſe tempus, quo funeſtorum Principum manes à poſterorum execrationibus conquieſcant. *Atque idem, inquiunt, nobis jam licere debet ſub Principe optimo, idque ad fidem inculpati ejus imperii aliis faciendum, quoniam (ut Plinius ait)* cum de malo Principe poſteri tacent manifeſtum eſt eadem facere præſentem. *Mihi verò non mea voluntas iſtam permitteret licentiam, ut, commemorando res ab eo patratas, Regi invidiam aliquem conflarem, niſi ſingularis officii neceſſitudo id poſtularet. Jacobus Rex licentiæ & delicti hujus, quodcunque ſit gratiam mihi facere debet, quoniam ille non ſolum huic operi*

* Pere d'Orleans.

occaſionem dedit, verum effecit etiam ut eſſet neceſſarium. Ille etenim ipſius adverſarii confeſſione arguitur, Jeſuitæ *ſcripta ea voce præiviſſe quibus nos* populi Anglicani *famam graviter læſam eſſe querimur. In operis etenim* præfatione *dicit, ſe ad regium conclave liberum ſemper aditum habuiſſe & quoſcunque vellet ſermones cum eo conſeruiſſe. Hoc perinde eſt ac ſi fateretur Regem ſcriptis iſtis materiam dictitaſſe, aut perlegiſſe ſaltem ea quæ* Jeſuita *de rebus ab eo geſtis, tanquam ab ejus commentariis excerpta, in vulgus editurus erat. Quoniam itaque Rex noſter & ſine dubio* Gallus *etiam cui Jeſuita libellum iſtum mendaciis refertiſſimum dicavit, Jeſuitæ operis iſtius ſuſcipiendi ideo ſuaſores erant, ut* populum Anglicanum, *ex mero Catholicæ religionis odio læſæ in Regem Catholicum fidei poſtulatum, à* ſociorum *amicitia diſſociarent; idcirco æquum eſt ut dent veniam iſti* Παῤῥησίᾳ *quæ ad defenſionem* populi *neceſſariò adhibenda eſt. Plurima ſunt, de quibus etſi aliàs tacere humanitatis fortaſſe ſit & modeſtiæ, quæ tamen ſilentio non ſunt diſſimulanda cum reipublicæ fama agitur. Ejus gloriam privatis reſpectibus & neceſſitudinibus potiorem habere, pro illâ inimicitias ſuſcipere, ad periculum accedere, operam, ſtudium, & laborem interponere debemus. Ego mehercule cum Cicerone,* nihil quod in terris fiat Principi illi Deo, qui hunc mundum regit, acceptius puto quam cœtus hominum jure ſociatos quæ civitates appellantur.

pellantur. *Quapropter invidiam omnem & nequitiam à publica conſcientia removendam eſſe exiſtimo, atque ſatius illud putavi ut paucorum mortalium, quibuſcunque imaginibus aut honoribus utantur, delicta palam fierent, quam ut immortalis reſpublica perderet aliquid de ſanctiſſimâ iſtâ exiſtimatione quæ unica eſt nobis cum exteris nationibus commerciorum, amicitiarum, & fœderum conciliatrix.*

Ut omnem igitur infamiam à populo Anglicano *prohibeam mihi propoſitum eſt res in inſigni noſtrâ rerum* converſione *geſtas, ſine irâ & odio, ſimpliciter referre, ut Jeſuitarum omnium mendacia redarguantur; & perſpicuum ſit omnibus quibus irarum incitamentis Rex noſter populares ſuos ſibi reddidit infenſos. Illa omnia, reipublicæ nempe noſtræ vulnera, & populi in* Regem *querelas hoc ego in libello memoraturus ſum. Videbit lector qualiter Rex munia ſenatûs & magiſtratuum in ſe traxit, afflixit omnium ordinum authoritatem; clariſſima reipublicæ lumina obſcuravit & quoſcunque ſervitio promptiores credidit, illos in conciliorum ſocietatem, & maximos regni honores adſcivit; conſcripſit non ſolùm perditiſſimorum civium delectum, verum & exteros etiam regni noſtri muniorum exortes, & legibus obnoxios accerſivit, ut illorum operâ fas patriæ, & populi libertatem violaret; leges regni, in quibus unica ſalus populi conſiſtit ſe nihili habiturum in literis in* Scotiam *miſſis palam profeſſus eſt; neque aliud ipſi magis fixum*

immo-

immotumque animo ſedebat quàm rempub. evertere, & hodierno more Gallico imperare, aut antiquo Romano, ſed qualis in uſu eſſe cœpit poſt everſam ab Auguſto rempublicam hæc omnia fecit in repub. liberâ, in quâ non deſpoticum *imperium, ſed* politicum, *& legum vinculis coercitum obtinuit. Partes inſuper* Gallici *Regis fovebat, illius ambitioni voluntatem ſuam adſcripſit, cujus faſtum & impotentem dominatum frangere potius debuiſſet, ſi (prout bonum Regem decebat) amicos inimicoſque ex populi ſui utilitatibus elegiſſet. Hujuſmodi cœptis in* extremo *rerum ſuarum diſcrimine ſubacti* ordines Angliæ *imperium, quod Jacobus Rex ſponte ſuâ dereliquit, Arauſionenſi tradiderunt. Ut ego nobilem gentem infamiâ levarem, quam Jeſuitæ ex iſto facinore ipſis conflârunt, ſatis mihi viſum eſt res à Rege contra populum, deinde à populo contra Regem commiſſas, in brevi tabellâ, ſine verborum lenociniis, clare depingere, ut commemoratis ita offenſionibus utriuſque penes lectorem judicium ſit, utrum regni noſtri* ordines *ſceleris argui debeant necne. Duobus itaque libellis opus hoc abſolvam.*

In primo res memorabo à Rege contra populum geſtas.

In ſecundo rerum hiſtoriam complectar à populo contra Regem geſtarum in principis Auriaci inauguratione.

In hoc munere fungendo mihi curæ erit veritati litare. *Atque id enixè operam dabo ut injurioſus*

jurioſus nemini, injurias propulſem populo *immerenti ab inimicis illatas. Si meum hoc ſcribendi ſtudium mihi ex animi ſententiâ ſucceſſerit, & tantillùm profecerit ad Anglorum dignitatem tuendam, cenſeo illud amplum ſatis pretium eſſe laborum meorum, & propter quod pericula omnia libenter adire debeam, quæ mihi à* Criticorum *cenſurâ metuenda ſunt; mihi quidem cum L. Lentulo* ea videtur eſſe charitas patriæ ut ab ignominiâ eam cum morte noſtrâ ſi opus ſit ſervemus. *Vires itaque ingenii multò magis periclitandæ ſunt, neque nomen inertis aut mendoſi ſcriptoris mihi videtur detrectandum, quandocunque ex iſto famæ diſcrimine aut jacturâ, reiqub. commodandi ſpes minima affulſerit. Hac excuſatione ſolâ, Candide Lector, mihi viſum eſt impræſentiarum uti, quæ ſi apud te valuerit, precor ut rigidi cenſores dicta omnia factaque tua, perverſè nunquam, in mitiorem vero partem ſemper interpretentur. Vive, & vale.*——

Liber

Liber Primus.

CAP. I.

In quo demonſtratur imperium Regi non abrogatum fuiſſe propter religionem.

LIterarum monumentis traditurus ſum, quibus molitionibus viri ambitioſi florentem rempublicam, legibúſq; præclarè fundatam, labefactare & evertere conati ſint: quo pacto ægram tandem & vacillantem, multis vulneribus cruentatam, atq; ad interitum propè redactam, ingentis animi *Princeps*, & cives fortiſſimi vindicárint à ſervitute; atq; ita dignitatem noſtro imperio, ſalutem orbi terrarum pepererint.

In priori libello cœpta iſta memoraturus ſum quibus Rex noſter, & *adminiſtri* ejus, quos lubido tenuit potentiæ unius, decus atq; libertatem ſuam gratificari, juſtas Anglorum offenſiones in Regem traxerunt.

At videbam fruſtrà illud fore, & prorſus inutile aliquam hujuſmodi defenſionem inſtruere, niſi in veſtibulo atq; aditu ad opus illud, præjudicium, quod plurimi, inimicorum noſtrorum mendaciis luſi, de Anglis conceperunt, peregrinorum mentibus eximerem.

Jeſuitæ etenim, atq; alii omnes qui ſunt in deformi obſequio *Galli*, atq; ambitioni ejus inſervire ſatagunt, apud Romano-Catholicos ubiq; terrarum clamitant,

Jacobum Regem à ſubditis ſuis non aliâ de causâ regno ſuiſſe ſpoliatum, quàm quod Eccleſiæ Romano-Catholicæ primævum decus reſtituere nitebatur, & juxta iſtius inſtituta Deo ſerviebat.

Ità nimirum Jeſuita, rerum in Anglia geſtarum penitùs ignarus, in libro nuperrimè non alio conſilio edito, quàm quòd Romano-Catholicorum inimicitias in nos, amicitiam in *Gallum* concitaret, fidenter affirmavit, *Jacobum Regem tranquillè & feliciter ſuis imperaturum, ſi nullius omnino religionis, aut alterius cujuſvis, præterquam Romano-Catholicæ inſtituta amplexatus fuiſſet* *. Hoc plane eſt infortunii Regii culpam in religionem conjicere. Quamdiu homines ita opinentur incaſſùm nos de injuriis ejus apud peregrinos queremur, facilè etenim omnium delictorum gratiam illi facturi ſunt, cujus eam præcipuam fuiſſe ambitionem credunt Deo ſervire, & Eccleſiæ bonum promovere: ne ſpecioſa iſta religionis larva credulorum ſimplicitati imponat, & fatalem aliquando effectum ſortiatur, quem mortales ambitioſi ſibi deſtinârunt, dum ambitioni ſuæ religionem lenocinari voluerunt: quod mihi veritati conſentaneum viſum eſt ſimpliciter referam. Non ſolum etenim lectori illud certum facere conabor, religionem non cauſam fuiſſe, cur *Ordines Angliæ* Jacobo Regi *abdicatum* prius imperium abrogarunt; verùm, quia *Jeſuita*, cujus mentionem ſupra feci, operam à *Jacobo* & Galliarum Rege Deo & Religioni Catholicæ præclarè navatam ideò pluribus verbis evehit ut ſocios amicóſq, noſtros ab *Hæreticorum neceſſitudine*, ut aiunt, ad Galli amicitiam pelliciat; idcirco pauciſſimis oſtendam qualiter Reges ambitioſi in oſtentato iſto zelo *fumum Eccleſiæ Catholicæ venditare*, mihi viſi fuerint.

* Vid. Pere d'Orleans revolutions d'Angliterre Tom. III. pag. 395.

Fateor

Fateor ſane me non bonâ fide acturum, ſi inficias irem, vicem & pericula religionis populum Anglicanum ſolicitum habuiſſe. Non ego verum ſubterfugiam dicendo, quin apertè confitebor primores Anglorum, qui *ſupplice libello Principem Auriacum* de calamitoſo Anglorum ſtatu admonuerunt, quiq; poſtea libertatis noſtræ vindices domi extiterunt, inter reliquas temporum injurias, querelas religionis interpoſuiſſe. Nemini, arbitror, id mirum videbitur, quandoquidem etenim, ut Camdenus noſter loquitur, *Inter rempublicam & religionem divortium eſſe non poteſt*; verùm qui animo ſecum ſtatuit evertere & perfringere leges, & mutare formam *politiæ*, vim etiam religioni neceſſariò allaturus ſit; idcirco populo illud condonandum eſt, quòd quando legum, libertatum, & rei familiaris commune naufragium paſſuri erant, inter cætera gravamina de periculosâ religionis aleâ querimonias jecerunt.

Nolim igitur perinde intelligi, quaſi id velim hominibus perſuadere, nullas Regi cum popularibus ſuis religionis ergo ſimultates interceſſiſſe: illud ego tantummodo demonſtraturus ſum religionem non cauſam fuiſſe propter quam *populus Anglicanus* ipſum, poſt *abdicatum* imperium, ornatu regio atq; imperiali ſceptro ſpoliavit. Veritas iſta variis argumentis & rationibus colligenda eſt, nec dubito quin omnium aſſentionibus ſtatim comprobabitur, qui ſeriò cum animo ſuo ea pauliſper volvere dignabuntur, quæ de *populi Anglicani in re religionis dogmatibus inſtitutis*; de ſingulari humanitate & manſuetudine quâ Regem ſemper tractarunt; deq; præcedentium temporum conſuetudine in *Principum* injurias animadvertendi, breviter dicturus ſum.

Quod ad primum attinet, ſi ſacra Anglorum dogmata & *religionis inſtituta* contemplemur, criminis iſtius ſuſpicionem levabimus ſtatim, atq; ab illis removebi-

mus. *Eccleſia* etenim *Anglicana*, quemadmodum *Academia Oxonienſis*, publice declaravit in decreto iſto, quo *majeſtatis* damnavit ſcripta plurimorum dignitati Regiæ (ut illi arbitrabantur) iniquè conſulentium, *puram & ſanctam in Regiam majeſtatem, fidem, ſibi præ aliis Eccleſiis peculiarem, atq; inſtitutionis unicam ferme* notam *ac* characterem *oſtentat* *. Glorià ſemetipſam & prædicatione effert, quod *fides iſta proditionis crimine nunquam onerata fuerit* †. Atq; illud inſuper gloriatur, *Se Regibus ſine aliquo religionis deſcrimine aut delectu obſequium præſtare* ‖. Mora eſſet ſi Eccleſiæ iſtius fidelitatis documenta indicarem in vulgus, & commemorarem ea omnia quæ ſuper hoc themate, in *homiliis* & *canonibus* Eccleſiæ, in *doctorum* ſcriptis & concionibus ſacris paſſim traduntur. Labore tanto & verborum multitudine quod Jacobi Regis indiciis & confeſſionibus patefactum eſt me ſuperſedere admonet. Ille, poſtquam *Carolus ſecundus* fato conceſſit, vocata ſtatim *conſiliariorum* concione, in arrectis & ſitientibus illorum omnium auribus fatebatur, *Se compertum illud habuiſſe, Eccleſiæ Anglicanæ inſtituta & dogmata monarchicam imperium fovere, atq; ejus ceræmoniis innutritos* (inquit) *nota & explorata fidelitas ſemper cohoneſtavit.* Poſtea etiam in frequenti ſenatu in eandem locutus eſt ſententiam, præcepta & inſtituta *Eccleſiæ Anglicanæ* laudibus cumulavit, atq; aperte & ingenue confeſſus eſt, *Cultores ejus viros eſſe ſpectatiſſimæ fidelitatis, cujus præclara*, inquit, *documenta temporibus iniquiſſimis dederunt in* PATRIS *mei & FRATRIS ſalute tuenda* *. Hic Regis ipſius

* Vid. judicium & decret. acad. Oxon. Julii 21. 1683.

† Vid. Epiſcopi *Roſſenſ.* hiſtor. conjurat. &c. pag. 164.

‖ Vid. reſponſ. ad chart cujus titulus examen fidelit. Eccleſ. Angl. pag. 54.

* Vid. orat. Regis in comit. parliamentar. Maii 26. Anno 1685.

ipsius confessione Ecclesia Anglicana (quemadmodum senatûs olim jussu in Lucii Vitellii statuâ inscriptum erat) PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM esse convincitur *. Hujus *pietatis* fiduciâ libidinis ejus administri, furores omnes non in rempublicam solummodo excogitârunt, verum & medio etiam tempore in *dextram aurem dormiverunt*. Et quidem insidiarum primarii artifices, illud Regem tanquam *caput* artificiorum omnium hortaban ur, ut quo facilius votorum omnium compos fieret, animos illorum qui *Ecclesiæ Anglicanæ* ritus ejurârunt, qui nimirum usitato & probroso nomine *fanatici* appellantur, suavitate, indulgentiâ, & muneribus deliniret: at in Ecclesiæ Anglicanæ filios impune, inquiebant, fas erit grassari. Nihil ab illis pertimescendum est quorum mentes ea opinio imbuit, quod piaculare sit crimen repugnare principi, aut aliquid contra ejus voluntatem facere. Non ignari erant quemadmodum plurimi certis confirmatisq; animis opinionem † istam hauserant, quæ percrebuit hoc posteriori seculo, & per Regis Britannici ditiones omnes pervasit. Ejus adminiculo furoris Regii satellites, populo Anglicano, secus quam illi suspicabantur qui doctrinam istam in scriptis suis & sacris concionibus vulgabant, servitutem se imposituros nulli dubitabant.

* Vid. Sueton. in vitâ A. Vitellii——.

† Passivam obedientiam ut dicitur.

Dicet fortasse aliquis rerum Anglicarum haud ignarus, reliquam *Anglorum* turbam qui Ecclesiæ authoritatem & imperia detrectarunt, non eâ doctrinâ præceptisq; institutam esse. Quoniam igitur regimen monarchicum haud illis adeo sacrosanctum est, atq; illi *pontificios* à nomine Christiano termè detestantur, ideo forsan arbitrabuntur *sectarios* saltem odio religionis ejus inflammatos, conflâsse primum seditiones, dein Regi imperium abrogandi authores extitisse. Suspicionem

illam neutiquam in illos convenire ex eo patet, quod Regis diminutio non illis, ſed Eccleſiæ Anglicanæ ab ipſis Jeſuitis crimini objicitur: incredibilis conjunctio & conſpiratio animorum, & quaſi quædam ſocietas & communicatio utilitatum eos cum Rege conglutinavit. Ille etenim Eccleſiæ ritibus immorigeros ſummâ benevolentiâ complexus eſt, in munia & magiſtratus illos cooptavit, atq; illis omnibus *conventiculorum* copiam publice fecit fictæ hujuſce amicitiæ lenociniis; taliter uſus adeo illos neceſſitudinibus circumventos & implicitos tenuit, ut plenius in illum, quam in alium quemvis principem, poſt natas in Eccleſiâ *diſſenſiones* illorum obſequium præ ſe ferrent, donec fabricatas legibus inſidias plane perſpexerunt. Quod ideo memoro, ut criminis hujuſce ſuſpicionem ab illis etiam amoveam qui *Eccleſiæ publicæ juſta legitima* in Anglia *non capeſſunt*. Cùm igitur illud ita ſe habeat, mendacia illorum qui religionem Regis noſtri in causâ infortunii ejus habent, ulterius convincentur & redarguentur ſtatim, quam primum cum animis noſtris volvemus ſingularem iſtam humanitatem & benevolentiam, quâ *Eccleſiæ Anglicanæ* alumni eum, non ſolum dum regno præfuit, verùm multò etiam antè complexi ſunt.

Nemini non credo notum illud & vulgatum eſt quibus ſuper machinationibus in rempublicam populus *Ducem Eboracenſem* * olim ſuſpectum habuit, quaſq; offenſiones apud homines ad pericula perſpicienda ſagaces, moliones ejus jampridem ipſi concitârunt. Amicitia iſta & pluſquam *fraterna neceſſitudo* quæ inter illum & Galliarum Regem poſt ſuſceptum ſuperius *bellum Belgicum* clarè emicuit, cauſa inſignis erat ſimultatum iſtarum quas conſiderationis conſilii populus cum illo geſſit. Notabile tunc Eccleſiæ Anglicanæ filiorum in mediis calamitatibus ſtudium in illum enituit: res ejus adver-

* Jacobus Rex prius erat Dux Eboracenſis.

ſas

sas & causam labentem in manifesto propemodum reipublicæ periculo strenuè sublevârunt, ne secus facientes alienæ religionis odio, aut nimio suæ conservandæ studio vile habere jus & æquum viderentur. Singularis istius benevolentiæ & æquitatis summæ varia quidem documenta constituerunt; è multitudine exemplorum mihi satis erit unum atq; alterum in medium proferre. Haud obscura est altercationum fides, quas fama nuptiarum *Ducis Eboracensis* cum *Ducis Mutinensis* * filia † celebrandarum, lapsis jam plusquam vigenti annis, in comitiis Parliamentariis excitavit. *Factio Gallica*, quorum res in luto hærebant, postquam senatus Anglicanus illorum expectationem frustrabatur, ambigua jam atq; inops consilii, Gallo auctores erant ut *Mariam Mutinensem* sibi filiam adoptaret eamq; in matrimonio collocaret *Duci Eboracensi*, ut ex iis nuptiis intermortuæ Gallorum molitiones & insidiæ novam fiduciam & spiritum colligerent. Comitia regni, quorum augusta celebritas Westmonasterii tunc peragebatur, præsaga malorum, quæ connubia ista Anglis erant importatura, missò ad Regem supplice libello, hymenæos istos deprecabantur. Carolus II. cujus animus nimis obstinatus erat in Galliarum *Regis* & *Ducis Eboracensis* obsequio, quiq; omnia illorum libidini grata facere gestiebat, illis ita rescripsit. *Se nunquam opinione auguratum fuisse, senatum animos abiis nuptiis habiturum alienos, quoniam Dux Eboracensis pridem, medio comitiorum tempore, continuis mensibus, non reclamante senatu, alterius virginis, Catholicæ religionis cæremoniis innutritæ, matrimonium solicitaverat.* Responsum illud curâ & solicitudine haudquaquam levavit senatum, verum illi auctoritatem suam rursus connubio isti apud Regem opposuerunt. Nuptias istas cum *Mutinensis* filiâ, quarum Gallus conciliator erat, qui in

* Modena.

† Ea est Regia nunc consors.

Anglorum libertatem inſidiarum erat manifeſtus, Angliæ funeſtas fore (prout eventus mox oſtendit) haudquaquam dubitabant. Nuptias verò cum *Ænipontii Ducis* * filia meditatas, ideo ſenatus non repudiavit quoniam familia iſta *Auſtriacam demum* attingebat, cujus amicitiam procul ab omni ſuſpicione habendam exiſtimabant. Hoc eo conſilio memoravi ut oſtenderem offenſiones tunc in *Ducem Eboracenſem* ſuſceptas non à religionis invidiâ ortum traxiſſe, verum Eccleſiam Anglicanam, ſine ullo ſacrorum reſpectu, ipſi benevolentiam præſtitiſſe: præter enim quod comitia regni, ut in ſupplice libello Regi profitebantur, pedibus contra nuptias iſtas iverunt, NE DUCIS EBORACENSIS AUTHORITATEM, CUJUS PROMOVENDÆ SE CUPIDOS FUISSE, aiebant, APUD POPULUM LABEFACTARENT †; Eccleſiæ præſules inſuper, legem à ſenatu *rogatam*, UT PRINCIPI NOSTRO NON LICERET, CUIPIAM SE IN MATRIMONIO COLLOCARE, NISI REFORMATAM RELIGIONEM PROFITENTI, UNANIMITER REPUDIARUNT ‖. Paucis etiam poſt annis indolis iſtius majus documentum exhibuerunt, & palàm fecerunt orbi terrarum, quam alienum id eſſet ab illorum inſtitutis ipſum de gradu dignitatis propter religionem movere. Id pridem videre erat, quando longè latéq; pervagata Jeſuitarum nefanda conjuratio ex latebris tenebriſq; erupit. Nihil clarius & manifeſtius eſſe poterat quam ſocietas, & famoſa *Ducis Eboracenſis* & *Galliarum Regis* conſenſio iſta, quâ in Anglorum libertatem conſpirarunt, in id diſcri-

* Inſpruch.

† Vid hæc omnia in relatione rer à ſenatu geſtar. in tract. polit. par. I. pag. 33, 34, 35, 36.

‖ Vid epiſtol. à viro nobili ad amicum in ruri exaratam, tract. polit. par. I. pag. 44.

diſcriminis & periculi ab eâ neceſſitudine rempublicam conjectam fuiſſe viri cordati arbitrabantur, ut non aliam expediendæ ſalutis publicæ rationem ſe reliquam habuiſſe exiſtimarent, tempore præſertim quo *confœderatæ acies* iniquâ belli fortunâ contra Gallum utebantur, quam ut Ducem Eboracenſem, cujus in regni expectatione conſpiratorum omnium ſpes ſita erat, hæreditate excluderent. Viri igitur perſpicaces, & ad ſuſpicandum ſagaciſſimi, quorum animi mala præſagiebant, quæ reipublicæ poſtea contigerunt, in *ſenaculo* inferiori *rogationem* ad populum tulerunt quâ ſpes ſucceſſionis atq; ad imperium aditus illi, poſt Caroli II. fatum, intercluderetur. Eccleſiæ antiſtites & quidam alii ex procerum conſeſſu eorum præceptis imbuti *rogationem iſtam non acceperunt*. Haud induxerunt animum quempiam propter *religionem* dignitate ſpoliare, & evertere fortunis omnibus: verum *plebiſcitum* illud * abdicarunt quo hæres legitimus contra jus & fas (ut illi crediderunt) à patrimonio excludendus erat. Invidia atq; inimicitiarum odium quæ in turbulentis iſtis reipublicæ temporibus *præſules Eccleſiæ* ſibi ex auſo iſto apud populum cumularunt generi humano debet indicio eſſe, quam odioſum illis fuerit cauſari religionem & illius ergo dare ſuſpicionem vel probabilis injuriæ. Ex eâ etenim in Eboracenſem obſervantiâ plurimis venerunt in ſuſpicionem quaſi unius magis inſervire libidini, quam à ſe juſtam patriæ querimoniam deteſtari deprecariq; viderentur †. Atq; obſequium illud adeo ingratum publice & invidioſum erat, ut propter ea plebs malè feriata infamoſis carminibus ubiq; per regni compita probra in epiſcopos occinerent. Quoties ego incredibilem iſtam humanitatem cum iſtâ confero quâ ille,

* Libellum excluſionis.

† Vid. examen chartæ, cujus titulus novum examen fidelitat. Eccleſ. Angl.

ille, poſtea regno potitus, ſacrorum antiſtites tractavit, hærerem admiratione obſtupefactus, niſi Gallicum exemplar & Proteſtantium ibi cruciatus contemplarer, & Taciti verba mihi occurrerent; *Beneficia*, inquit ille, *eò uſq; læta ſunt dum videntur exolvi poſſe, ubi multum ante venere pro gratia odium redditur* *.

* Tacit. annal. lib. 4. ſect. 18.

Benevolentiam iſtam alio mox inſigni exemplo comprobárunt, quando etenim circa idem tempus latum erat ſenatuſconſultum illud, cujus paulo poſt mentionem facturus ſum, quod LEX EXAMINIS ſive SCRUTINII † dicitur, quo jure *ſuffragiorum* ſub mulctæ irrogatione, omnes in ſenatu privantur, qui non prius unum atq; alterum Eccleſiæ Romanæ dogma ejuraverint, Duci Eboracenſi tunc exploratum & perſpectum erat, Eccleſiæ Anglicanæ *optimates* abſcindere ſibi omnem religionis in principe reſpectum, quandocunq; juris & officii religio agitur. Verbis etenim ſatis erat *cautum* NE LEX ISTA AD ILLUM PERTINERET ‖. Et ſicuti LEGIS ISTA EXCEPTIO ab Eccleſiæ præſulibus præcipue, ita lex tota, contra comitis Shaftsburienſis atq; aliorum voluntatem, in favorem Ducis Eboracenſis lata erat à viris illius gloriæ conſulentibus. Aulicorum in rogandâ lege iſtâ id conſilium erat; ut ſenatores communi tunc ſaluti invigilantes legis iſtius robore ac tutelâ innixi detectam tunc *conjurationem*, cujus Eboracenſis primarius erat artifex, ulterius in diſquiſitionem vocare deſinerent *; hujus rei mentionem neceſſariam duxi, ut dimoverem ab Anglis odium, quod *lex* iſta foràs in illos concitavit.

† Teſt Law.

‖ Vid. ſenatuſconſ. illud anno 30. Caroli II. latum.

* Ita vir clariſſ. doctor Burnetius epiſcop. Sariſbur. ſcriptis tradidit.

Neſcio

Neſcio utrum epiſcoporum promerita iſta, qui omnibus officiis Ducem Eboracenſem dubiis in temporibus aſſectati ſunt, & quorum nimiis ſtudiis populares ſui ſuccenſuerunt, aliquid factura ſint necne ad infamiam iſtam & maculam eluendam, quam Jeſuitæ Anglicanæ Eccleſiæ inurere conati ſint. Si tot verba mihi hactenus irrita ceciderunt, at nullus dubito quin ſumma illorum in Regem obſervantia, poſtquam ad regnum pervenit, inimicorum mendacia redarguet in regni initio, quamdiu ſatis habuit ſecundum Eccleſiæ Romano-Catholicæ ritus Deo operari, nec civium credulorum obſequio ad impotentis dominationis conſilia cœpit abuti, ſtudium vehemens & ardorem civibus injecit voluntati ejus in omnibus obſequendi. Et quo majores olim populo ſimultates cum illo interceſſerunt, eò majorem ab illis gratiam inivit poſt melioris indolis ſimulationem, & converſa ad lenitatem ſtudia. Sicut etenim maris cœliq; temperiem turbines tempeſtateſq; commendant: ita vel ſimulacrum benignitatis gratum eſt in illos, cujus ira effera & periculoſæ offenſiones metum priùs hominibus fecerunt. Id erat luce clarius in imperii ejus exordio, etſi etenim illud ab inſigni injuriâ auſpicatus eſt, cum ſtatim poſt *Caroli* II. fatum, antequam inauguraretur, publicanorum miniſterio *vectigal doliare* * & *vectigal pro mercibus in ſingulas libras* † exigebat, quæ non niſi durante *Caroli ſecundi* vitâ Regi ſenatuſconſulto conceſſa eſſent; rei tamen iſtius odium blanda ejus verba credulum apud populum facilè extinxerunt. Quamprimum etenim poſt fratris interitum, habitâ in *ſanctiori concilio* molli & liberali oratione iſtâ, in quâ promiſſis cives luſit, dum ſanctiſſimè ſpoſpondit, *Se Eccleſiæ Anglicanæ & civibus univerſis jura ſua procul ab iſtâ libidine cujus rem deferri conſuevit, illibata conſervaturum,*

* Tunnagium, Tunnage.

† Pondagium, Poundage.

rum, atq; evulſurum ab hominum mentibus conceptam de ſe malam opinionem *, populariumanimos peſſima quæq; prius veritos adeo ad ſe pellexit, ut voluntati ejus ſemper in omnibus adfuerunt, donec alienum planè ab amore civium & reipublicæ commodis animum geſſit. Blanditiis iſtis ita in Anglorum ſe favorem immerſit, ut nefas piaculo dignum videretur amicitiam ejus in *Eccleſiam Anglicanam* in dubium vocare. Et ſane humanitatis iſtius novitate uſq; adeo capti erant, ut omnium *municipiorum* cives ex omnibus regni plagis miſſis ad Regem *ſupplicibus libellis* non ſolùm ſibimet de ea felicitate gratulabantur, verum & diuturnitatem imperii comprecabantur illi. & ſe capita ſua pro ſalute ejus ſemper vovere paratos fore pollicebantur promiſſis ejus deliniti in illud ſtudium incubuerunt, ut *ſenatores* cooptarent, qui omnia præter libertates ſuas voluntati ejus gratificarentur. Eàdem benevolentiâ pellectus ſenatus in principio imperii ejus convocatus ſupervacaneum ratus eſt *leges rogare*, quibus adverſus inimicorum inſidias *religionem* firmarent. E contra Regis *ſacratæ pollicitationes*, QUARUM RELIGIONEM ET FIDEM IPSUM PRÆ ALIIS OMNIBUS COLUISSE, venales linguæ multos per annos in vulgus ſparſerant, tantum ipſis ſecuritatem præſtabant ut non dubitarent novo atq; ingenti cenſu vectigal & tributum ejus augere, quo tamdiu frueretur donec e vitâ migraret †. Nec mihi videtur illud ſilentio prætereundum quod à gravi authore notatum reperio, *quatuor nimirum è quinq; primis ſenatuſconſultis poſt imperii ejus primordia latis vectigalia temporaria eaq; maxima populo in favorem ejus indixiſſe* ‖

* Vid. orat. ejus in quadrien. Jacobi.

† Vid. hæc omnia & plura in chart. cui titulus examen novum fidelitat. Eccleſ. Anglic. pag. 46, 47.—

‖ Vid. vindic. hujus imperii, pag. 3.

Jeſuita

Jeſuita exiſtimationi Anglorum aliis in rebus ſummè injurioſus agnoſcit ſingularem iſtam ſenatûs noſtri in Regem benevolentiam. Dicit ille, *Comitia regni plus pecuniarum populo imperaſſe, quàm quæ, præter annuum vectigal ejus, Regi revera uſui eſſent; atq; illud,* inquit, *fecerunt tantâ feſtinatione, & tam plenis omnium ordinum aſſenſionibus, ut Rex ipſe & fateretur rationem & modum iſtius munificentiæ ſibi gratiorem fuiſſe, quàm munus ipſum* *, hanc ſenatûs noſtri in Regem humanitatem ex *adverſarii* confeſſione. eo lubentiùs memoro, ut videat lector quàm vero abſonum illud ſit quod dictum ab illo prius memoravi, *Regem* nimirum *tranquille & feliciter* ſuis imperaturum, ſi *nullius omnino religionis, aut alterius cujuſvis præterquam Romano-Catholicæ inſtituta amplexatus fuiſſet.* Anglis etenim tunc ſatis erat notum, quam religionem profitebatur, nec ægrè illud ferebant quod in proprio ſacello una cum reliquis diſciplinæ conſultis ad religionis ſuæ præſcriptum numen coleret. Sed ut hæc miſſa faciam.

* Pere d'Orleans hiſt. des revolutions d'Angliterr. tom. III. pag. 383.—

Circa idem tempus idem ſenatus clarius benevolentiæ indicium edidit in illum, cum *Argathelia* comes, magna familiâ natus, & clientelis inter Occidentales Scotos primarius, ſeditionem in *Scotiam* induxit: cumque eodem firme tempore Dux Monumethenſis (qui, ut adverſarius fatetur, certior erat factus Jacobum vitæ ejus per ſicarios ideo inſidias ſtruxiſſe, ut æmulum ſuum clanculum è medio tolleret †) civilis belli incendium in Angliâ conflavit. Haud ignotum illud eſt, multos per annos pervaſiſſe per animos plurimorum falſam opinionem, *Ducem Monumethenſem, Carolo ſecundo* ex nuptiis legitimis natum fuiſſe. Opinio iſta cauſa erat, quod

† Pere d'Orleans ubi ſupra pag. 385. id fatetur.

quod plurimos cupido involavit arma civilia capiendi, atq; eundi in Regem Jacobum, haud *bonæ fidei poſſeſſorem*: eo nomine unus è præcipuis *defectionis* authoribus culpam ſuam inter verba noviſſima in patibulo prætexuit * At neq; iſta excuſatio, neq; venditatum publicè ſtudium religionis tuendæ viros Eccleſiæ Anglicanæ addictos à religione officii, quod ipſi in animis concepiſſent, deflectere potuit. Ex adverſo majorum & minorum gentium ſenatores per nuncium de *Monumethenſis* exſcenſu certiores facti ſupplicem ſtatim libellum ad Regem miſerunt. In eo vota ipſi nuncuparunt, *ſe uſq; ad extremum vitæ & fortunarum omnium diſcrimen cauſam ejus propugnaturos.* Poſt prima iſta officii libamina tres ſanxerunt leges † quarum una Ducem Monumethenſem *majeſtatis* damnavit, in reliquis duabus, gliſcentis jam ſeditionis atrocitate ſubacti plurium annorum vectigalia certis mercibus impoſuere.

* Vid. verba noviſſ. Joh. Hicks in novo martyr. ut dicitur, pag. 44.

† Jun. 16.

Verùm ut alio argumento mendacia illorum probabiliter convincam feſtino ad illud quod poſtremò breviter tractandum propoſui, *de ſuperiorum temporum conſuetudine in principum injurias animadvertendi.*

Si priſcis temporibus antè reformatam religionem, dum ſacrorum & altarium communione homines inter ſe junxit Chriſtiana religio, ſola *libertatis* & *legum* pericula, cum nullus eſſet locus cauſandi religionem, haud minores offenſiones Britannis in Reges accenderunt, quidni imaginemur populum & nunc etiam, in extremo legum diſcrimine ac dimicatione fortunarum ſuarum, etiamſi omnis querela religionis abeſſet, pari ſimultate in Regem accenſum iri? haud cuipiam illud ignotum eſt qui hiſtoriarum monumenta leviter delibaverit, idem ingenium hominibus in eâdem regione per

per plura ſæcula innaſci. Id videre eſt in Gallorum gente, in quibus indoles hodierna atq; animorum impetus haud ab indole iſta diſcrepat, quam Jul. Cæſar olim in illis obſervavit. Et in noſtra etiam gente ex Tacito exemplum occurrit ad hanc cauſam accommodatiſſimum. *Ipſi Britanni*, inquit ille, *delectum, ac tributa, & injuncta imperii munera impigrè obeunt, ſi injuriæ abſint: has ægre tolerant, jam domiti ut pareant, nondum ut ſerviant* *, ingenii iſtius manifeſtoria veſtigia multis pòſt ſæculis apud illos comparuerunt, cum nimirum poſt Normannorum victoriam, injuriarum & ſervitutis pertæſi arma pro libertate ſæpius capeſſerunt.

* Vid. Tacit. in vitâ agricolæ ſect. 13.

Quorſum hæc ſpectent lector facile percipiet, ut nimirum *magnæ hujus converſionis* invidiam à religione amoliar, cum ex rebus geſtis ſuperiorum temporum probabiliter monſtravero Regem eàdem fortunâ uſurum, quâ nunc utitur, etiamſi nos omnes iiſdem ſacris ſociati eſſemus. Nimia lectorum animi lectionis tædia ſubirent, ſi multus forem in recenſendo defectiones & tumultus quos à *Gulielmo conquæſtore* (ut dicitur) ad tempora *Henrici octavi*, ſub cujus imperio *religio reformata* emergere cœpit, Angli pro *patriis legibus* & *libertatibus* fecerunt. Non ſolum magnates regni principem, quotieſcunq; poteſtate ſuà contra *fidem ſacramenti* ad legum everſionem abutebatur, bello laceſſitum ad ordinem & novam pactionem ſigillo magno Angliæ firmatam, redigerunt, atq; ſæpius regno orbarunt; verum & Eccleſiæ præſules & clerus ferme omnis cauſam regni, non contra Regem ſolum, verum & Pontificem Romanum etiam Regiæ libidinis adminiſtrum, propugnare conſueverunt. Omnes ferme principes *originis Normannicæ* per varias ſucceſſiones hujus rei fidem nobis faciant. Quemadmodum etenim

etenim ſucceſſores omnes *Gulielmi victoris* (qui de legibus ſervandis fœdus cum Eccleſiæ præſulibus & proceribus regni percuſſit, idq; jure jurando ſæpius firmavit) unico tantum excepto,* qui impuber regnum adiit, conceptis verbis in *leges terræ* jurarunt: ita Eccleſiæ præſulibus & nobilibus moris erat res à Regibus contra ſacramenti religionem geſtas ad normam atq; inſtituta legum exigere. Sic nimirum propter violatas *leges patrias* in Gulielmum Rufum gravi morbo laborantem ſeditio commota erat, atq; (ut author nobis eſt Matth. Pariſienſis †) maxima pars Dynaſtarum una rabie conſpiraruntEadem de causà, cum *Robertus* maximus natu filius VICTORIS, contra Henricum primum fratrem ſuum exercitum conſcripſit, magna pars exercitûs ad Robertum tranſivit, quia, ut idem Pariſienſis ait ‖, REX JAM TYRANNIZAVERAT. Et cum *Stephanus* Archiepiſcopus Cantuarienſis *Henrici primi* CHARTAM invenit *. proceribus ita locutus eſt, Hæc eſt charta, *per quam, ſi volueritis, libertates diu amiſſas poteritis ad ſtatum priſtinum revocare* †, chartà in arrectis omnium auribus perlectà, gaudiis inopinis ſtatim exultarunt, atq; Archiepiſcopo coram ſtanti dixere *ſacramentum*, ſe quam primum tempus amicum, & tantis opportunum cœptis adeſſet, omnia pro libertatibus iſtis pericula adituros. *Archiepiſcopus vero* (verbis utor M. Pariſienſis) *promiſit eis fideliſſimum auxilium ſuum pro poſſe ſuo, & ſic confœderatione factâ inter eos colloquium ſolutum eſt* ‖. Cum *leges* iſtæ Johanni

* Henrico ſexto qui nonum menſem agens regno potitus eſt.

† Matth. Pariſ. pag. 10.

‖ Pag. 40.

* Anno 1213.

† Matth. Pariſ. pag. 167.

‖ Matth. Pariſ. ibid.

hanni Regi diu neglectui erant, *Petierunt quaſdam libertates & leges Regis Edvardi, cum aliis libertatibus ſibi, & regno Angliæ, & Eccleſiæ Anglicanæ conceſſis, confirmari, affirmantes quod niſi Rex illas incontinenti concederet, & ſigilli munimine confirmaret, ipſi per captionem caſtrorum ſuorum, terrarum & poſſeſſionum, ipſum Regem compellerent, donec ſuper præmiſſis ſatisfaceret* *. Argumenta *Chartæ* iſtius Archiepiſcopus cum Rege communicavit, & cum ille ab ejus obſervatione ſe alienum oſtendit, arma ſtatim capeſſerunt, *Et miſerunt literas ad Comites, Barones, & milites illos qui adhuc per Angliam Regi fide adhærere videbantur, exhortantes eos cum comminatione, ut pro libertatibus & pace regni immobiles ſtarent, & efficaciter decertarent* †. Poſt auſum illud Rex *Baronum viribus impar, libertatum* illis copiam fecit, eaſq; per *Chartam* confirmavit ‖, atq; ex eo contigit, quod quemadmodum Henricus Knightonus ait, *In ejus tempore fuerunt proviſi articuli Magnæ Chartæ ad communem profectum regni* *. Et cum Papa deploma ſuum in Angliam miſit, ut *Chartam* iſtam antiquaret, **NOLUERUNT DESISTERE AB INCOEPTIS** †, nec Barones aut Eccleſiæ Præſules illud morabantur, quod à cœtu piorum propterea abacti eſſent ‖.

* Verba ſunt Pariſienſ. Ibid.

† M. Pariſ. Pag 177.

‖ Original. iſtam chartam, quæ nunc eſt in manibus Epiſcopi Sariſbur. ego vidi.

* Hen. Knighton, pag. 2424.

† Matth. Pariſ. pag 186.

‖ M. Pariſ. pag. 192.

In rebus apertiſſimis nimis forem longus ſi negotia & pericula ſigillatim memorarem, quæ Epiſcopi & Barones *Henrico* Tertio, filio & ſucceſſori ejus, propter malam reipublicæ adminiſtrationem, & vim ab illo

libertatibus illorum & *Magnæ Chartæ* illatam, jampridem faceſſerunt. Sub illius imperio iſta querimonia erat, *Judicia committuntur injuſtis, leges exlegibus, pax diſcordantibus, juſtitia injurioſis* *, atq; hæc omnia in Jac. Regis imperio manifeſta erant. Inter cæteras injurias Archiepiſcopus & Suffraganei ejus queſtus acerbos effuderunt propter periculoſam iſtam neceſſitudinem quæ inter Regem & *Petrum Wintonienſem* alienigenam, unà cum *Petro de Rivalis*, interceſſit. *Timendum eſt, inquiunt, tam de vobis quam de regno, cum videamini magis eſſe in eorum poteſtate, quam ipſi in veſtrâ* †, etiamſi verba iſta aptè in Regem noſtrum quadrarent, cujus voluntas *Jeſuitis* & *Gallis* in omnibus erat addicta, manſuetudo tamen Anglorum moderatione illorum clarior in Regem emicuit. Eccleſiæ etenim Præſules Regi excommunicationis pœnâ minitabantur ‖, & Proceres profitebantur palàm quod niſi *Wintonienſem* cum Pictonibus ejus regno abigeret, *Ipſum cum iniquis conſiliariis ſuis à regno depellerent & de novo Rege creando contrectarent* *.

* Matth. Pariſ. pag. 263.

† Matth. Pariſ. Pag. 271.

‖ Matth. Pariſ. pag. 272.

* Matth. Pariſ. pag. 265.

Haud me patitur compendium illud, quod in hoc opere ſcriptis facere neceſſarium duxi, hujuſmodi exempla innumera ſcriptis tradere quæ majores noſtri poſt Normannorum appulſus inſtituerunt. Sub pluribus Regibus ſæpius ad ſeditionem ventum erat, quoties dominatio ſuperbior impotentiórque rempublicam à metu ſervitutis defendendam fuiſſe admonuit. Et ſæpius quidem ſeditionis incurſio iſta non antè deflagravit, quam Regibus abrogatum imperium eſſet. Id

videre

videre erat in Edvardi ſecundi calamitate. Ille, Jacobi Regis ad inſtar, repudiatâ ſenatûs authoritate & adhibitis in conſilium pravis conſultoribus, quorum ad arbitrium & nutum totum ſe finxit & accommodavit, adeo impotentiâ ſuâ civium animos in ſe accendit, ut *Ordines regni* imperium ipſi abrogarent, & filii ejus *Edvardi* Tertii capiti diadema in conſpectu patris imponerent. Richardus Secundus Edvardi Tertii ſucceſſor, ſimili cum Edvardo Secundo fortunâ uſus eſt, ille etenim cum *libertate* ſibi conceſſâ à populo, contra *fidem* ſacramenti ſui, ad everſionem legum uteretur, univerſis Ordinum regni aſſenſionibus regno orbatus erat. Simile fatum *Henrico* Sexto mala reipublicæ adminiſtratio accerſivit.

Velim lector exiſtimet me non hæc perinde loqui quaſi incenſi populi inflammata contra Regem ſtudia in illorum laudibus ponenda cenſerem. Noſtri haud illud inſtituti eſt indulgere hominum furoribus, & civium rabiem contra Regem armare. Res tunc contra Reges pro libertate geſtas ſimpliciter tantum refero ſine ullâ laudis aut vituperii animadverſione & cenſurâ, ut videant homines quibus calamitatibus olim, antequam in diſcordes religiones itum eſt, affectata poteſtas *autocratorica* Principes obruebat. Atque ſi idem nunc populo Anglicano ingenium inſit, ſi legum & libertatum pericula, quæ nuper manifeſtiora erant, quàm ſub quopiam è Principibus ſuperiùs memoratis, illorum iram aſperârunt, viris cordatis, ſpero, haud æquum videbitur, iſtius rei culpam in religionem inclinare. Et ſi priſcis temporibus antequam Proteſtantes ſeceſſionem à Romanâ Eccleſiâ fecerunt, non omnes ſolum Laicorum ordines, verum Eccleſiæ Antiſtites Regi in civium libertates involanti regnum abrogare fas habuerunt, Romano-Catholici non religioni nunc vitio vertendum putabunt, quod Angli, poſtquam Rex (qui afflictâ reli-

gione, convulsâ republicâ, turpi fœdere cum Galliarum Rege percuſſo, in populares ſuos & peregrinos peſſima quæque conſuluit) regno ſe abdicavit, Principem rerum noſtrarum potentem fecerunt, qui non ſolum à Clientelâ ſuâ, verùm & reliquis Europæ gentibus potis eſt ſervitutem prohibere. Callidus iſte *Jeſuita*, de quo paulò antè mentionem feci, tanti *Principis* auxilium ſociis gentibus invidet. Ille ſtudio Galli correptus, ut initas inter nos amicitias diſſueret, & ſe labentium nunc rerum Gallicarum *Statorem* ita præſtaret, graves de aleâ religionis querelas apud Romano-Catholicos excitavit. Inde eſt quod Catholicorum, poſt abrogatum Jacobo imperium, in percuſſo nobiſcum fœdere perſeverantiam, graviùs inſectetur *. Inde eſt quod ſalutare illud fœdus factam contra Deum & Meſſiam ejus conjurationem appellet †. Ille Gallici Britannicique Regis zelum erga Deum & Eccleſiam Catholicam plurimâ prædicatione ideo effert, ut credulis perſuadeat religionis decus & columen ab illorum dominatu pendere. Ne prædicatio iſta fidem apud religioſos obtineat, operæ pretium erit palàm mortalibus facere qualis iſte zelus fuerit.

* Vid. Pere d' Orleans ubi ſupra, pag. 414.

† Vid. Pere d' Orleans ubi ſupra, pag. ult.

Quod ad Galliarum Regem attinet, notum eſt omnibus qualiter ille tempore ab illo quo compertum habuit ſimulatum illud ſtudium religionis viam patefacturum illuſtrem & latam ad gloriam, apud exteros omnes eorundem cum illo ſacrorum conſortes gloriari conſuevit, *Se non proferendi imperii cupiditate, aut gloriâ bellicæ laudis, ſed officii religione, & causâ Dei compulſum laceſſere bello*, & tentare *finitimos populos*. Iſtud pietatis velum cœptis prætexuit, cum in Belgicas ‖ *Iberici Regis* provincias ‖ olim

‖ Anno 1667.

olim incurſionem & armorum impetum fecit. Zelum etiam in Eccleſiam Catholicam quadriennium poſt * ſimulavit, cum in ſuperiori bello *Belgico*, à quo noſtrorum malorum omnium exordium deſumendum eſt, cum ille & Britanniæ Rex Batavorum Rempublicam diruturi erant. Pontifici tunc Romano, Cæſari Germanico, atque aliis, quos à Batavorum amicitia & auxiliis abſterrere voluit per legatum ſuggeſſit, *Batavos gentem virorum fuiſſe, qui à Deo in pravam hæreſin defeciſſent; quapropter*, inquit, *omnes Chriſtiani Officii religione tenentur ſociatis viribus bellum ipſis navare, ut convellant rempublicam, penitúſque auferant ex ſedibus ſuis, & Deum etiam continuis precibus obteſtari, ut tam piis incæptis fortunam ſecundam & felicem exitum concedere dignaretur.* Major adhuc *Galli* pietas memoranda eſt, & clarior opera Deo, & religioni catholicæ navata. *Perpetuum atque irrevocabile edictum Condivici* † olim latum, ſacramentorum religione, edictis quam plurimis, atque aliis votorum ſponſionibus plus vice ſimplice ſancitum pio non ità pridem edicto, ineunte Jacobi Regis imperio ‖, reſcidit. Et, ne forte videretur ſuæ inſervire ambitioni, & factum tempori accommodare *, Deum in iſto edicto teſtatur, *Sibi à regni primordiis, conſilium iſtud obſtinatum conſtitiſſe, religionem Proteſtantium, quos injuriis opportunos, fœderum & amicitiarum exſortes ſemper exiſtimavit, penitùs abolere; neque ſe alio animo ab iſto incæpto hactenus deſtitiſſe quàm ut tempus tanto opportunum negotio adipiſceretur.* Profitetur etiam, *Se non aliâ de causâ in Proteſtantium gratiam edicta in populum ſæpius iterâſſe, res ab illis præclarè geſtas*

* Anno 1671.

† Edict of *Nants.*

‖ Anno 1685.

* Jacobus etenim paulo ante regnum Angliæ obtinuerat.

faſtis Parlamentariis conſignandas tradidiſſe, & plurimis commiſiſſe præcipua militiæ & reipublicæ munia, quam ut palpum ipſis obtruderet, & lætatos vanâ ſpe deciperet *.

* Vid. Edict. illud anno 1685.

Præclaram hanc *Galli* pietatem, Jeſuita †, Anglorum genti infenſiſſimus, ſummis laudibus effert, atque eam eſſe ſimulat, propter quam Romano-Catholici, ruptis fœderibus, arma cum *Gallo* contra nos conſociare debeant Fruſtra verò verſutus ille orator ſimplici mortalium credulitate abuti conatur; omnibus etenim jampridem Romano-Catholicis innotuit, quæ pericula oſtentatus iſte *Galli* zelus orbi Chriſtiano faceſſivit. Quo cultu, quâ obſervantiâ ipſum Chriſtianum nomen habere arbitrabimur, qui ſignum crucis poſthabeat *Mahumetis* vexillo; qui cum *Turcarum* Imperatore fœdus percuſſit; qui pretio ſolicitavit animos infidelium, ut Cæſari Germanico bellum moverent; atque ita in causâ erat, ut de Chriſtianâ religione in obſidione Vindobonæ || ſemel trepidatum ſit. Illius etenim blanditiis delinitus & corruptus *Turca*, *præter Gentis conſuetudinem*, pactam cum Imperatore fidem violavit, ſignaque contulit contra *Imperii* ſedem, & munitiſſimum Europæ adverſus barbarorum incurſiones propugnaculum. Quis opinabitur res ſpirituales, *niſi in ordine ad temporalia*, *Gallo* curæ eſſe, qui cum animo ſuo cogitet, quam vehementer atque animoſe zelum domi oſtentabat, atque variis cruciatuum generibus Proteſtantes ſubigebat, *Sectæ* ſuæ dogmatibus nuncium remittere, & in patentes Eccleſiæ ulnas redire, eodem tempore, quo in *Germaniâ* & Hungariâ Proteſtantium cauſam fovebat, atq; autor erat illis comitis *Tecelii* * fortunam ſequi, &, conſociatis

† Pere d' Orleans.

|| Viennæ, anno 1683

* Count *Tekely.*

ciatis cum *Turca* viribus, violatæ religionis vindicias ab imperatore Germanico poſtulare. Propter ejuſmodi dolos Poloniæ & Conſtantinopoli fabrefactas notiſſimum eſt Pontificem Romanum Fourbinum * in Cardinalium collegium cooptare obſtinatè aliquandiu aſpernatum fuiſſe. Penès itaque lectorem judicium eſſe velim utrùm oſtentatus iſte Galli in Eccleſiam zelus à Romano-Catholicis tanti ſit æſtimandus, ut illi, repudiatis, quibus nobiſcum impliciti ſunt, neceſſitudinibus, non ſolùm *Gallo* facilem ità in ſemetipſos victoriam ultrò deferrent verùm committerent etiam ut *Mahumetani* de Chriſtianis triumpharent.

* *Cardinal* Fourbin.

Quemadmodum affectatum *Gallo* religionis ſtudium ambitionis planè erat manifeſtum: ita opera iſta Eccleſiæ navata, propter quam Jeſuita † Jacobum Romano-Catholicis venditat, præbuit pleriſque plus quam ſuſpicionem ſimilis ambitionis. Ne verò inconſultè nimis illud proferre videar, atque eo pacto in ſacroſancta Regum capita humani generis invidiam non ſine ſummâ injuriâ concitare, paucis dicendum eſt quibus argumentis, quâ auctoritate & fide auctoritatem noſtram communire poſſimus.

† Pere d'Orleans.

Comes Shaftsburienſis olim in nobilium ſenaculo, Rege coram ſedente, pronunciavit, *Ducem Eboracenſem ideo religionis pronunciam remiſiſſe ut eo pacto potentem factionem ad partes ſuas traheret* ‖ Cum hac oratione alterius verba congruunt in epiſtolâ quâ *Ducem Eboracenſem* monuit, ut in Proteſtantium communionem pedem referret. *Quodnam*, inquit, *judicium de iſtâ defectione gens humana latura eſt cum in iſtius cogitationem inciderit? annon iſta erit communis hominum opi-*

‖ Vid. Shafesbur. orat. in habeas polit. par. I. pag. 463.

nio te novam religionem complecti, non venuſtate ejus captum, verùm ABSOLUTI regni promiſſionibus inductum, & delinitum illecebris poteſtatis autocratoricæ, quam tandem aliquando veſtris amplexibus oblatura eſt? Poſtea ipſum ſubmonuit, *Ut caveret ne Gallici imperii ſplendore captus jura & libertates Anglorum ſub jugum mitteret, atque optimam ita reipub. formam convellere niteretur, quod omnibus Normannicæ ſtirpis Regibus fatale ſemper erat.* Illud etiam ſuggeſſit *ipſum Johannis Regis exemplum ſecutum fuiſſe, qui in Mahumetis religionem tranſire præoptavit, quam non ulciſci* BARONUM *audaciam, à Regis injuriis ſemet in libertatem aſſerentium* *.

* Vid epiſt. iſta in quinta chartar. collect.

Epiſtola iſta, neſcio quidem à quo ſcripta, conſilia Regis in brevi complectitur. Huic ſententiæ illud planè aſtipulatur quod à luculento authore ſcriptum reperio. Liber iſte circa finem ſuperioris *belli Belgici* lucem obtinuit, cujus pretium illud apud me accendit, quod author Romano-Catholicæ religionis cæremoniis innutritus, atque eo pacto (ut ipſe ait) conſiliorum omnium quæ noſtram rempublicam ſpectârunt, in Gallia particeps, & ſocius, & adjutor factus, tandem patriæ cari ate victus ſtudium vehemens in omne genere officii, & ſervitute præſertim amoliendâ ipſi profiteatur. Quod igitur ab illo ſcriptis traditur verbum de verbo reddam. *Quoniam*, inquit, " Gallicæ in Anglicâ Aulâ factioni perſpectum erat, non " eâ ſe authoritate valuiſſe, ut ſtudia hominum in partes ſuas contra communem utilitatem traherent: " idcirco cauſa religionis illis obtentui eſſe cœpit; & " quoniam illud omnibus ſatis erat exploratum frequentem in Anglia Romano-Catholicorum multitudinem reperiri, in quibus zelus inſignis cum inſigni " rerum divinarum inſcitiâ conſpicitur, idcirco *Dux Eboracenſis* nomen ſuum in Eccleſiæ Romanæ album " retulit,

" retulit, atque illud in luce & palàm eſſe poſtea per-
" miſit ; quod tamen non prius fecit quàm res felici-
" ter à Gallo geſtas in bello noviſſimo cernebat, &
" claris tunc indiciis certior
" erat factus, confœderatas
" copias, niſi Anglorum auxi-
" liis adjutas, viribus ejus im-
" pares fore *.

* Vid. libel. cui titulus Europa captiva niſi Anglia vincula ſolverit, pag. 55, 56.

Verba iſta cauſam commemorant quæ Ducis Eboracenſis expugnavit animum ipſumque in Romano-Catholicorum caſtra tranſire ſubegit.

Quo pacto hoc contigit faciliùs animo capiet qui ſecum contempletur, Galliarum Regem qui ſummum Europæ imperium ſpe & opinione jampridem devoravit, gentium omnium naturam perpetuò ſpeculari, & ad principum populorúmque ingenium conſilia ſua diligenter accommodare, inter prima conſiliorum illud in Britannià habet rumorem iſtum in vulgus ſpargere REGEM ROMANO-CATHOLICÆ RELIGIONIS RITUS AMPLECTI. *Hoc pacto*, inquiunt, *civium diſcordia gliſcere incipiet, & gravior de Rege ſuſpicio illis incidet* †. Quod in Anglià à Galliarum Rege ad gloriam nitente præ aliis rebus curandum eſſe inter Cardinalis *Richelæi* & *Mazarini* dogmata politica traditur ‖.

† Vid. Politique de France in tract. polit. par. II. pag. 60.

‖ Vid. Diatrib. de conſiliis Gallic. in tract. polit. par. I. pag. 61.

Qui invidiam Regi apud populum propter Romano-Catholicæ religionis ſtudium conflare nitebantur, ex adverſo Regis inſerviebant auribus, atque illud ſæpius ipſum admonebant non aliud quippiam ipſi magis fuiſſe exoptandum, qui glorioſum domi imperium aucupabatur, atque legum repagula convellere animo deſtinabat, quam ut in Romanæ Eccleſiæ verba palàm juraret, inde evenit quod Gallici Regis adminiſtri,

miniſtri, atque illi omnes, qui libertati noſtræ inſidias ſtruxerunt, huic ſententiæ fidem haud dubiam dedere.

QUOD NIMIRUM PRORSUS IMPOSSIBILE ESSET IMPERIUM DESPOTICUM NISI UNA CUM ROMANO-CATHOLICA RELIGIONE IN ANGLIAM INVEHERE *.

* Vid. Relat. rerum in comit. parlam. geſtar. in tract. polit. par. I. p. 34.

Haud difficile eſt pluribus argumentis idem probabiliter monſtrare. " Clanculum etenim in Eccleſiam Romanam transfugit, non adhibitis prius in " concilium reformatæ religionis propugnatoribus, " nec diſceptatione quavis eâ ſuper re habitâ eodem " tempore quo Romano-Catholicus erat nomen illud diſſimulavit, & non precum tantum, verùm ſacramentorum etiam communione inter Proteſtantes " uſus eſt; & quod generoſum, multo magis Regem " dedecebat Chriſtianæ religionis zelo ardentem, homines judicio accerſivit per breve illud quod nos " SCANDALUM MAGNATUM dicimus, eoſque grandi pecunia mulctavit, non propter aliud crimen, quam quod familiari colloquio ipſum Pontificium fuiſſe dicebant †. Præterea ſectarios omnes non toleravit tantummodo, verùm & publico etiam *edicto* contra legum ſanctimoniam *conſcientiæ* libertatem illis indulſit. Hoc vero, neutiquam credo, feciſſet, ſi eo, quem *Jeſuita* ſimulat, zelo in Eccleſiam revera præditus eſſet, quoniam haud ignoravit Pontificem Romanum in *ſtatis* & *anniverſariis ſacris* principibus omnibus hæreticorum fautoribus anathematum diras Romæ imprecari. Quapropter in literis quas *Scotiam* miſit ad Presbyteros imperia Eccleſiæ detrectantes ‖, quibus propter indultam *conſcientiæ* libertatem gratiam ab illis initurus

† Vid. Imperii hujuſce vindic. pag. 8.

‖ Quos Non-conformiſtas dicimus.

initurus erat, profitetur *se id contra morem & consuetudinem aliorum Regum Catholicorum fecisse.* Meâ quidem sententiâ quod præter instituta & rationem Catholicorum Regum factum est id Catholicis omnibus suspectum esse debet. Humanitatem istam ad Gallicum exemplar plane accommodavit. quemadmodum etenim Gallus, ut Reformatorum Germaniæ Principum studia sibi meliùs conciliaret, atque eo pacto omnia virtuti & cupiditati suæ pronas ibi redderet, *Schombergum*, *Ranſavium*, atque alios magni nominis *Proteſtantes*, militiæ præficere consuevit *, deditque operam aliquandiu ut religionis reformatæ & Romano-Catholicæ Dynastas æquabili amicitiâ complecti videretur †; ita Rex Britanniæ *sectarios*, ut dicuntur, beneficiis cumulavit ut illorum animos ad benevolentiam alliceret, iisque ambitionis suæ administris uteretur.

* Vid. Imperator. & imper. prodit. p. 94, 95.

† Vid. ſcutum politiæ & juſtitiæ, p. 295.

Quæret itaque lector quo pacto Reges potentissimi in ostentato isto zelo spem tantam majestatis amplificandæ sibi propositam haberent? responsio quidem facilis est, Quis est qui non videat Regi nostro causæ Catholicæ fidelem operam tribuenti, & *Hæreticis* calamitatem molienti non fausta solummodo religiosorum, ubique gentium, vota; verùm & sociata etiam Catholicorum principum arma speranda fuisse, & quod ad Galliarum Regem attinet, consentaneum existimavit, ut qui lymphatâ mente in Ecclesiæ hostes insanivit, & Regis Britannici labantem animum ad idem faciendum confirmavit, ex isto facinore Catholicorum omnium favorem emereretur, atque illi studiis ardentibus ad ejus statim vexilla concurrerent, opemque ipsi ferrent, non ad Proteſtantes solùm, verùm & Catholicos etiam principes debellandos qui tam pii Regis incœpta glorioſa oppugnatum irent.

Consilia

Conſilia iſta, quibus pietatis velum obduxere, Romano-Catholici principes ſatis habuere comperta: Innocentius XI Pontifex Romanus non ſolum itaque graves ſimultates cum Gallo geſtit, atque animam jamjam exhalaturus extremo ſpiritu circumſtantes Cardinales obſecravit ut in ipſum ſe inimicos gererent *. verùm & Regis etiam Britannici incœpta omnia ad ſuam ipſius & Gallici Regis ambitionem pertinuiſſe exiſtimavit.

* Vid. Vindic. hujus imperii, pag. 44.

Haud obſcurum illud erat Papæ quod author ſummâ obſervantiâ dignus pridem obſervavit *Jeſuitas ubique gentium Galli partibus ſtudere haud aliter quam à factione Hiſpanorum olim ſtabant* †. Nec ignorabat Regem Britanniæ iſti virorum *ſectæ* ſe non ſolum addixiſſe, verùm veneficiis illorum imbutum voluntati Galli in omnibus obſecutum fuiſſe. Ex eo contigit quod *Caſtlemaniæ Comitem* honorificum ejus legatum non eo honore excepit qui tam magnificæ & ſumptuoſæ legationi debebatur ‖; novit nimirum quo pacto omnia in Anglia Jeſuitarum conſiliis ita regebantur, ut quæ angli arant, navigant, ædificant Galli ambitioni parerent. Vidit legatum Britannicum iis conſultoribus Romæ uſum fuiſſe, atque idcirco *patrem Morganum* callidum Jeſuitam, qui in legati conſuetudinem atque amicitiam ſe nimis inſinuaverat, ab urbe Româ diſcedere juſſit, ne conſultationes illorum veneno Jeſuitico perfuſæ, peſſum irent *. Apertas ſimultates, quas Jeſuitarum factio cum *ſedis Apoſtolicæ legato*

† Vid. Gul. Templi ſpeculum imperii Sueciæ, Cimbriæ, &c. cum reſpectu ad Angliam, anno 1671, pag 7.

‖ Vid. Vindic. hujus imperii, pag 3.

* Vid. Inter Doctor. Burnetii nunc epiſc. Sarisbur. chartas 18, chart. 1. pag 3.

legato in Anglià geſſit *, *venerandus ſenex* ægris oculis inſpexit; nec æquo animo tulit inimicitias quas Rex noſter Jeſuitarum gratiâ Romæ cum illo ſuſcepit †. Ex intempeſtivâ iſtâ indulgentiâ in Jeſuitarum *ſocietatem* tunc cum libertati Europæ Gallus inſidias ſtruebat, atque aliis claris indiciis collegit, quonàm Britannici Regis zelus ſpectabat, quas calamitates Europæ brevi arceſſeret, quapropter ut Regem noſtrum dum imperio fruebatur, non niſi frigidà amicitiâ, eàque continuis ſuſpicionibus, & variis ſimultatibus notatà complectebatur: ita exoptatiſſimum diminutionis ejus nuncium lætus accepit.

* Vid. Conſil. datum ſuper abrogand. legibus pœnal. pag. 52.

† Vid. Repræſentat. periculor. nobis imminent. in tract. polit. par. II. pag. 389.

Manifeſtum eſt *Cæſarem Germanicum* in eadem fuiſſe ſententiâ quâ Pontifex Romanus: quando etenim poſt *abdicatum* imperium, *Jacobus Rex* oravit ut adhiberet fortunis ejus miſericordiam, quarum unicam cauſàm in *Catholicæ religionis* ſtudium conjecit; imperator ita reſpondit, *Res ejus etiamnum in loco incolumi fore, ſi modo ablegati ejus monitis* ||, *non perfidis Galli blanditiis & aſſentationibus faciles advertiſſet aures, atque auctoritate & armis interpoſitis, Gallum à pace & fœdere violando prohibuiſſet, cujus, per TRACTATUM NOVIOMAGENSEM, ipſe arbiter conſtitutus erat. Nunc,* inquit, *quo pacto vos auxilio juvare poterimus, qui neceſſe habemus Gallorum ſimul & Turcarum impetus ſuſtinere, quique de Angliæ fide & auxiliis non dubitabant. Maxima religioni noſtræ injuria à Gallo erat illata, qui cum Turca, acerrimo CRUCIS hoſte, fœdus percuſſit* *.

|| Comitis de Kaunitz.

* Vid. Imperator German. epiſtol. in 12°. chartar. collect.

Ex

Ex his itaque videre est *Jesuitam* istam *, qui *Jacobi* & *Ludovici* zelum in Deum, & Ecclesiam, summoperè prædicat, atque author est *fœderatis* nostris ut, aleam religionis miserati, se à nostra ad illorum amicitiam aggregare vellent, perinde facere, ac si Catholicos moneret, ut, renunciatâ principis necessitudine qui morientem libertatem nobis omnibus restituit, in *Regum* partes transirent, qui non solùm Europæ servitutem imponere statuerunt, verùm causam *infidelium* etiam contra Christianam religionem foverunt.

* Pere d'Orleans.

CAP. II.

Complectens Populi offensiones in Regem propter fœdus amicitiæ cum Galliarum Rege percussum.

REfutatâ Jesuitæ † calumniâ qui rerum invidiam contra Jacobum Regem in Anglia gestarum in *religionem* contulit, querimoniæ populi nunc ordine memorandæ subeunt, ut omnes *Jesuitæ* istius fidem perspectam habeant, qui versutus ingenii, & accendendis offensionibus callidus, Pontificiis ubique gentium persuasum eat, *Jacobum Regem*, virum æqui servantissimum, Regis optimi officium per totum imperium impleviſſe. Quamprimum ego incœptorum ejus seriem & causas diligenter explicavero, nullius dubito quin cordati lectores Regis diminutionem, quam plurimi Jesuitarum mendaciis lusi, ægrè nunc ferunt, facillimè patientur. Quis etenim est tam iniquus rerum

† Pere d'Orleans.

rum æſtimator, tam civili communitati gravis, qui non illud mihi libenter concedet licitum eſſe *populo libero* ſuis conſulere rebus, atque illarum gubernaculum alteri tradere, poſtquam *Rex politicus*, legum nimirum vinculis impeditus & conſtrictus, everſis legibus, atque ita *communi regni ſponſione*, & primævo *pacto* violato, non ſolum ſuorum libertati modis omnibus inſidias ſtruxerit, verùm tandem etiam regno ſe ſponte *abdicaverit*. Si unicum illud mihi lector aſſentietur, tunc facile erit *ordines* Angliæ à Jeſuitarum calumniis prohibere; illi etenim non imperium Regi abrogârunt, verùm *Summum Imperium*, quo non aliâ de causâ poſt afflictam religionem & convulſam rempublicam, abire voluit, quàm quòd res noſtras pro arbitrio ſuo adminiſtrare nequiverat, *Arauſionenſi* tradiderunt; id ipſum eſt quod in priori hoc libello perſpicuum lectori facturus ſum. Luculenter, Deo juvante, monſtrabo, Jacobi Regis molitiones univerſas eò ſpectaſſe, ut primævam noſtram libertatem quæ legibus æquis, & ſacroſanctâ Senatûs authoritate continetur, funditùs everteret, & non ſolùm res noſtræ illius arbitrio regerentur, verùm ut *Gallus* etiam, ſummum Europæ imperium obtineret.

In hoc munere fungendo non omnia à Rege contra legum ſanctimoniam, & ſalutem populi commiſſa ſigillatim literis conſignaturus ſum, quoniam id nimis lectori moleſtum foret.

Noſtri id tantummodo inſtituti eſt præcipua rerum capita cum illarum cauſis memorare; atque in hoc libro tanquam in ſuculento diagrammate intima machinationum omnium artificia depingere.

Ante reliqua Regis cœpta, quæ omnium *ordinum* offenſiones in illum accenderunt, vetuſta conjunctionis neceſſitudo, quæ inter illum & Galliarum Regem interceſſit, referenda eſt, quoniam in eâ amicitiâ inſtar omnium molitionum erat, ad noſtram & aliorum

libertatem

libertatem evertendam. Ex illorum conjunctione, quæ eo uſque proceſſit ut ad Galli conſilium & auctoritatem noſtra reſpublica diu revocata fuerit, facile eſt ſervitutem nobis deſignatam claris veſtigiis indagare.

Omnes, credo, id in confeſſo habebunt, Regem qui apud animum ſuum ſtatuit, de legibus patriis & libertatibus civium triumphare, teneri neceſſariò (ſi modo civium pars longè maxima ſtudia gerant ab incœptis ejus aliena) exterorum pellicere auxilia, & illorum viribus inniti. Nec illud, arbitror, inficiabuntur, principem, qui contra civium & ſenatûs voluntatem, contrà etiam quam gloriæ ſuæ ratio admonet, fœdus cum peregrino principe percutit, iſtius fœderis adminiculo popularibus ſuis aut exteris gentibus calamitatem inſignem moliri; atqui Regis noſtri res ita ſe habuerunt, in mutandâ reipublicæ formâ & ſervitute accerſendâ, videbat ſibi cum obſtinatâ & pertinaci civium multitudine conflictandum fuiſſe. Ad Gallum itaque, reclamantibus licet popularibus ſuis, auxilii gratiâ confugit, cujus amicitiam, rebus ſic ſtantibus, nunquam coluiſſet, ſi facili & prono itinere ad veram gloriam, potius quam per civium ſervitutem, ire præoptâſſet. Quemadmodum etenim ſummi rerum humanarum *rectoris* providentia tulit, ut Anglia tum propter ſitum & potentiam regionis fata Europæ pro arbitrio ſuo regeret, ita Regibus noſtris illud olim præcipuè glorioſum erat, gentibus impotentioribus ſuccurrere, & robur cum illis ad frangendos hoſtium impetus conſociare *. Et ſicut illud pro primario axiomate noſtræ politiæ ſemper habuerunt, *res Europæ in æquilibrio conſervare*, ita in iſta dimicatione quæ inter *Hiſpanum* & *Gallum* de *ſummo imperio*

* Sic nos junctis viribus cum domo Burgundicâ Galliarum res olim affliximus, vid. provocat. Angliæ ab Albæ Aulæ conciliab. in tract. polit. par. I. pag. 2. Et

perio diu contigit, moris illis ſemper erat, auxiliis interpoſitis, provide cavere, nequa gens, alterâ devictâ, inter reliquos faſtigium teneret †: at poſteriori hoc ſeculo, poſtquam in regnum noſtrum dominationis immodicæ cupido invaſit, Aulici noſtri, diverſi à majorum inſtitutis, vetus illud iter gloriæ, & non noſtram tantùm verùm communem Europæ utilitatem deſeruerunt. Quo pacto hoc contigit, atque illi ſervitutem nobis & Europæ moliti ſunt fuſè latéque in hoc capite dicturus ſum.

diatrib. de conſiliis Gallor. in tract. polit. par. II. pag. 66.

† Vid. Domini Holliſii epiſt. ad Van Beuning. & colloq. de præſenti Angl. ſtatu, anno 1668. Edit. pag. 20, & 60.—

Neſcio utrum alia quævis res poſt Anglici fermè nominis memoriam reipublicæ noſtræ graviori probro fuerit, & majorem nobis apud exteras nationes infamiam inuſſerit, quàm violata cum ſociis gentibus, & conjuncta cum Gallo amicitia. Pudendum ſane eſt quod nos qui Normanniâ, Aquitaniâ, Vaſconiâ, Andegaviâ, aliiſque vaſtis provinciis in Galliis olim potiebamur, plurimáſque victorias ab illis reportavimus, in deforme illorum obſequium noſmet traderemus, nec aliud crederemus magis glorioſum quàm ut illorum furoris ſatellites facti, auxilio illis adeſſemus, ad noſtram & aliorum ruinam accelerandam. Qualiter hoc factum ſit plenius referendum eſt, quoniam fœderis & amicitiæ iſtius relatio populum Anglicanum omni ſtatim invidiâ levabit, cum non penes populum culpa eſſe deprehendatur, verùm illos qui rerum gubernacula tenuerunt, in quorum animis priſcum Anglorum decus & ſtudium reipublicæ plane exoleverat.

§. I. Fœdus Gallicum initio exponitur.

Haud difficile eſt temporis primordium inveſtigare, quo principatus noſter iſtis imbutus eſſe moribus cœpit,

quo latum *oceani* imperium *Sequanæ* permiſit, & abdicato rerum Europæ *Arbitrio* communem plurium gentium Salutem Galli ambitioni poſtpoſuit.

Haud obſcurum eſt, quod Scriptor luculenter ait, *Regem Galliarum tunc temporis, cum Populus Anglicanus REGIAM PROGENIEM* * *de exilio domum reduxit, illorum favore haud mediocriter imbutum fuiſſe* †. Gratia tamen iſta (qualis qualis inter Gallum & Ducem Eboracenſem tunc clanculùm conciliata erat) nondum publicè ſatis eſſe ſarta videbatur. Gallus etenim, quemadmodum paulo poſt reditum regiæ familiæ, *frigidam utrique genti ſuffundendo*, incendia lachrymoſi belli inter nos & Batavos apertè conflavit, ut mutuis vulneribus noſmet invicem attereremus. Ita cum uno atque altero maritimo prælio ſuperiores evaſimus, labantes Batavorum res ſuis viribus ideo refecit ‖ ut de manibus noſtris victoriam præriperet. Poſt faeinus illud Dynaſtæ noſtri viſi ſunt ſimultates cum Gallo gerere, & junctis cum aliis fœderibus ſpeciem præ ſe tulerunt, quaſi vim & furorem ejus à ſociorum cervicibus depellere vellent. Id brevi poſt videre erat, cum Gallus immemor Sacramenti ſui, & violatâ *Pyrenæi tractatûs* religione, Belgicas provincias quarum juri hæreditario Galliarum Regina inter pacta connubialia renunciaverat, poſt Hiſpaniarum Regis mortem iniquiſſimo bello in poſſeſſionem ſuam vendicavit. Baro de Iſolâ vir ingenioſiſſimus incurſionis tunc Gallicæ conſilium propriis coloribus adeo depinxit, ut æquo lectori ubique gentium juſta odia in Gallum concitaret, ipſumque ſtudia ſua in Hiſpanum conferre ſubigeret. Inter Aulicos noſtros magnâ tunc contentione actum erat utri genti nos opem ferre oporteret,

* Anno 1660.

† Vid. Characterem ambidextri [*a Trimmer*] cujus author Marchio Hallifaxiæ erat.

* Anno 1665, 1666.

oporteret, tandemque ea comprobata erat ſententia quam in iſto rerum articulo author eximius ſcriptis tradidit, *Majores nempe noſtros id pro dogmate ſuæ politiæ ſemper habuiſſe, quo reipublicæ ſalus fundatur, TENENDUM ESSE ÆQUILIBRIUM INTER HISPANIARUM ET GALLIARUM REGNA, quoniam*, inquiebat, *ſi Hiſpaniæ devictæ fuerint, ſimilis nos, quæ funambulos, fortuna verſabit, quibus libramentum deperditum inter ſingulos greſſus caſus periculum continuo minatur* *. Rerum itaque noſtrarum rectores, victi ratione, popularibus ſuis & peregrinis æquos ſe tunc præbuerunt, atque pro priſcis noſtræ neceſſitudinis cauſis Hiſpanum tunc fide & benevolentiâ complexi turpes Galli victorias in Belgio interpellaverunt. In medio quippe hoſtilis iſtius impetûs ardore, dum omnia in Belgicis *Hiſpani* provinciis Galli viribus prona cedebant, nos recentium belli offenſionum viſi immemores fœdus repentinum cum Batavis percuſſimus †. Sexto pòſt menſe *Triplex fœdus* inter Reges *Angliæ Sueciæque* & *fœderatos Belgas* paciſcebatur. Eodem anno ‖ alia pactione initâ *Aquis Sextiis* pax expotata inter Hiſpanum & Gallum conventa erat. Pacis iſtius coagmentatione Rex Britanniæ, indubitatâ peregrinorum omnium confeſſione unicus iſtius conciliator, ut immortalem ſibi gloriam ab exteris principibus reportavit, ita orbis Chriſtiani tranquilitatis haud dubius arbiter factus erat. Et quemadmodum vir clariſſimus refert, * *Penes illum fuit, vicinarum gentium robur & inſolentiam non mi-*

* Vid. Emolumentum Angliæ cum reſpectu ad conſilia Gallica, anno 1668, edit. pag. 20, 21.

† Anno 1667.

‖ Januar. anno 1668.

* Vid. hæc omnia in Gul. Temple *ſpeculo* fœderatarum Belg. provinciar. pag. 302, 303.

nus refrænare, quàm impotentiorum res adverſas ſublevare.

Hactenus itaque ſtudia noſtra Orbi Chriſtiano propalam ſalutaria eſſe viſa ſunt, & æquitatis, utilitatiſque communis lance res Europæ trutinare. Indoles verò longe diverſa, & quam ego, niſi ad levandam populi infamiam, neutiquam vulgarem, mox in Aulâ noſtrâ emicuit. Rex *Galliarum* etenim, quamprimum vidit *Regis Britannici* fœdera luſiſſe omnia illius bellica incœpta, & fruſtraneum ſibi fuiſſe, qui pacem modo hoſtibus dare coactus erat, ſummum imperium moliri ſtudio armorum depoſito, clandeſtinis colloquiis (quemadmodum vir rerum noſtrarum peritiſſimus pridem obſervavit) & blandis artibus negotia tractare incœpit *. Primum conſiliorum omnium illud ſtatim ſibi, poſt pactas inter confœderatos amicitias, conſtituit *TRIPLICIS FOEDERIS nodum ſolvere* †. Eo in vinculo noſtrî omnium ſalutem, haud ſecus quam Gordiano olim in nodo Phrygii imperii ſtabilitatem, poſitam fuiſſe novit. Gratuita populi in Regem benevolentia id efficiendi haud mediocre incitamentum extitit. Poſt *Triplicis* quippe fœderis ſanctionem, quod non ruentibus tantummodo Hiſpani rebus, verum nobis atque orbi Chriſtiano ſecuritatem præſtitiſſe crediderunt ‖, ordines regni adeo *inæſtimabili* gaudio emulati erant, ut quam primum ab *oratore regio* in purpuratorum ſenaculo fœderis iſtius mentio eſſet facta, varia ſtatim & gravia tributa populo imperarunt. Verebantur mehercule ne non illuſtri ſatis gratitudine tam immenſum Principis beneficium exciperent,

* Vid. Gul. Temple proſpect. conſtitit. & commoditatum Germaniæ, Sueciæ, &c. cum reſpectu ad Angliam anno 1671. pag. 36. —

† Vid. character ambidextri.

‖ Vid. Angliæ provocat. ab albæ Aulæ conciliabulo tract. polit. par. I. pag. 18.

perent, quapropter plus pecuniarum * illi tunc indixerunt poſt *belli Belgici* ſumptus recentes, quam unquam ferme prius Regibus tribuerant. Quid ergo ſuperfuit, *niſi* (quemadmodum diligens rerum tunc geſtarum ſpeculator obſervavit) *ut viri contra libertatem noſtram conjurati aucti pecuniis & tempus opportunum inde nacti, fœdus violantes, ſpectatiſſimæ erga Gallum fidei documentum exhiberent* †.

* Duo nimirum milliones librarum cum ſemiſſe.

Id illorum conſilium fuiſſe eventus ſtatim comprobavit, quam primum etenim ingens iſta pecunia Senatûs conſulto Regi erat decreta comitia regni in longum tempus prorogata erant ‖, ut intervallum par cœptis deſtinatis interponeretur, quo ſervitutis noſtræ machinatores, & Gallicæ libidinis adminiſtri negotia ſua procul ab animadverſione & cenſurâ Senatus gererent *. Et ſane plurima ſunt quæ me ſubigunt credere non aliam tunc Aulicis noſtris paciſcendorum fœderum cauſam fuiſſe, quam ut illa fataliter poſtea reſcinderent ut civibus ſuis atque aliis gentibus palpum obtruderent, & nos omnes ſecuri à metu facti dulci veterno obrueremur, atque ita inſidioſis eorum Gallorúmque machinationibus magis redderemur obnoxii. *Thomas* etenim *Cliffordus*, vir equeſtri loco nobilis, eadem die quâ Senatus univerſus ſummâ lætitiâ exultavit, ampliſſimamque pecuniam Regi decrevit propter percuſſa cum Sociis fœdera, inter exeundum è Senatu dixit, *iſtam comitiorum exultationem haud impedimento fore quo minus paulo poſt Batavos bello peteremus* †. Non ille conjurationis tunc contra

† Vid. Andreæ Marveli increment. Papiſt. in tractat. polit. Par. I. pag. 78.

‖ Uſque ad Febr. 4. anno 1672.

* Vid. Andr. Marvelum. Ibid.

† Hoc refertur à Gul. Temple in commentat.

p. 162. Ibidem dicit Colbertum Legat Gallic. in Anglia, anno 1668. belli inſequentis fundamentum jeciſſe.——

rempublicam factæ particeps tantum erat, verùm caput etiam privati iſtius *conciliabuli* * quod principatûs libidini in omnibus ſerviebat, tamque officioſam voluntatem ſingulis illorum incœptis accommodavit, ut non ſolùm propterea in Procerum Anglicorum numerum, verùm opulentiſſimum etiam regni munus † cooptaretur. Illius itaque verba plurimum mihi illud perſuadent aulicos noſtros in feriendis iſtis fœderibus, quibus & popularibus ſuis, & generi humano ſe ſummum antiquitatis humanitatiſque documentum conſtituiſſe gloriati ſunt, Galli ſtudio correptos noſtræ omnium libertati inſidias clanculùm inſtruxiſſe. Si iſta me conjectura fallit, attamen certiſſimum eſt ab iſto ferme temporis articulo Gallum in animos & amicitias illorum clanculùm irrepſiſſe. Extemplo etenim Rex Britanniæ qui Principes exteros in ſocietatem fœderis *Aquis Sextiis* concepti ſedulus ſolicitaverat; illorum fidem & aſtipulationem non orare modo deſiit, verùm quoſdam in amicitiæ iſtius conjunctionem ſe ultrò offerentes penitùs rejecit. Sic nimirum *Imperatoris Germanici* precibus ſponte ſuâ in iſta ſocietate partes ſibi concedit orantis, aures præcluſit. Ducem etiam Lotharingiæ amicum & perneceſſarium ſuum non ab iſtius confœderationis communione tantum aſpernatus eſt, verùm patienter etiam tulit calamitatem ejus quem Galliarum Rex proximo poſt fœdus anno ‖ incautum & improvidum inſidiarum ditione ſuâ expulit. In eo facinore illud notatu dignum eſt, quod ſicut Gallus non aliâ de causâ in imperium clariſſimi *Principis* involavit quam quòd ille

* The Cabal.

† Supremus nimirum Angliæ Quæſtor factus erat.

‖ Anno 1669.

ille cum aliis principibus patrocinium *triplicis fœderis* in quo ſalus Europæ conſiſtebat, ſuſcipere cum animo ſuo ſtatuit: ita aulici noſtri ob eandem rationem, cauſam & tutelam ejus deſeruerunt *.

* Vid. Andr. Marveli increm. Papiſ. in tract. polit. par. I. pag. 78.

Ex quibus videre eſt rerum noſtrarum everſores eodem tempore quo ſe Galli adverſarios palàm jactitabant, partes ejus clanculùm foviſſe. Exinde fatalis iſta amicitia, & quod huic conſequens eſt infamia noſtra apud peregrinos, indies magis gliſcebat in ſequenti anno neceſſitudo illorum quæ palam in ore atque oculis omnium variis ſimultatibus prius notata & interpuncta erat, jam maturam nacta diem clanculùm, in fœderis religionem coaluit. Tunc etenim temporis † *Aurelia Duciſſa* ſoror Regis noſtri è Gallis Dubrim ‖ pervenit, ſpecie quidem blandà, & fratrum ibi viſendi gratiâ, revera autem ut conjuncta inter illos & Gallum interiori ſocietate, pronum ac facile iter ad hujus gloriam pateret. Abhorrebat Aulicorum noſtrorum veſtitus tunc à more Gallico, illa itaque in primo congreſſu non ſine mordacibus facetiis cultum noſtrum riſu excepit: author nobis eſt vir cum primis ingenioſus & nobilis etiam, id ipſam in mandatis habuiſſe à Rege Galliarum qui nimirum ſatis compertum habuit, genus humanum eò facilius aliorum conſuetudinem & imperium pati quo mores & cultum illorum in majori admiratione habeant. * Atque hoc de induſtriâ notavi, acri etenim ac vehementi incitatione inflammatur animus, cum pudendi & degeneris Anglorum ingenii venit in mentem, quibus nihil prius habetur pro cultioris vitæ honeſtamento quam Gallicè veſtiri & loqui. Dedecet nobilem gentem conſuetudo iſta, & tanquam opprobrium ſeculi, & primarium fermè inſtrumen-

† Anno 1670.

‖ Dover.

* Vid. charact. ambidextri.

tum & lenocinium ſervitutis repudianda eſt. Sed quid iſtis diutius immoror? noſtri Dynaſtæ dicteriis Duciſſæ Aurelianæ pudefacti non veſtimenta tantùm, verùm fœderum religionem omnem ſtatim abjecerunt.

Clandeſtinum fœdus paciſcitur.

In eo quippe colloquio conſtans omnium opinio eſt, clandeſtinum funeſtumque fœdus, ſacroſanctis aliorum fœderum vinculis ſolutis ab ipſis cum Gallo conceptum fuiſſe. De ſingulis iſtius fœderis articulis memorare non poſſum, illi etenim, qui, remotis arbitris, in tenebris pacti erant, inter alia dominationis noſtræ arcana adhuc latent. *Abbas Primi* ſcriptor Gallicus in hiſtoriâ quam de *bello Belgico* condidit, & non ſine Regis Gallici privilegio in lucem miſit, non ſolum fœderis iſtius inter Aureliæ Duciſſam & Regem Britanniæ, fidem confirmat, verùm inter reliquas aſtipulationes dicit, *Gallum Regi Britannico pactum fuiſſe ſe ſacroſanctam ſenatus Anglicani auctoritatem in arbitrii libidiniſque ejus plenum obſequium traditurum.* Dicit inſuper, *Ipſam Regem noſtrum Gallici Regis verbis admoniſſe, vires Batavorum prius fuiſſe convellendas, quàm incœptum illud perfici poſſet* *. Nos itaque quibus ſtatutum erat ſummâ obſtinatione fidei Galli ſervire libidini, nihil jam reliqui habuimus, niſi ut, temeratis ſanctiſſimis neceſſitudinibus, Batavos incautos, & propter junctas nobiſcum amicitias cujuſvis impetûs improvidos dolo adoriremur, paulo itaque poſt †, haud ſecus quam Cliffordus ſtatim poſt triplicis fœderis ſanctionem prædixerat conſociatis cum Gallo viribus bello eos laceſſivimus. Ex eo bello cujus prætextus & cauſas fuſius in ſequenti capite memoraturus ſum, facile erat initas cum Gallo amicitias conjectura conſequi. Præter enim quod rerum noſtrarum

☞

* Vid. Clandeſt fœder. probat. in 12. chart. coll.

† Ineunte anno 1672.

rum gubernatores *triplici violato fœdere*. Bellum iſtud in favorem Galli concitarunt, ita deinceps in bello patrando & poſtquam inter nos & Batavos pax convenerat, in publicâ pace conciliandâ, Galli ſtudio & cupiditati morem gerentes neceſſitudinis iſtius indicia patefecerunt. Pro cujus illuſtri & diſtinctâ explicatione, prius lector monendus eſt, Regem Britanniæ ante biennium poſtquam illud bellum geri cœptum eſt, causâ Galli publicè deſertâ, ſecum ab illo cum Batavis pacem pepegiſſe. Fecit illud non propter odium aliquod aut ſimultatem quæ inter illos interceſſit, verùm quia tempori obedire & ingratas amicitias colere neceſſum habuit. " Utraque etenim gens " (prout vir clariſſimus refert) bellum iſtud, quod " Dynaſtarum magis quam civium ſtudiis conflatum " arbitrabantur abſque iracundiâ geſſerunt; pecunia " Gallica nobis in ſubſidia bel- " li miſſa * claſſis ſumptibus " valde impar erat, claſſiarii " noſtri milites, qui amicos magis quam hoſtem me- " tuerunt, ſine aliquo animorum robore præliati ſunt, " ordines regni quorum offenſiones periculoſas bellum " iſtud accenderat, ſe nihil pecuniarum Regi decre- " turos niſi ad pacem cum Batavis faciendam palam " profeſſi ſunt; &, quod apud Regem Britanniæ ma- " ximum pondus habebat, videbat ſibi, ſi modo in " iſto bello perſeveraret cum Hiſpaniarum Rege bel- " ligerandum fuiſſe †, atque " eo pacto maris Mediterra- " nei, haud ſecus quam per " bellum Belgicum Baltici " maris commercia intercluſa fore; *Tandem itaque ur-* " *gente rerum ſuarum neceſſi-* " *tate, querelis civium, & ſe-* " *natûs inſtigatione ſubactus, pacem cum Batavis fecit* ||. Poſt

* Hinc videre eſt nos pro Gallo militaſſe.

† Ille etenim una cum imperatore Germaniæ & Duce Brandeburgenſi cum Batavis contra Gallos robur jam conſociaverant.

|| Vid. Hæc omnia in Gul. Temple, commentariis, pag. 2, 3, 4. —

ſancitas

ſancitas cum *fœderatis ordinibus* pacis iſtius conditiones, perſpicuum illud omnibus erat *principatum noſtrum in obſequium Galli ſe penitùs addixiſſe*. Etſi etenim piraticæ illorum naves Regis Gallici juſſu ſtatim maria noſtra infeſta habuere, pro portubus noſtris ubique in oris maritimis excubàrunt, & non ſolum negotiatores mercibus opulentis, verùm plurimos etiam viſâ indies ſpoliarunt *; nihilominus tamen fides noſtra in Gallum cum ſummâ alacritate conſpicua erat. Poſtquam etenim nefarium illud bellum atque omni imbutum odio, compoſuimus, rectores noſtri animos Gallorum incerta belli metuentium enixe recreàrunt. Id videre erat cum ex armamentario Regio omnia ad uſum belli neceſſaria clanculùm ad Gallum mitterentur †; cum cohortes noſtræ (quibus rerum gloria à *Turenno* feliciter geſtarum, non *Germani* ſolum, verum ipſi etiam *Galli* tribuendam cenſuerunt ‖; & quæ tutam Gallorum fugam, cum poſt *Turenni* mortem *De Lorgius* receptui cecinerat, in omnium opinione moliti ſunt) eodem temporis articulo pro Gallo militàrunt, quo nos *Batavis* hoſtibus ejus inter pacis conditiones auxilia contra illum paciſcebamur. Id inſuper fidei illorum obſtinationem in partibus Galli tutandis abundè teſtatur, quod Anglorum cohortes, quorum plurimi in Galliis, præſertim *Auguſtæ Trevirorum* * in priſcâ gentis ſuæ famâ, & *Ducis Crecquii* acie labante ſuſtinendâ fortiter occubuerunt,

* Vid. Increm. Papiſm. in tract. polit. par. I. pag. 91. Ubi author innuit commiſſis principat. noſtrum annuiſſe. Vid. numerum navium à nobis captar. ibid. p. 128, 129, 130, 131, 132, 133, 134, 135.

† Vid. Increm. Papiſm. ubi numerus rerum initur. pag. 92.

‖ Vid. Gul. Temple commment. pag. 64, 65. & ſcriptoris Gallici relationem rer. inter duos exercitus geſtar. anno 1675, 1676, 1677. ——

* Treves.

cubuerunt *, novis militibus indies ex Anglià ſupplerent †. Etſi partium Gallicarum ſtudia iſta aulicis noſtris culpanda erant, Rex etenim in ſeptimo pacis articulo contrarium Batavis pepegerat, & *media diſceptationum arbitria* illis permittebantur, methodus tamen, quâ in ſubſidiis comparandis uſi ſunt illorum officia plurimùm infamavit. Haud contenti etenim auxilia voluntaria illuc ſubmittere multos profectionem iſtam detrectantes in carcerem conjectos malâ manſione diu afflixerunt ‖; in Scotiâ plurimi vinculis impediti proditorum ritu per vim in naves abrepti erant, quorum nonnulli propter odium Galli ſummopere renitentes in mare præcipitabantur *. Præterea etiam in incredibili iſtâ pertinaciâ & ſtudio cauſæ Gallicæ tot indiciis patefacto, illud hominibus admirationem movere debet, quod favore *Galli* charitatem patriæ & civium benevolentiam commutarit nec cum ordinibus regni inimicitias ſuſcipere reſpuerint. Illi etenim per continuum belli curſum non ſine acri vocis & animorum contentione cum Rege, in ſenaculo, pro cauſâ confœderatorum contra *Gallum* tanquam aris & focis ſuis contenderunt. Et ſane ſi ſenatus tanta apud aulicos authoritate & gratiâ, quantâ factio Gallica, tunc valuiſſet felicior longe fortuna, quam in præſentiâ utitur, Europam verſaret. At ſecus ſe res habuit, atque in aulâ noſtrâ res in favorem Galli & ex ejus conſilio gerebantur. Ex eo contigit, quod ordines regni, quemadmodum à *gravi authore* animadverſum eſt) qui vehementer Regi inſtabant, ut pacem cum *Batavis*

* Vid. Gul. Temple comment. pag. 118.

† Vid. Increm. Papiſ. in tract. polit. par. I. pag. 87.

Vid. Etiam ſupplic. libel. ab inferiori ſenaculo regi datum Novem. 29, 1680.

‖ Vid. Increm. Papiſ. pag. 92.

* Vid. Ibid. p. 96—

Batavis, cum *Gallis* bellum susciperet, sæpius erant prorogata *. Inde evenit, quod postea Regem suppliciter orantes ut auxilia sua domum è Galliis revocaret, similem offensionem apud illum incurrerunt †; " id in causa erat " (viri ejusdem ornatissimi " verbis utor) quod eundem " senatum penitùs dissolvit, qui per annos octodecim " duraverant, quique summæ fidelitatis & obsequii " documenta in Regem semper præstiterant, donec " tandem Gallicâ necessitudine " incensi simultates cum illo " gesserunt ‖.

* Vid. Vindic. hujus imperii, pag. 58. —

† Vid. Gul. Temple commentar. pag. 109.

‖ Temple comment. pag 388. —

Longum est figilla im commemorare, quoties dolore affecti irâ incitati propter aliorum pericula & *Galli* successus, non sine pertinaci verborum contentione, & minis fermè interpositis, Regem in illorum pellicere auxilia, & ab illius avertere amicitiâ conati sint. Tantum illorum dissidia ab aulicorum studiis valuerunt, ut comes Shaftsburiensis sententiam suam publicè in senatu ferret, *Sartam tunc duobus annis cum Batavis pacem, & auxilii nostri à Gallo dissociationem rixis istis tribuendâ fuisse* *. " Anno in- " sequenti plura ejusdem indo- " lis præclara specimina dede- " re, Regem etenim in sup- " plici libello periculorum ad- " monuerunt † ipsi imminen- " tium à Galli victoriis in Belgicis Hispani provin- " ciis, quarum in tranquillitate Regis & rerum An- " glicarum positum esse columen dixerunt; quapro- " pter humillimè obsecrarunt, ut illas suo dignaretur " patrocinio, & cum talibus Sociis fœdera feriret " per quorum amicitiam Angliæ & *provinciis* istis " securitatem præstare potis esset, atque ita suorum " invidiam deinceps declinaret. Paulo

* Vid. Orat. comitis Shaftsbur. in procerum senaculo Octob. 20. 1675.

† Martii die 6°. anno 1676.

Paulo poſt * non modo eandem petitionem renovârunt, * Martii die 26.
" *Verum fidem etiam Regi ſanctiſſime obſtrinxerunt ſe cum* ſummâ animorum alacritate, ſi Gallo bellum indicere vellet, pecuniam & " neceſſaria omnia, quibus proſperos ſucceſſus ſperaret, illi ſtatim ſubminiſtraturos †. *Non alia re*, inquiebant, *in magnâ* iſtâ varietate & diſſentione conſiliorum quâ reſpublica noſtra agitatur ſententiarum & ſtudiorum noſtrorum ſumma conſenſio cernitur quam ut bellum cum " Gallis geramus ‖. *Palàm igitur*, aiebant, *ſimultates offenſioneſque noſtras faciamus*; *ingens & præclarum facinus Rex forti ſtatim animo complectatur*; *immiſceat ſe conſiliis Senatûs ſui in cauſâ hac nobiliſſimâ quâ Angliæ gloria & decus agitur*; *celerem nuncium Pariſios ſtatim mittat, Regemque Galliarum certiorem faciat ſe bello laceſſiturum ipſum atque extremas ejus vires tentaturum* *.

† Vid. Ibid.

‖ Vid. Ibid. pag. 104.

* Vid. Ibid. pag. 106.

Tali ardore ſtudiorum *ordines regni* exiſtimationi publicæ, & peregrinorum incolumitatis ſtudioſiſſimis animum Regis contra Gallum erigere nitebantur. Ill, ſpeciem atque opinionem voluntatis obſequentis illie pauliſper præbuit, donec pollicitationibus ejus delinitî ingentem ipſi pecuniam ad fœdera paciſcenda ſenatuſconſulto decreverunt. Poſt indictas pecunias prorogatio comitiorum ſtatim inſecuta eſt, tantumque ab Hiſpanorum & Belgarum amicitiâ colendâ aberat ut contrà firmiori nunc vinculo ſe Gallo ſociaret Statim etenim poſt Senatus comperendinationem, Dux Crecquius, Archiepiſcopus Rhemenſis & *Barillonius* cum longo agmine comitum in Angliam appulerunt; illi apud Regem Britanniæ *Neoſori* † † *Newmarket.*

ali-

aliquandiu, dein Londini commorantes, ut formam *Parlamenti* exhibuerunt, ita ardua regni negotia ad illorum nutum regebantur: & quæ clam *comitiis parlamentariis* fiebant, cum illis communicata erant *. Proximo comitiorum conventu ſenatus in eadem ſententia & ſtudio perſeveravit. Nihil illis perinde cordi erat ac robur ſuum poſt fœderum religiones cum fœderatis gentibus contra Gallum ſociare. In eâ verò re multam operam fruſtra conſumpſerunt: Rex etenim Britanniæ, qui (ut à viro fide digno ſcriptis traditur) *Non prius cum Batavis pacem pro ſeipſo pepegerat, quam ſtudium interpoſuit ut inter GALLUM & CONFOEDERATAS GENTES arbiter factus omnia voluntati ejus grata faceret* †, obſtinatè in illius fide ad extremum permanſit. Id in conciliandâ pace omnibus perſpicuum fecit, etſi etenim *arbitrium* ejus penes ipſum relinquebatur, *Movet tamen ſuſpicionem hominibus* (ut vir obſervantiâ dignus ait) *quaſi reliquis haud ſatis æquus Galli utilitati & gloriæ nimis ſtuderet* ‖. Princeps Auriacus * nimii iſtius ſtudii ipſum pluſquam ſuſpectum habuit, quando etenim propoſitas à Rege Britannico pacis conditiones *Gulielmus Temple* equeſtri loco nobilis, & Regis in *tractatu Noviomagenſi* Delegatus cum ipſo communicavit; ille non ſine ſolicitudine ac ſtomacho dixit, *Articulos iſtos, in quibus componendis Rex legatum Gallicum procul omni dubio ſui participem conſilii fecerat, graviores longe fuiſſe, quam ſi e Gallis proveniſſent, atque adeo iniquas, ut mortem ſibi pr iſtis pacis legibus eligendam eſſe diceret* †. Partium Gallicarum ſtudium illud in principatu noſtro

* Vid. Tract. polit. par. I pag. 111 —

† Vid. Gul. Temple commentar. p 12.

‖ Vid. character. ambidextri.

* Nunc Rex Britanniæ.

† Vid. Gul. Temple comment. p. 235, 236.

ſtro uſque ad extremum belli exitum (ut in ſequenti capite fuſius demonſtrabitur) adeo manifeſtum erat, ut paulo poſt pacis ſanctionem, cum ex Galli ambitione & vi repentinâ lites ſuper Lucemburgi ditione contigerant, Gentes conſœderatæ rerum arbitrium penes Regem Britannicum relinquere abnuerunt *.

Vid. charac. ambidextri.

Ex his igitur à me commemoratis Principatûs noſtri cum Gallo amicitiam veterem, omnes, arbitror, dubio procul habebunt. Plura quidem ſunt quæ fidem iſtius rei firmant. *Colmani* Epiſtolæ, de quibus mentio ſtatim incidet, omnem de ea controverſiam tollunt. Atque idem ex indubitata ejuſdem confeſſione arguitur. Quando etenim ſceleratam iſtam cum *Gallo* contra patriam conjurationem, pro quâ vitam poſtea in patibulo finivit, *Selectus Senatorum Cœtus* † in diſquiſitionem vocavit, ille ſatis aperte confitebatur, *Regem eorundem conſiliorum participem fuiſſe* ‖. Sed ut Argumentis hiſce moras abrumpam, narrationem hanc authoris à me ſuperius memorati verbis concludam. " Manifeſtum eſt, *inquit*, Angliam, quæ " proſperos Galli ſucceſſus æquo patitur animo, nec " victorias unquam ex ejus manibus præripere cona- " tur, iiſdem nunc gubernari conſiliis, quæ initio " belli, ipſam in Galli ſocietatem pellexerunt, atque " omnes iſtius molitiones & negotia in exteris genti- " bus eo tendere, ut eo pacto plus momenti ad ejus " facinora perficienda conferat, quam vis armorum " aperta efficere poſſit. Et quidem *gravi*, inquit, " & *certiſſimo argumento* compertum eſt, omnes ſuis " rebus turpiter ſtudentes, & GALLICAM FA- " CTIONEM in Anglià, in eam curam pertinaci-

† A Committee of Parliament.

‖ Vid. Doctoris Burnetii chartas octodecim, pag. 205.

" ter

" ter incumbere; quando etenim magnus Moſcoviæ
" Dux Sueciæ comminatus eſt Regi, ſe Livoniam bel-
" lo aggreſſurum, Turcarum Imperator Gallo ſolici-
" tatus Moſcovitæ incurſionem atque impetum armo-
" rum minitavit, ſi modo Sueciæ Regi vim aliquam
" inferret; eodem inſuper tempore Gallica in An-
" glia factio * Moſcoviæ Duci
" intentavit ſe ingentem claſ-
" ſem in Mare Balticum con-
" tra illum miſſuros, ſi modo arma hoſtilia contra
" Suecum capeſſerent. *Atque hinc liquido*, inquit,
" *patet* non ſolum Angliam, Galli ſervire ambitioni,
" verùm etiam *Gallum*, *Turcam*, & Libidinis Gallicæ
" adminiſtros in Angliâ, eadem pectoribus conſilia
" verſantes, tali fœdere inter ſe devinciri quale Chri-
" ſtianum orbem periculorum admonere debet, ipſis
" à Chriſtianiſſimi Regis incœptis imminentium, qui-
" bus multi cum illo ſociati, aut inſidiarum ejus in-
" cauti, aut immodico & tur-
" pi rerum ſuarum ſtudio ab-
" repti, robur & auxilia ſub-
" miniſtrant †

* Principatum Angliæ intelligit.——

† Europa captiva niſi, &c. pag. 49, 50.

Ex hiſce luculenti ſcriptoris verbis videre eſt *Principatum noſtrum* priſcæ neceſſitudinis cum Galliarum Rege manifeſtum fuiſſe.

§. II. Ducem Eborac. priſcæ iſtius neceſſitudinis caput & conciliatorem fuiſſe demonſtratur.

Facili lector conjecturâ proſpiciet cur veterem Britanniæ Galliarumque Regum ſocietatem, atque ictum inter illos clandeſtinum fœdus, data ſine dubio ultro citroque fide, *Se eoſdem amicos inimicoſque habituros*, tam ſedulus memoraverim: ut nimirum oſtenderem, viros libertati noſtræ inſidiantes in iſtas injurias, quæ Jacobi Regis imperium dehoneſtarunt, jampridem conſpiraſſe, atque ita rei à Senatu geſtæ in Regis diminutione juſtio-

rem

rem excuſationem afferrem. Viri cordati, ſcio, iniquam iſtam criminationem gravioribus verbis inſectabuntur, haud æquo etenim animo paſſuri ſunt, ut Jacobi Regis diminutionis cauſa in fratris delictum conjiciatur. Nè igitur immerenti injuriam afferre videar, monſtrandum eſt, tempus illud, quod fuit antequam ad ſupremum magiſtratum, remque pub. acceſſit, non ab iſtis illius incœptis ſterile & vacuum fuiſſe, verùm præcipuam neceſſitudinis cauſam in eo conſtitiſſe. Mobili Anglorum vulgo notiſſimum eſt quod quidam ait, *Carolum Secundum tam ſingulari amore, & patriæ ſuæ pernicioſo fratrem amplexum fuiſſe, ut verè dici poſſet hunc imperaſſe dum ille regnavit* *. Et ſane rerum noſtrarum penitus ignarus eſt, qui neſcit ſummæ rei regimen penes Ducem Eboracenſem olim fuiſſe. Ille præcipue Princeps erat factionis res ad *Gallum* trahentium. Hujus rei varia argumenta clariſſima nobis indicia faciunt. Colmani Epiſtolæ, quas in auribus multorum ſuâ ipſius manu ſcriptas fuiſſe agnovit, plurimam huic ſententiæ fidem afferunt; Ducis etenim Eboracenſis cum Gallo ſocietas & conjunctio unicum illorum argumentum eſt. In hanc ſententiam loquitur in Epiſtolâ quam ad Gulielmum Throgmortonum † virum equeſtri loco nobilem, atque omnium conſiliorum participem, in Gallias miſit. *Tibi*, inquit, *compertum eſt, Ducem Eboracenſem, quam primum rerum ſummâ apud nos potitus fuerit, Galliarum Regis voluntati omnia cum ſummo obſequio grata facturum* ‖. In eâ etiam epiſtolâ quam ad Jeſuitam ſcripſit qui Gallo à *conſcientiâ* erat *, dicit *Regem Chriſtianiſſimum, & Ducem Eboracenſem*

* Ducem Eboracenſ.

† Febr. 1. 16$\frac{4}{5}$.

‖ Vid. clandeſt. fœder. probat. in duodecima chart. collect —

* Monſieur Le Cheſe.

cenſem patronum ſuum adeo indiſſolubili amicitiæ vinculo colligatos eſſe ut impoſſibile ſit unum ab altero ſine utriuſque ruinâ diſſociare. Paulo poſt in iſtius rei mentionem incidit, cujus à Domino Ferriero priſtino Gallici Regis *Confeſſario* ſe per literas monitum fuiſſe dicit, *Regem* nimirum *Gallicum de Ducis Eboracenſis erga ſe voluntate non dubitare, verum in eâ eſſe ſententiâ utriuſque commoda in iiſdem contineri ſtudiis atque ipſum animo paratiſſimo eſſe Ducis Eboracenſis voluntati in omnibus obſequi.* Poſtea dicit, *Eboracenſem Gallici Regis beneficia gratâ memoriâ proſequi, omnique officiorum genere operam navare, ut tam ſingularem amicitiam emereatur, ipſumque id perſuaſiſſimum habere mutuas ipſorum utilitates ſe invicem communi amicitiæ & charitatis vinculo neceſſario complecti* *. Ex eâ etiam epiſtolâ quam Dux Eboracenſis circa idem tempus † ad eundum Jeſuitam ‖ ſcripſit, perſpicuum eſt ipſum Galli ſtudio pridem in omnibus obſecutum fuiſſe. Quo fides hujuſce rei melius confirmetur quædam ab illo ſcripta totidem verbis recitabo. *Quarto*, inquit, *nonarum Junii* * *jam proxime lapſi Rex chriſtianiſſimus non ſine ſummo indolis generoſæ documento amicitiæ ſuæ, pecuniarumque copiam mihi poteſtatemque obtulit, ut earum adminiculo inimicorum meorum inſidiis obviam ire poſſem; affirmavit inſuper res utriuſque noſtrûm tam firmiter inter ſe connexas eſſe, ut ſiquis uni infenſe adverſetur bellum alteri indicere neceſſario tenebitur, &c.* Poſtea ita loquitur, *Certiorem ipſum* † *feci & fidenter affirmavi nihil Regem fratrem meum in rerum noſtrarum ſtudium æque pellecturum quam pecunias ab ipſo oblatas, nullius dubitavi quin illarum ope & illecebris*

* Vid. Colmani Epiſt. ad Dominum Le Cheſe in tractat. polit. par. I. pag. 138, 139.

† Anno 1675.

‖ Monſieur Le Cheſe.

* Junii die 2°.

† Galliar. Regem.

illecebris fretus comitiorum diſſolutionem procurarem, &c *. Ex hiſce lector priſtinum Jacobi Regis animum erga Gallum perſpectum, & judicatum habebit, nec deinceps cuipiam illud erit dubium, utrum *factionis Gallicæ* quæ nobis & Europæ ſervitutem deſtinavit, authoritate & ſtudio Princeps extiterit necne, qui patriæ libertatem Gallo venalem habuit, atque illius gratiâ animum fratris ſui pecuniarum lenociniis ſolicitavit. Unus iſte prudentiorum omnium ſenſus erat. Senatus etenim, cum malorum præſagi in rempublicam ſub imperio ejus irruentium, *legem rogarunt* †, quâ aditus illi ad imperium intercluderetur, In proœmio *rogationis* ‖ inter reliquas conſilii iſtius rationes cauſam iſtam attulerunt, *Quod nimirum perduelles Ducis Eboracenſis opera & procuratione, Gallici imperii magnitudinem poteſtatemque in tantum auxerint, ut regna noſtra in maxima pericula, & extremum penè diſcrimen inde adducta ſint.* Hujus rei fides atque mutua illorum conjunctio, & quaſi quædam ſocietas & communicatio utilitatum ex eo etiam patet, quòd quando Dux Eboracenſis propter gliſcentes civium ſimultates à ſummo gratiæ & dignitatis gradu cedere, atque iracundiæ illorum faſces ſubmittere coactus eſſet, *Ruvignius* Galli tunc in Angliâ legatus, vir omni obſervantiâ digniſſimus ſi alteri domino ſerviiſſet, dixit, *Dominum ſuum ingentes pecunias libenter erogaturum ut Dux Eboracenſis claſſis præfecturam obtineret, & in priſtinam honoris & dignationis ſedem aſcenderet* *; tantam liberalitatem in Principe nundinari præmiarique ſolito, quique nihil quod ſit quæſtuoſum turpe exiſtimet, verum omnia pecuniâ expugnare

* Vid. Epiſtol. Ducis Eboracenſ. ad Dominum Le Cheſe in tract. polit. par. I. pag. 147.

† Maii 11. 1679.

‖ Sive libelli excluſionis ut dicitur.

* Vid. tractat. polit. par. I. pag. 142, 143.

pugnare conſuevit, nemo gratuitam arbitrabitur. Certo certius eſt, *Gallum*, qui Duci Eboracenſi honores & munia in republicâ ingenti pretio redempturus erat, gratiâ ejus fretum magnam in illius amplitudine ſibi ſpem propoſitam habuiſſe. Id Gallo ſatis erat perſpectum quod vir nobilis pridem affirmavit, *Plura nimirum mala reipublicæ à Duce Eboracenſi quatenus primarius Regis conſiliarius erat, quam quâ ſucceſſor ejus in regno, pertimeſcenda fuiſſe* *. Nihil ipſi ex inſidiis in Angliâ ſperandum erat, ſi Dux Eboracenſis (*quem omnium conſiliorum participem fuiſſe*, vir nobilis palàm in Senatu dixit †) Regii favoris & muniorum in republicâ exors eſſet factus. *Pyladeæ* etenim illius *amicitiæ* imputandum eſt quod comitia regni ſæpe ſæpius prorogata erant; *Quod ſuffragia publica à multis, in ſupremo regni ſenaculo, pactâ pecuniâ, non ſine inſigni Anglici nominis probro Gallo tradebantur* ||. Ille etiam auro corruptus in causâ erat quod *Gallici Regis oratores facilem ſibi aditum in Albam Aulam reperirent* *. Et quod inſigne benevolentiæ documentum extitit atque Europæ valde pernicioſum illius ſtudio tribuendum eſt quod Gallus ſuperius bellum Belgicum feliciter confecerit, confœderataſque gentes iniquiores pacis conditiones accipere coegerit. Quo pacto hoc contigerit viri ornatiſſimi ſcripta nos certiores faciunt. Cum bellum iſtud aliquandiu contra noſtram & Europæ libertatem geſtum populus Anglicanus ægerrime tuliſſet, atque propterea in *principatum* odia & diſſidia illis naſcerentur, nuptias tandem nobis atque

* Vid. viri nobilis Epiſtol. ad amicum de Regis declaratione in tract. pol. par. I. p. 190.

† Vid. Orat. ejus in tract. pol. par. II. p. 89. initio ——

|| Vid. reſponſ. ad libellum cui titulus, *The Deſertion diſcuſs'd.*

* Vid. alterius viri nobilis orationem in ſenac in tract. pol. par. II. pag. 90. init. ——

que Europæ fauſtiſſimas ſupremi numinis clementia inter *Auriacum Principem* & *Mariam* Ducis Eboracenſis maximam natu filiam conciliavit. Statim poſt nuptiarum Solennia, Arauſionenſis, qui communem Sociarum Gentium utilitatem ante ſua commoda habuit *, commodiſſimas pacis conditiones cum *Carolo Secundo* & *Duce Eboracenſi* pro confœderatis gentibus paciſcebatur †. Rex Britanniæ fidem Arauſionenſi obligavit, Regem Galliarum ad conventa *pacis* acceſſurum, ſe legatum ad illum miſſurum pollicebatur, qui conditiones illas iſti proponeret, & niſi intra biduum illis aſſentiretur, bellum ipſi denunciaret. Inter illos tunc conventum erat, ut *Guli-lmus Temple* vir nobilis, atque intemeratæ in patriam fidei, pacificam iſtam legationem obiret. Dux vero Eboracenſis, qui curam religioſe ſemper adhibuit, ut ingrata omnia à Gallo prohiberet conſilium iſtud facili negotio eluſit: Regis etenim inflexit animum, ut virùm nobilem è famulatu ſuo, quique natalibus erat Gallicis ‖, Legatum Gallias de pace mitteret. Ille, qui juxta præcepta Domini ſui * negotia ſine dubio geſſit, irritus legationis domum rediit, neque etenim Galliarum Regem pactas cum Arauſionenſi pacis conditiones ſancire coegit, neque, prout conventum erat repentinum ipſi bellum indixit. Contrà principatus noſter deinceps non minus obſtinate quam prius in obſequio Galli perſeveravit, atque partes ejus enixè fovit ad extremum temporis articulum, quo pacis conditiones, Noviomagi tandem concluſæ erant †. Unicum illud

* Vid. quanto animi ardore ſe rerum Hiſpanici Regis ſtudioſum comprobavit. Gul. Temple commentar p. 299.

† Vid. conditiones pacis, ibid. pag. 298, 299, 300.

‖ *Lord* Duras.

* Ducis Eboracenſ.

† Vid hæc omnia in Gul. Temple commentar. pag. 297, 298, 299, 300, 301, 302, 303.

illud beneficium priſtinam fatalemque amicitiam quæ inter Gallum & Ducem Eboracenſem interceſſit ſatis apertè indicat.

§ III Idem conſilium & fœdus ſub Jacobi Regis imperio manifeſtum fuiſſe demonſtratur.

Quæ de veteri Jacobi Regis cum Gallo Societate dicta ſunt, ab iis fidem ulteriorem merentur quæ ſub ejus imperio geſta fuere. Quod in proverbio etenim dicitur, *Magiſtratus virum indicat* †, tunc omnibus innotuit cum ille, rerum Anglicarum potitus, rerum omnium, quarum antea reus poſtulabatur, indicia manifeſtiſſima oſtendit. Quod ad fœdus illud amicitiæ cum Gallo ſpectat, omnes, arbitror, qui res ex veritate æſtimare ſolent, abſque plurium teſtimoniorum fide, id perſuaſiſſimum habebunt, qui in animo ſecum cogitent, qualiter ad Galliarum Regem, tanquam malorum omnium perfugium, ſe recepit, antequam res illius in loco valde difficili eſſent; atque ex illo tempore non ſolum in Galliis hoſpitio & clientelâ ejus, verum in Hiberniâ etiam auxiliis uſus eſt, ad regnum Angliæ ab hoſtibus recuperandum. At in hoc argumento non eſt immorandum ne ex poſt factis prius commiſſa defendere videar. Abunde ſatis aliorum argumentorum rem iſtam nobis luculenter demonſtrant. *Legatus Gallicus* ‖ *in libello memoriali*, quem fœderatarum provinciarum ordinibus tunc exhibuit, cum Princeps Auriacus profectionem in Angliam adornabat * palam & dilucidè oſtendit, fœdus inter illos initum fuiſſe quo eoſdem amicos inimicoſque habere obſtricti tenebantur †. Cum hac authoritate, cui fidem abrogare prorſus impoſſibile

† Vid. Eraſmi adag. pag. 341.

‖ *Count d'Avaux.*

* Septemb. 9. anno 1688.

† Vid. ſupplicis libelli verba in primo capite ſecundi libelli.

bile eſt, alterius verba congruunt, qui ſcriptis tradidit, *Jacobum Regem periculoſiorem cum Gallo ſocietatem junxiſſe, quam* * *principatus noſter olim cum illo conflavit; ipſumque pactionem egiſſe ſe junctis cum illo viribus vicinas gentes bello perſecuturum.* Dicit inſuper, *Pecunias ingentes ad ipſum à Galliarum Rege fuiſſe miſſas, ut omnia compararet quæ neceſſaria eſſent ad bellum contra Batavos inſtruendum* †. Idem ex rebus geſtis poſt Jacobi Regis aditum ad imperium ulterius convincitur. Illorum ego ſententiis non poſſum non aſtipulari qui pertinaci Jacobi Regis erga ipſum ſtudio Galli facinora in popularibus ſuis male tractandis vertenda eſſe arbitrantur. *Carolo imperante, licet familiari ſuo, non auſus eſt Gallas,* inquiunt *Condivicenſis edicti religionem violare, ne Senatus Anglicanus fremeret, atque ferociter inſtaret, ut Rex injuriam & maleficia iſta vindicaret. Quoniam vero novit ſe Jacobum Regem fideli, officioſâ & ſtabili amicitiâ implicitum tenuiſſe, ideo crudeliter in ſuos & injuſte conſulere haudquaquam dubitavit* ‖. Hujus verò conjurationis illud clarius indicium fuit, quod Rex Britanniæ non ſolum imperio & auſpicio Galli rempublicam geſſit, verùm injurias etiam *populo Anglicano* ab illo latas patienter tulit? Eſt locus in Septentrionali *Americæ* parte qui *Hudſoni Sinus* * appellatur, ibi mercatores Londinenſes, *inſtitorum* operâ uſi, non ſine inſigni rerùm Anglicarum emolumento, quatuor in locis cum *Indigenis* bonorum mercaturam facere conſueverunt: huc *Canadæ* Gubernator Gallicus magna militum manu ſti

* Anno 1672.

† Vid. periculoſ. offenſionum exit. in tract. pol. par. II. p. 379.

‖ Vid. vindic. hujus imperii. pag. 14 —— Vid. libel. memor. ad Princip. Auriac. miſſum, pag. 7.

* Hudſon's Bay.

patus in medio pacis tempore repentinum impetum fecit; in tribus e quatuor emporiolis mercatorum bona omnia diripuit *, negotiatores omnes in parvam insulam exposuit, ubi herbis agrestibus, pluribus septimanis, vitam tolerare necessum habuerunt. De injuriâ istâ mercatores apud Regem questi sunt, is verò facinus illud, haud secus quam reliquas temporum querelas, obseratis auribus accepit, nihil etenim civium damnis postea pensatum erat. Tempestiva ista Regis Britannici indulgentia in Gallum, & facilis injuriæ tolerantia, nemini admirationem movere debet; haud mirum est etenim ipsum bonorum populi Anglicani diripiendi potestatem illi fecisse, cujus auxilia sibi mox adjuncturus erat ad illorum libertatem evertendam, in unico isto negotio haud leve mihi videtur esse momentum ad illorum insidias detegendas. At si neque hoc neque aliud quodvis argumentum suppeteret, incitatum illud studium atque violentus impetus animi quo Jacobus Rex immunitates civium, leges & repagula juris perfregit, atque omnia cupiditate prostravit; nos in necessitudinis Gallicæ cognitionem adduceret. In hanc sententiam quidam plane loquitur, cujus verba haud dubiam apud me fidem reperiunt. *Incredibile esse*, dicit, *Jacobum Regem tam temeraria armatum fore audaciâ, ut post Ducis Monumethensis calamitatem viros muniorum reipub. exsortes, contra senatûs voluntatem, militiæ præficeret, ut Anglos rerum in Hiberniâ Dominos militiâ exauctoraret & Hibernicos post plurimas rebelliones sæpius devictos in illorum locum cooptaret; ut contrà quàm lex permittit, perennem in Angliâ exercitum conscriberet* †; nemo etenim mentis sanus rem factu impossibilem unquam aggreditur, at impossibile erat ut Jacobus

* Ad valorem 60000 librar. Anglicarum.

† Vid. Claudestin fœdus cum Galliâ in duodecima chartar. collect.

cobus Rex deſtinata ſua perficeret, cujus à partibus, non ultra ducenteſimam civium partem in Angliâ & Scotiâ ſteterunt. Hoc igitur pro re compertâ & manifeſtâ habeatur ipſum ſummam neceſſitudinem cum Gallo conjunxiſſe. Ut fidem iſtius neceſſitudinis dubio procul habeamus aliud clariſſimum indicium admonet; cum ornatiſſimus & nobilis vir Gulielmus Trumballus legatino munere Conſtantinopoli apud Turcarum Imperatorem ſub Jacobo Rege fungebatur, Gallici Regis ibidem Legatus lætabundus illum adivit, atque hac eum oratione excepit. *Nunc*, inquiebat, noſtrum eſt noſmet invicem mutuâ benevolentiâ & amicitiâ complecti: Literæ etenim mihi allatæ ſunt à Domino *Croiſio* qui Regi meo à ſecretis eſt epiſtolis, in quibus me certiorem facit, fœdus firmiſſimum inter Galliarum & Britanniæ Reges clanculùm eſſe ictum. Sermonis iſtius quem à Trumballo, qui adhuc in vivis eſt, ſe accepiſſe dixit, vir magni nominis, & fide digniſſimus me participem fecit.

§. IV. Ex iſtâ neceſſitudine Gallus, iter ſibi ad ſummum Europæ imperium ſtravit.

Credibile non eſt Regem Gallicum, virum ſui ſtudioſiſſimum, nec aliorum fidem amicitiamque niſi ob emolumenta petentem memoratam ſuperius ſocietatem coluiſſe, Jacobi aut religionis causâ, verum amplificandi regni ſui ſtudio correptum. Ille jampridem impotentis ambitionis manifeſtus erat, atque claris indiciis omnibus oſtendit ſe imperium Europæ ſibi devictis aliis gentibus, animo deſtinaſſe. In hunc finem omnes temporum captavit articulos, & vicinas gentes ferro & flammis diu pervaſtavit; & ſane ex iis quæ per inſtantis belli curriculum patrata ſunt, haud abſurdum eſt conjicere, ipſum votorum fore potentem, atque ſub uno diademate multarum gentium imperium retenturum, niſi Princeps Auriacus ſummam rerum in Angliâ obtinuiſſet, atque robur Anglorum, qui Jacobo

bo imperante, ſub Galli ſignis militaturi erant, in aciem contra illum eduxiſſet. *Philippus Secundus* Hiſpaniarum Rex, cujus potentia vicinis gentibus late terrorem injecit, in eâ erat ſententiâ, *Cuivis fruſtrà eſſe ad Europæ Principatum aſpirare, quoniam eo pacto omnium arma in ſe concitaret.* Magni iſtius viri ſenſus ſucceſſorum ejus animis penitus inſediſſe videtur, tantum etenim illi à *ſummi imperii* cupiditate abfuerunt ut *Malherbius* ſcriptor Gallicus in Epiſtolis in lucem editis, non ſine ſcenicâ dicacitate falsè dixerit, *Se Hiſpaniarum Regi authorem fore, ut, ſi modo ſummum Europæ imperium affectaret, in humiles apud Deum ſe preces demittere, ut ultra deſtinatum tempus rerum omnium conſummationem prorogaret.* Iter vero illud ad ſummum Imperium quod Malherbius Hiſpaniarum Regi, & magnus Hiſpaniarum Rex Regibus omnibus impervium exiſtimavit, poſteriore hoc ſeculo Gallus, non virtute, verum dolis & inſidiis pronum ac facile ſibi reddidit. Baro de Iſolâ vir clariſſimus qui propter operam in conſiliis Galli aperiendis enixe collocatam, veneno interemptus fuiſſe creditur, verbis diſertiſſimis oſtendit, quibus Machinationibus & conſiliis, quam longa inſidiarum ſerie contigerit ut Gallorum magis quam Auſtriacæ Gentis Principatus orbi Chriſtiano metuendus ſit. *Carolum Quintum*, dicit, veræ fuiſſe gloriæ cupidum, tam expertem verò ambitionis, ut Imperium Germaniæ fratri ſuo, & reliqua regna filio ſponte tradiderit. *Philippum Secundum*, vel ex ipsâ *Ducis Roani* confeſſione, eo fuiſſe ingenio, dicit, ut nunquam ad laceſſendum, ſemper ad repellendum bellum arma ſumeret. Populi, inquit *, ſunt tranquilitatis ſtudioſi, & à rerum novarum ſtudio abhorrent. *Axiomata politica* quibus magni iſti reges res ſuas gubernârunt longe diverſa ſunt ab uſitatis *victorum* inſtitutis; pro ſtatis etenim ejus politiæ

* i. e. Hiſpaniæ.

politiæ * dogmatibus ista habuere; *Non temerare fœderum religiones, res religiosas ante civiles habere; non convertere suas aut sociorum victorias in propriam utilitatem; justa legum præscripta rempublicam administrare & civibus suarum immunitatum copiam facere; & tandem nullum fœdus aut commercium cum communi Christiani nominis hoste inire* †. Dicit vero Gallos, quorum indoles longe diversa est, & in quibus ignea vis animi conspicitur, rerum novarum, bellorum, & victoriarum appetens dispari longè aphorismorum genere politiam suam moderari; illorum ista præcipua esse dogmata, ait 1. Foris bella commovere. 2. Alienis se negotiis immiscere, ac per omne fas ac nefas se arbitros illis constituere quorum res in controversiâ versantur. 3. Commoda politiæ suæ primariò respicere, & præ ejus emolumento fœderum religiones, religionis utilitatem, consanguinitatis & amicitiæ vincula negligere. 4. Intestina odia & discordias ubique gentium concitare, aut populorum animos incendere ut in externa bella præcipites ruant. Omnia hæc axiomata, inquit ille, victorum sunt propria, quorum adminiculo facile est Gallo qui gliscentes domi discordias penitus dissipavit, qui subditis pro arbitrio suo imperat, & peregrinis gentibus ubique dissentiones facit, summam rerum in Europâ obtinere ‖ Gulielmus Temple nobilis Hiberno-Anglus in eadem est opinione, dicit ille, *Galliam sibi videri parem esse grandioribus cœptis ipsamque probabiliter latius imperium esse adepturum quàm quis post Caroli magni tempora in Europâ conspexerit* *. Atque

* Hispanicæ.

† Vid. Baronis de Isola scutum politiæ & justit. pag. 279, 380, 381, 382, 383, 384, 385.

‖ Vid. scutum politiæ & justit. pag. 287, 288, 289, 290, 291, 292, 293, 294 —

* Vid. Gul. Temple prospect. constit. & emol. Ger. Suec. Cimb. &c. cum resp. ad Angl. p. 32.

alio

alio in loco ex ejuſdem verbis certiores facti ſumus cuinam nimia iſta Galli potentia vitio ſit vertenda, dicit, *Ipſum ad immodicum illud rerum faſtigium nunquam attingere potuiſſe, niſi ingenium Regis noſtri in gloriam & laude rectè factorum minime imbutum ad turpe ſui obſequium flexiſſet* *. Id Galliarum Rex compertiſſimum habuit, ideoque ut quidam ſcriptis tradidit, *Fœdus cum Jacobo Rege percuſſit & in eo tanquam unico gloriæ ſuæ adminiculo ſummi imperii fundamentum jecit* †. Societas iſta inter Reges ambitioſos juncta, non viris tantùm inter noſtrates perſpicaciſſimis, verum peregrinis etiam diutinum terrorem incuſſit. Comes Shaftsburienſis pridem, cum ſenatus conjurationum Galli & Ducis Eboracenſis metu inſtinctus, legem rogabat, quâ ipſi haud licitum eſſet in fraternum imperium ſuccedere in auribus purpuratorum in ſenaculo dixit, *Naſcentem Imperii Gallici amplitudinem juſtis limitibus haud facile coercendam fuiſſe, atque non aliâ ratione id effici potuiſſe, niſi Rex Anglicus ſenatui valde aſſentiretur* ‖. Ad ejus ſenſum ordines regni circa idem tempus locuti ſunt, illi etenim cum acriores inſtabant *Ut Rex cum ſociis gentibus contra Gallum fœdus conjungeret, dixerunt res Gallicas tam ingens incrementum ex noſtro vitio cepiſſe, ex eo quod Dunquercam* * *Gallo vendidimus, quod Batavis intulimus bellum* †, *atque in causâ fuimus, quod Galli, qui vires tunc cum illis conſociarunt, amplam exinde occaſionem nacti plurimas ingentes naves pretio ab illis mercati ſunt, atque ita robur claſſis ſuæ mirum in modum auxerint; quoniam inſuper TRIPLICIS FOEDERIS*

* Vid. Gul. Temple comment. p. 274, 275.--

† Vid libel. cui titulus Europæ vincula ſoluta, pag 45.—

‖ Vid Orat. ejus in tractat. polit. par. I.

* Dunkirk.

† Anno 1665.

DERIS religionem violavimus, & ſocietate Gallis conjuncti Batavis tunc * *bellum conflavimus quod Gallus etiamnum feliciter gerit* †. Ex his videre eſt ſenatum noſtrum magnopere cenſuiſſe, *Gallum* amicitiâ & obſequio principatûs noſtri pro primario uſum fuiſſe adminiculo quo ſummum Imperium obtineret. Eadem opinio, ſine dubio totam Europam opplevit Imperator Germaniæ in epiſtola quam ad Jacobum Regem ex Anglia profugum exaravit, dicit, *Omnes Chriſtiani orbis calamitates ex amicitiæ conjunctionisque ejus neceſſitudine cum Gallo originem duxiſſe* ‖; atque ſi res ita ſe habeat, perigrini illius diminutionem haud indigne ferent qui animis ſecum mala æſtimârunt, quibus Gallus latum ſibi in Europâ imperium moliri conatus eſt. Nemo eſt niſi ſit omnis humanitatis expers, quique graviſſimis Chriſtianorum injuriis & incommodis humani generis dolere nequit, quin miſerandâ Chriſtianorum ſtrage, quam Galli ambitio latè in Europa ediderit, qui nonnullarum gentium expilatione, vexatione plurimarum, aliarum ſqualore & lachrymis concitetur. Notum eſt omnibus quàm injuſte olim in Flandriam impetum fecerit *; atque eo armorum impetu *publicam fidem* Hiſpanorum Regi non ſine altaris ſacramento datam violaverit; quo pacto in Lotharingiam, Burgundiam, Alſatiam Principatum Arauſionis, Argentoratum, Lucemburgum, Avenionem, Philippopolim, totum Palatinatum, Archiepiſcopatum Moguntiacum, Trevirenſem, Colonienſem, atque alia loca involaverit, atque de illis inique occupandis arma injuſtiſſima ſumpſerit. Hæc omnia ad ſummam rerum

* Anno 1672.

† Vid. Increm. Papiſm. in tract. polit. par. I. pag. 104.

‖ Vid. Imperat. Germanici epiſt. in 12 chartar. collect.——

* Anno 1668.

in

in Europâ adipſcendam crudeliter & injurioſe patravit Dicet fortaſſe lector humanior, cui moris eſt omnia in partem mitiorem interpretari, Jacobum Regem, qui ſocietatem cum Gallo inivit, ambitionis ejus, quâ Europam in Servitutem miſſurus erat, prorſus ignarum fuiſſe. At impoſſibile eſt tali excuſatione inſcitiæ, ſummæ injuriæ odium ab ipſo deprecari, quoniam pridem cum Dux Ebôracenſis erat, palàm & apertè dixit, *Gallum ſummum in Europâ imperium affectaſſe, & penes fuiſſe neminem, rebus Europæ ſic ſtantibus, præter Regem Britannicum, palmam iſtam è manibus ejus præripere* *. Cum ex ſuo igitur indicio & confeſſione patefactum ſit Galli inſidias Jacobo Regi fuiſſe cognitas, ſupereſt ut concludamus, commercium quoddam utilitatum ipſos conciliaſſe atque Regem Britannicum æque rerum ſuarum Galli amicitiam petiiſſe, ac Gallus hujus neceſſitudinem tanquam gloriæ ſuæ inſtrumentum ambivit.

* Vid. Gul. Temple commentar. pag. 329.

§. V. Regis noſtri conſilium erat ex eo fœdere leges evertere noſtras atque ſervitutem in Angliam inferre.

Quod Segeſtes olim Romanis dicebat, *Se amicos inimicoſque ex illorum utilitatibus delegiſſe* *, Principes civibus ſuis religioſe profiteri debent. Si quando vero quis ſecùs fecerit, ſi contra quam civium optimi & prudentiſſimi velint, funeſtam cujuſvis amicitiam amplectatur, manifeſtum eſt ipſum verum iter gloriæ ſponte deſerere, & glorioſum putare, plus unum poſſe quam omnes; ipſumque metui à civibus ſuis quam diligi malle. Dubio procul eſt Jacobum Regem iſtam ſibi fortunam & talem rerum ſtatum ex Gallico fœdere aucupatum fuiſſe, ipſumque non niſi ut ſubſidium dominationis ſuæ Galliarum Regem extuliſſe. Plurima quippe ſunt quæ ipſum à Galli ſocietate abſterritura viderentur, niſi dominationis immodicæ cupiditas, & utilitatum

* Tacit. Annal.

tum communicatio ipſos conciliaſſet. In eo etenim fœdere feriendo aliis gentibus amicitiam clanculùm renunciavit, atque ità à priſco & perenni majorum gloriâ degenerans, impotentiorum patrocinium, atque iſtud rerum in Europâ arbitrium abdicavit, cujus gloriâ Reges Britannici maximè duci conſueverunt. Et quod nobis mirum videtur in eâ neceſſitudine *Oliverii Cromwelli* Tyranni veſtigiis inſtitit. Ille priſcæ Anglorum gloriæ ſecurus, res Europæ in *æquilibrio* retinendi ſtudium neglexit; contrà etenim quam utilitas noſtra poſtulavit, inimicitiam cum Hiſpano, cum Gallo amicitiam geſſit *, atque ita primus in cauſa fuit, quod imperium Gallicum in tantam amplitudinem adoleverit. Quis vero crederet Regem Britanniæ exemplar ab illo propoſitum imitaturum, præſertim cum Galliarum Rex non ſolum funeſtæ iſtius calamitatis, quæ *Carolo Primo* contigit, author inter alios erat, verum pro virili etiam conatus eſt, ne *Regia familia* de exilio domum reverteretur. Harum rerum quoties cogitationibus immoror, quoties etiam memoria complector quam diuturnis ſtudiis quam acri animorum contentione, ordines regni in Parliamentariis comitiis operam interpoſuerunt, ut Principatûs noſtri amicitias cum Gallo diſſuerunt, neceſſario adducor ut credam, Regem noſtrum fœdus illud tanquam dominationis ſuæ & ſervitutis noſtræ inſtrumentum concepiſſe. Obſequii iſtius incitamentum ſuperius ex *Abbatis Primi* hiſtoriâ memoratum eſt, Gallus nimirum Regi Britannico fidem dedit, *Se Senatûs auctoritatem ad arbitrium ejus adducturum.* Quæ fuerint hujuſce ſponſionis illecebræ, & quibus utilitatum blanditiis deliniti ad fœderis pactionem acceſſerint, gravis authoris verba, de quo prius mentionem feci, nos clariùs commonefaciunt. " Pacto, *in-*

" *quit,*

* Vid Epiſtol ejus ad Cardinal Mazarin. menſ. Maii, anno 1658, in Miltoni epiſt. p. 200.

" *quit*, convenit inter Britanniæ Regem & Gallum, " ut ſi Britanniæ Rex Gallo auxilio adeſſet ad Flan- " driam in illius poteſtatem redigendam, tunc Gallus " occidentalis Indiæ provincias armis ſubigere & in " Britannici Regis ditionem redigere teneretur; *Eo*, " inquiunt, *pacto libidinis* Gallicæ in Angliâ admini- " ſtri adeo erunt auro opulenti, ut nunquam in po- " ſterum aut ſenatus timere minas, aut illorum ſub- " ſidia flagitare neceſſum habituri ſint. *Illud eſſe vin-* " *culum*, dicit, *quo Angli &* " *Galli in unum coaluerunt* *. Ex hoc ſcriptore liquidò diſcimus, Principes noſtros eo conſilio Galli amicitiam ſibimet adjunxiſſe, ut de civibus ſuis & *legibus terræ* glorioſe triumpharent. Non ſolâ etenim immenſarum & reconditarum opum ſpe impulſi partium illius ſtudium ſecuti ſunt, verum ut pecuniarum ope, quæ malis omnibus materiam ſuppeditant, populares ſuos ſub jugum mitterent.

* Vid. Europ. captiv. niſi Anglia vincula ſolverit, pag. 54, 55.

Cum igitur hæc ita ſe habeant, cum amicitia iſta quam nos ſtudio & operâ *Ducis Eboracenſis* cum Galliarum Rege olim ſuſcepimus, & cujus indicia clariſſima ſub imperio ejus apparuerunt, a Gallo ideo conciliata erat ut Europam, à Jacobo vero Rege ut Gentem & clientelam ſuam, in ſervitutem acciret: idcirco æqui rerum æſtimatores haud inficias ibunt, unicam iſtam neceſſitudinem tantum in ſe momenti continere, cujus ergo cives optimi imperium à Jacobo Rege derelictum, in poteſtatem Principis Auriaci, noſtræ omnium libertatis vindicis acerrimi, jure optimo traderent.

CAP.

CAP. III.

Complectens offenſiones populi in Regem propter inimicitias cum Batavis ſuſceptas.

SUperius demonſtratum eſt quibus de cauſis Aulici noſtri, majorum moribus abhorrentes, contra quam noſtra & Europæ utilitas poſtulavit, Galliarum Regis partibus proniores eſſe cœperunt. Poſt vulgata iſta amicitiarum dehoneſtamenta, pudet ulterius Aulicorum probra referre. Horret animus palàm orbi Chriſtiano facere, quas injurias Belgarum genti contra jus gentium & fœderum religiones intulerint. Quoniam verò magnum illud ſæculo dedecus, magnum reipublicæ vulnus impreſſum eſt, & Primores nonnulli Sanctiſſimas neceſſitudines ſcindendo, Anglicum nomen foris infame fecerunt; ideo ad eluendam iſtam maculam, officii mei duxi memoriæ tradere, quo pacto Batavis injurii, non ſolum ſalutis noſtræ, verum fidei etiam vincula, & fas gentium ruperunt. Atque hoc eò magis faciendum eſt, quòd inimicitia hæc cum Batavis ſuſcepta potiſſimam partem conſiliorum complectatur, quas Reges nimis Ambitioſi noſtræ omnium libertati ſtruxerunt. Sicut etenim apprimè neceſſarium erat Gallo ad *Summum Imperium* enitenti, Batavorum Rempublicam quaſi præcipua Europæ clauſtra convellere; atque in eum finem ſocia Britannici Regis arma ſibi contra illos pellexit: ita Aulicorum noſtrorum, qui in leges & jura civium involaturi erant, plurimum interfuit, ut Belgium ferro exſcinderetur. Haud ignorabant, florente Batavorum republica, & vivo Principe Auriaco, (quem noſter & Galliarum Rex, præmiis ingentibus & regni pollicitatione, in temporum & conjurationum ſuarum communionem

nionem fruſtrà ſolicitaverant * omnes illorum molitiones contra populi libertatem ad irritum caſuras. Perſpectum illud habebant quod *Georgius Trebeius* vir inter *Equites* Anglicanos nobilis & *Capitalis* nunc Angliæ *Juſtitiarius* in communium placitorum tribunali dixit, *Batavorum* nempe *Amicitiam fauſtam ſemper gratamque populo Anglicano fuiſſe* †; nec erant neſcii *Fœderatos Ordines* Belgii eam reverà opinionem animis ſemper concepiſſe, quam non ita pridem, in vulgus ediderunt, *quod* nimirum *illorum Reipublicæ utiliſſimum eſſet ut Anglia libertatem ſuam incolumem retineret* ‖. Videbant itaque quàm parùm ſibi tutum eſſet, Stante Batavorum Republicâ, priſcâ libertatis vindice, & ad ſua in alieno regno pericula perſpicienda ſagaci, in Anglorum libertates impetum facere. Sicut igitur ad Galli ſocietatem confugerunt, ipſumque officiis omnibus complexi ſunt, ut paucitatem amicorum qui in verba Principatûs jurárunt, atque omnia illorum libidini daturi erant, exterorum viribus firmarent: ità Batavorum Rempublicam everſum iverunt; ut nulla gens nobis Auxilio adeſſet, quandocunque graviſſimis injuriis Oppreſſi aliorum efflagitare opem neceſſario cogeremur. Inde evenit quod Jacobi Regis menti inexpiabile Batavorum odium jam pridem inuſtum erat. *Inſita*, fateor, *mortalibus eſt natura recentem aliorum fælicitatem ægris oculis intrøſpicere* *, & ſane Batavorum fortuna, qui à parvis initiis ad tantam amplitudinem creverunt, Regem noſtrum diu anxium habebat. Non tamen ea cauſa erat cur illos odio inexpiabili, longo tempore, exerceret,

* Vid. libel. memor. ad Principem Auriac. ex Anglia miſſum p. 7.—

† Vid Orat. Georgii Trebeii Decemb. 20. 1688.

‖ Vid. Reſolut. Ordinum Fœderator. Octob. 28. 1688.

* Ut Tacitus ait.

ret, verum ut *populum*, qui, corpore oppoſito, illius & Gallici Regis vim & furorem à noſtris & Europæ cervicibus depulſuri erant, armis opprimeret.

Scriptor luculentus, qui malorum nobis imminentium ſub Jacobi Regis imperio haud irrita pridem præſagia cœpit, ex prudentiorum omnium ſententiâ dixit, *Quòd ſicut Philippus ſecundus Hiſpaniarum Rex nullam methodum ſibi, ad recuperandum in Batavos imperium, tam compendioſam opinatus eſt, quàm ſi Anglos, qui illis præſidio fuerunt, devinceret; atque in eum finem, formidatam ATQUE ARMATAM CLASSEM INSTRUEBAT* *, *ita Rex Britanniæ non aliam expeditiorem viam arbitratur ad impotentem in ſuos dominationem adipiſcendam, quàm ſi Batavos ſub jugum mittere poſſit* †. Id animo volvens reipublicæ illorum ſe jampridem inimiciſſimum geſſit: ſicuti etenim, ut paulo antè memoravi, neceſſitudinis cum Gallo conciliatæ, ità primarius ille artifex erat inſidiarum omnium Batavis ſtructarum, quæ non aliter è fœdere Gallico, quam herbæ è ſeminibus ſuis pullulârunt.

* Armada, anno 1588.

† Vid. Repræſent. malor. nobis imminent. in tractat. polit. par. II. pag. 405.

Proximo poſt anno quam Aulici noſtri ab exilio domum redierunt belli prætextum quæſivere, tunc etenim temporis ‖ in altâ pace, *Robertus Holmeſius*, qui unus erat à ſervitiis Ducis Eboracenſis, impetum fecit in novum Belgium, Caput Viride *, atque alia quam plurima *Ordinum Fœderatorum* propugnacula in maritimis oris Guineæ †, poſtea claſſis Anglicæ ſubpræfectus Alanus, Smyrnenſem Belgarum claſſem in freto Gaditano aggreſſus eſt, & non levi fugientium clade, merſiſque aliquot navibus, & cæſo claſſis ductore *Brachellio*, quatuor

‖ Anno 1661.

* Cap. Verd.

† Vid. Increm. Papiſ. in tract polit. par. I. p. 79.

naves captivas abduxit. Poſtea* bellum inter nos, Epiſcopi Monaſterienſis auxiliis adjutos, & Batavos erupit; cujus uti Gallus ideo concitor erat, *ut, bellicoſis gentibus mutuis ſe vulneribus concidentibus, faciliorem mox victoriam de Belgio reportaret* †, ita Dux Eboracenſis, qui totus erat in obſequio Galli, ſe apicem iſtius belli præbuit. Ille illuſtriſſimum Principem *Rupertum*, & *Sandvici* comitem, qui binos claſſis ordines poſt illum adminiſtrârunt, cœptorum ſocios adeptus, in prælio maritimo, quo utriuſque fermè gentis fata commiſſa fuere, ſuperior evaſit ‖. Perculſos ex nuperrimâ clade Belgarum animos Ludovicus Galliarum Rex, oſtenſo claſſis ſuæ ſubſidio permulſit. Ille autem poſtea non adhibitis in conſilium ſociis, pacis fœdera cum Rege Britannico clanculum ſancivit *. Haud gratis illud factum erat, verum ut Regis noſtri benevolentiam, quo ſubſidio dominationis ſuæ in Batavis devincendis uti decrevit, per illud officium ſibimet adjungeret. Et ſane Humanitas iſta erat Regis Britannici temporibus accommodatiſſima: gravis etenim iſta peſtilentia, quâ cives Londinenſes † per annum fermè conflictati ſunt, horribile etiam incendium illud ‖, quod miſerum in modum in civitate Londini graſſabatur, & calamitas, quam anno inſequenti * accepimus, cum Belgæ claſſem noſtram in navali laceſſiverunt, res noſtras in locum valde difficilem adduxerant. Nos itaque tot incommodis circumdati debilitatique, etſi poſt duo prælia juſta de Belgis triumphavimus, victoria

* Anno 1665.

† Vid. Scut. polit. & juſtit. pag. 294.

‖ Tertio die Junii.

* Vid. Scut. polit. & juſtit. pag. 294, 296, 297.

† Anno 1665.
‖ Anno 1666.

* Anno 1667.

ctoriâ tamen, *quæ naturâ insolens est & superba*, clementer uti ex necessitate & iracundiâ numinis coacti fuimus. Et tunc quidem Regi nostro gratissimum erat, quod Galliarum & Suecorum Reges ipsum & Belgarum *Ordines* ad pacis conditiones invitarunt. Misit *Hollisium Baronem*, & *Henricum Coventræum*, qui Regi aliquandiu è *secretis* erat, agendæ pacis arbitros; & Belgarum Legatis Bredam convenientibus, de pace tandem conveniebant *. Anno insequenti, Rex Britanniæ speciem præ se tulit, quasi pacem istam firmaturus, & bene de humano genere meriturus videretur. Tunc etenim temporis † *Gulielmum Temple* simili legatione in Bataviam misit, ut fœdus unum cum Batavis feriret, quo eosdem amicos inimicosque habere obstricti tenerentur; alterum, quo mutua paciscebantur auxilia, quibus Galli, Hispanorum in Flandriâ prosternentis acies, victorias moraretur. Ille quinque dierum spatio tres pactiones cum illis confecit, atque in illis *tractationis Aquæ Sextiensis* ‖, & *Fœderis Triplicis*, quæ mox insecuta sunt, fundamenta jecit *. Post *Triplicis Fœderis* sanctionem, pro se quisque voce, manibus, publicam lætitiam significabant; beatam gentem Anglicanam & invictam eâ concordiâ, satisque Christiani orbis saluti, contra Galli machinationes, prospectum fuisse, dicebant. Contrarium vero mox eventu deprehensum erat, & ex illo temporis vestigio, quo, post novas necessitudines, in fide Regis nostri, atque aliorum amicitiâ, spem salutis habere incepimus, facile est excidium Batavis fabricatum, & collocatas in eâ libertati nostræ insidias investigare. Eodem etenim anno, quo, post societatem adhuc dubiam, & variis reconciliationibus non-

* Julii 9. die, anno 1677.

† Januar. 1668.

‖ *Treaty of* Aix.

* Vid. Gul. Temple specul. fœderat. Belgii provinc. p. 137, 138, 139.

dum ſatis ſocillatam, Rex Britanniæ, ſancito *Fœdere Triplici*, firmiſſimæ pacis gratiam cum *Batavis* Sueciſque conciliavit, atque eo pacto mirificam ſummæ tranquilitatis expectationem Europæ fecit, fundamenta calamitatis noſtræ jaci cœpta ſunt. Tunc etenim *Colbertus* Gallici Regis legatus in Anglia, adeo in ſocietatem Aulicorum noſtrorum, qui bella non cauſis inierunt, ſed prout eorum merces erat, ſeipſum inſinuavit, ut illi recentibus amicitiis nuncium nunc clanculùm remittentes, inſequentis belli Belgici concilia ſtruerent *.

* Anno 1668. vid. Gul. Temple commentar. pag. 162.

Si funeſti iſtius belli, & contra fœdera initi, quod operà Ducis Eboracenſis natum, conflatum, ſuſceptum erat, originem, prætextus, cauſas, progreſſum atque exitum cum animis noſtris contemplemur, luce clarius erit, bellum illud contra Batavos ideo fuiſſe commotum, ut ab extremo reipublicæ eorum fato, viri ambitioſi certiſſima noſtræ omnium ſervitutis primordia ducerent. Id nemini dubium eſſe poteſt qui primò originem & cauſam iſtius belli, quod diſſimulatum aliquandiu contra aras & focos, contra vitam fortunaſque gentis innocuæ ſubito exarſit, attentiùs animadvertat.

Crediderunt Dynaſtæ noſtri, *qui ut fidem Gallo datam liberarent omnes capeſſendi contra Batavos belli occaſiones captárunt* †, Belgas tot fœderibus quaſi carminibus ſopitos, ſatis ludibriis & periculis omnibus obnoxios fuiſſe redditos. Haud multò pòſt itaque quàm Belgas novis luſiſſent amicitiis, ceperunt belli cauſas & prætextus quærere, & frequentes de injuriis illorum querelas excitare; clanculùm verò id fecerunt, ne conſilium Batavis ſuboleret, atque illi copiis & claſſe maturiùs inſtructi, calamitatem à ſemetipſis prohibere poſſent. Longum eſſet frivola

† Vid provocat Angliæ ab Albæ Aulæ conciliab. in tractat. polit. par. I. pag. 22.

vola recenſere crimina, quæ apud infimæ plebis homines, tanquam ſemina belli contra Batavos ſerebant. Carnificina & crudelitas, quæ ſuperiore ætate, & non niſi patrum noſtrorum memoriâ *, cujuſque pœnas *Oliverus Cromwellus* Angliæ Tyrannicus *Protector* duo de triginta pòſt annis ‖, à Batavis exegit, miſeras tunc Londini tragedias excitavit. Queſtum eſt inſuper de arrogantiâ Gentis piſcatorum, & reipublicæ nomine Regibus infenſo. Multæ etiam *Belgarum* injuriæ in mercatores Anglicos ingentem querelarum molem excitarunt; quàm parum vero ſincerè id egerunt, inde videre eſt, quòd, quando primores noſtri belli prætextum aucupantes, *programmata* in oculis omnium publicè præfigerent, edicerentque mercatoribus Londinenſibus, ut, Siqui in orientalis Indiæ emporiis detrimenta à Belgis accepiſſent, venirent coràm, ipſoſque injuriarum agerent; reſponderunt mercatores, idque chirographis ſuis confirmârunt, ſe, poſt pactas apud *Bredam* pacis conditiones, non damnum aliquod ab ipſis paſſos fuiſſe *. Queſtum eſt inſuper de famoſis libellis, de pictis expoſitiſque paſſim figuris deridiculis, de numiſmatibus, & columnis in dedecus & opprobrium Regis editis, *Etiamſi*, ut quidam refert, *nulla ex iſtis figuris, aut libellis, ad cujuſpiam unquam conſpectum venerit, nec columnæ iſtæ alibi locum obtinuerint quàm in illorum phantaſiâ, qui in iſtud ſtudium unicè incubuerunt, ut mutuas ſimultates & invidiam utrique genti conflarent, atque bellorum incendiis Europam miſcerent.* †.

* Anno 1622.——

† Anno 1650. vid. Miltoni Epiſtolas.

* Vid. provocat. ab Albæ Aulæ conciliab. in tractat. polit. par. I. pag. 21.

† Vid. Ibid.

Credet lector apertorum diſſidiorum juſtos illis defuiſſe prætextus, qui pictorum privatorum opera, qui-

bus quidlibet audendi ſemper erat conceſſa poteſtas, in tanti belli cauſam commenti ſunt. Haud juſtior erat illa querela, cuâ propter res *Surinami* olim geſtas cùm *Angli* illud in Batavorum ditionem conceſſerint, populum in illos incenderunt *. Nobis licitum eſt hæc omnia ludibrio habere, & tanquam frivola nimis à belli teterrimi periculoſiſſimiq; cauſis inter Chriſtianos, ſi non aliâ ratione, at ideo ſaltem funditùs repudiare, quoniam *Henricus Stubbius*, cujus gnavum in malitiâ ingenium, omnia, quæ excogitare potuit, probra in Batavos jactavit, ipſoſque leviſſimis de cauſis opprimi violentiæ impetu voluit; non multum ad bella movenda momenti in illis poſitum eſſe affirmavit. Petulans etenim iſte & famoſus libellio, qui calamo venali injuſtiſſimi iſtius belli patrocinium ſuſcepit, dicit ſummam querelarum omnium, totamque belli cauſam in eo conſiſtere, *quod Belgæ nobis haud dubiis maris arbitris, vexilla ſubmittere aſpernati ſint* †. Quid hoc ſibi velit, ut lectori clariùs noteſcat, animadvertendum eſt, Reges Angliæ è vetere memoriâ per maria iſta, quæ *Anguſta* appellantur, dominium ſibimet vindicare, nec oceani ibi communionem, & navigationem liberam aliis gentibus permittere, niſi qui Regi noſtro debitum honorem perſolverint. Honor iſte in eo conſiſtit, quod naves peregrinæ, quandocunque Regis Britannici navibus obviam fiant, vexillis demiſſis obſequii illis officia deferant. Batavi dignationem iſtam quam paulò antè in decimo *tractationis Bredenſis* articulo recens ab illis paciſcebamur, religioſe nobis ab illo tempore ſemper præſtiterant. Aulici noſtri, qui

* Vid. provocat. Angliæ ab Albæ Aulæ conciliab. tract. pol. par I. pag. 21. & increm. Papiſt. ibid. pag. 87. & Gul. Temple epiſt. ad Ormoniæ Ducem, anno 1673. inter Miſcel. ejus.

† Vid Henrici Stubbii vindic. ulteriores belli contra Belgas ſuſcepti, pag. 67.—

qui omni diligenter, ad bellum gerendum, occasioni imminuerunt, ab isto articulo simultatum sibimet ansam arripuerunt; complurib. etenim mensibus *, antequam fatale illud bellum erupit, Belgæ, prout in *Triplicis Fœderis* sanctione sociis fidem dederant, bellica classe non procul à suis littoribus mare tenebant. Dynastæ nostri, fidei illorum periculum facturi parvam *celocem*, Regium insigne & quatuor bombardulas gerentem, in mediam illorum classem ideo miserunt, ut, si fortè Belgæ præ incuriâ aut insciti debitum Regiis insignibus honorem detrectarent, hostilis impetûs ansam exinde quærerent. Illa per mediam classem rectà ad *prætoriam* usque navim penetrans, ipsam, officii incuriosam, bombardulæ explosione bis lacessivit. Novitas rei toti Belgarum Classi stuporem injecit. Classiarcha Belgicus, doli prorsus ignarus, ut officii erga *Britannicum Regem*, qui dudum se ad *Batavorum* amicitiam aggregaverat, documentum constitueret, ivit salutatum parvæ istius ratis Ducem, & scitatum tam novi consilii causam; cumque certior esset factus, ipsum bombardulis suis ideo crepitum in mari dedisse, quoniam Classis *Belgica* vexilli submittendi officium neglexisset; Classis Belgicæ Præfectus eâ usus est excusatione, se de re istâ, quæ superiorum temporum exemplo caruit, nullis mandatis instructum esse potuisse; quapropter, inquit, par est, ut lis ista à supremis rerum nostrarum arbitris dirimatur †. Injuriæ istius indignitatem Rex Britanniæ mensibus aliquot patienter tulit, nec apud *Fœderatos Ordines* querelas aliquandiu de istâ publicè interposuit, ne illi tempestivè moniti necessaria quæque ad bellum comparantes quasi ad arma conclamarent. Postea vero cum omnia bello maturissima erant, misit *Georgium Douningum*, virum equestrem, postulatum

* Mense Aug. an. 1671.

† Vid. hujus rei gestæ histor. in Papist. increm. tract. polit. par. I. pag. 78, 79.

latum à *Fœderatis Ordinibus*, ut de acceptâ injuriâ Regis Britannici animo ſtatim ſatisfacerent. Ille à Rege in mandatis habuit, ut intra dies præfinitos reſponſum ab illis auferret; quemadmodum igitur M. Popilius Lænas, Antiochum Epiphanem deliberandi ſpatium flagitantem, circumſcripſit virgulâ, juſſitque prius reſponſum reddere, quam egrederetur finito arenæ circulo *, ita *Douningus Præpotentes Ordines* in nimias temporis anguſtias concluſit; flagitavitque ut poſtulata omnia citiùs animo Regis gratificarentur, quam par erat reſponſum à tanto hominum conventu, & tam diſſita loca incolentium, elicere. Aliud vero erat in eâ ligatione majori reprehenſione dignum, quod Rex Britanniæ iniquiores ipſis conditiones proponeret, & novum quoddam obſequium & dominium in mare ſibi poſceret, quod in prioribus articulis & pactionibus eâ ſuper re habitis haudquaquam contineretur.

* Vell. Paterc. lib. 1.

Johannes De Vitus † qui à maximâ parte *Ordinum Fœderatorum* in eâ re diſſenſit, in causâ erat quod durioribus iſtis conditionibus aſſenſus Ordinum denegaretur. Atque exinde apud quoſdam in ſuſpicionem cecidit quaſi Galli partibus ſtuderet. Poſt *Douningi* diſceſſum inſedit Fœderatis Ordinibus ſuſpicio, Regem Britanniæ graviora conſilia animo ſuo erga ipſos meditatum fuiſſe ||; periculoſas itaque offenſiones ejus veriti, memorialem libellum latino ſermone ſcriptum *Boreelo* tradiderunt, ipſumque miſerunt in Angliam ut controverſiis finem imponerent. Aulici noſtri, quibus ſtatutum erat amicitias cum Batavis, nunc diſſolvere, de articulorum obſcuritate queſti ſunt. Poſt tergiverſationem iſtam conſilia noſtra Fœderatis Ordinibus palàm fiebant, *extraordinario* itaque *ablegato*

† *De Wit.*

|| Conſilium iſtud ex epiſtolâ à Rege ad Douningum ſcripta quæ nunc extat, compertiſſimum eſt.

gato ſuo poteſtatem fecerunt dilucidandi omnia quæ in articulis iſtis obſcura eſſent & ambigua. Ille rerum noſtrarum gubernatores oravit, ut quæ in iis conditionibus improbarent, non indigitarent tantummodo, verum emendarent etiam, aut novum quemvis articulum excogitarent, quæ tollendis iſtiuſmodi altercationibus in poſterum inſerviret. Sermonis iſta facilitas & blandum obſequium, Dynaſtas noſtros, ad curas & ſtudia belli intentos, anxios habuere. Iracundè itaque reſponderunt, *Fœderatos Ordines & miniſtros illorum maxime idoneos eſſe qui ſua ipſorum munia obirent, ſe nentiquam miniſterium illud gratum illis facturos.* Oratores Belgici, rerum ſuarum haud incurioſi, ſpecimen articuli controverſias omnes ſuper vexillo dirimentis, ſtatim cum illis communicarunt rogàruntque utrum idoneis conceptum eſſet verbis necne, atque illorum votis reſponderet. Illi iracunde reſponderunt ſe ſententiam ſuam eâ ſuper re non prius aperturos, quam pactionem iſtam ſigillo firmatam ipſis in manus traderent. Oratores Belgici ad iſtam etiam conditionem acceſſerunt. Quid multis? horam præſtituere, quâ diſceptationi iſti finem tandem aliquando conſtituerent. Die finiendis litibus ſtatutâ, noſtri Dynaſtæ verentes ne contentiones componerentur, atque illi datam commitendi belli occaſionem amitterent, *Sanctioris concilii* indixere conventum, ibique ante tempus præfinitum apertâ clarigatione Bellum Batavis denunciàrunt, poſtquam id geſtum erat, ad horam ſtatutam Oratores Belgarum adfuere, atque illud tulere reſponſum, ſe poſt tempus ſtatutum nimis ſerò veniſſe. Haud mirum equidem, *Conſiliarii* etenim noſtri, illorum ante occuparunt conſilium, moto etenim antrorſum horologii indice, horam præfinitam anticiparunt *. Atque hæc

* Vid. hæc omnia in provocat. Angliæ ab Albæ Aulæ conciliab. tractat. polit. par. I. pag. 21, 22. Henr. Stubbii ulter. defenſ. belli Belg. pag. 12. Increm. Papiſ. in tractat. polit. par. I. pag. 78, 79.

ideo

ideo fuſius commemoravi, ut lectori clarè indicarem qualiter Aulici noſtri, violatâ ſanctiſſimorum fœderum religione, belli prætextum ſibimet arripuerunt. Alia tunc temporis ante bellum commiſſum, fuere patrata, quæ, indicant inſidias quas in eo bello libertati noſtræ moliti ſunt. Hujuſce conſilii impetus iſte improviſus in Smyrnenſem Belgarum claſſem factus, quo vix ſceleratior unquam vis Neptunia intra regna conſpiciebatur, famoſum orbi Chriſtiano documentum conſtituit. Qualiter hoc geſtum fuerit, lectori paucioribus verbis expediam. Fortè evenit quod eodem tempore quo nos anſam Batavos bello laceſſendi captavimus ingens illorum mercatoria Claſſis mercibus opulentiſſimis onuſta, velis pleniſſimis domum è *Smyrnâ* navigabat. Aulici in occaſionem claſſis iſtius occupandæ imminentes, diutius, quam aliter feciſſent, bellum diſtulerunt; crediderunt etenim tam opima tot navium ſpolia paria fore ſumptibus belli, ſeque ſine tributa irrogatione, quod ab inſenſo ſenatu, inſidioſo in bello, non erat ſperandum, *Belgarum* gentem ſuis ipſorum opibus facile debellaturos. Miſerunt itaque *Robertum Holmeſium*; virum ſimili facinore antea notum, amplâ ſatis, ut arbitrabantur, claſſe inſtructum, quâ Belgas, longinquâ navigatione fatigatos, & non niſi quinque vel ſex præſidariis navibus ſtipatos, prædas in Angliam conveheret. Ille Aulicorum noſtrorum mandatis fungens, quibus nunc omnes fœderum religiones violare obſtinatum erat, ſecundo Iduum Martii * quatriduum ante publicam belli denunciationem † impetum in Batavos, media in pace nihil tale opinantes, prope inſulam *Vectim* fecit ‖. Ecce vero ut ſupremus mundi Rector ambitioſorum expectationem fruſtrabatur. Holmeſius, etſi in eo congreſſu

* Martii die 13.

† Belli etenim clarigatio Martii 17. facta erat.

‖ *Iſle of* Weight.

greſſu pluſquam virum ſe geſſit non ſperatam tamen Duci Eboracenſi Domino ſuo operam dedit, *non etenim è certamine iſto*, ut vir ingenioſus obſervavit, *tantum reportavit prædæ, quanta laceris navibus reficiendis, & curandis claſſiariorum vulneribus ſufficeret* *. Ex incœpto iſto facile erat conjectare, Aulicos noſtros nunc ſuorum benevolentiæ nuncium remiſiſſe, atque in eventu iſtius belli ſpem concepiſſe, ſe, ſubverſis legibus, plenam ſibi ac novam dominationem domi comparaturos: id ex aliis etiam quam plurimis indiciis haud dubiâ conjecturâ facilè colligi potuerat, omnia etenin nunc perinde gerebantur, quaſi res & conſilia illorum *ad triarios veniſſent*, & illis nunc eſſet ſtatutum omnia in ultimum diſcrimen mittere. Eadem etenim die, quo vim Belgis in mari tulerunt, ut egregiam domi moderationis ſpecimen præberent, *Sectariis* omnibus, contra legum ſanctionem, *libertatem conſcientiæ*, ut dicitur, edicto conſtituerunt. Fecerunt illud non ex benevolentiâ, verùm (ſicuti paulo poſt pleniùs demonſtraturus ſum) ut ſecundo illorum favore, in bello contra bonorum omnium voluntatem ſuſcepto, uterentur. Atque ut conſilia iſta manifeſtiora eſſent, bellum indixerunt tempore, quo comitia regni à conventu publico vacabant †. Id inſuper (ut vir ingenioſus ait) ſatis gravi argumento eſſe debet, Aulicorum cœpta à ſalute publicâ fuiſſe aliena, quod viros natalibus & virtute clariſſimos, quóſque fautores cœptorum haudquaquam futuros ſperabant, à conſiliorum communione arcuerint. Principi etenim *Ruperto*, quem, propter optimos mores, & ſtudia libertatis Anglicæ, Populus Anglicanus certatim amârunt; Duci Ormoniæ, viro exempli rectiſſimi, ſummoque lumini & Ornamento Gentis Hibernicæ; Domino Honorificentiſſimo magni

* Vid. increm Papiſtract. polit. par. I. p. 80.

† Vid Declarat. à Colmano ſcriptam.

gni Sigilli cuſtodi, & Johanni Trevor viro cum primis honeſto, quique Regi à *Secretis* erat, cœtu iſto conſiliariorum, in quo negotia peregrina * tractantur, ideo interdixerunt, quoniam minime expedire arbitrati ſunt, tam ſpectatos viros, tamque integræ exiſtimationis, iſtius participes fore conſilii, quod illi modis omnibus corrumpere conati ſunt. Atque in Johannis Trevor excluſione, ſingulare illud animadvertendum eſt, quod nemo Regi ab *epiſtolis* à tàm arduis conſiliis antè prohibitus erat †. Eodem tempore *Gulielmus Coventræus*, eques Anglicanus, vir Gallo infenſiſſimus atque omnibus ornamentis præditus, à quæſtuoſiſſimâ, ampliſſimâque dignitate quæſtoriâ ſemotus erat, ut *Dominus Cliffordus* in ejus locum cooptaretur, atque illi faciliùs inſidias ſuas molirentur ‖. *Cliffordus* iſte ſtudio & diligentiâ, in eo bello conflando, aliis omnibus præivit, atque eo quidem nomine belli iſtius gerendi conſilium conſideratis omnibus ſuſpectum erat, quòd ejus hortatu gerebatur *. Auxerunt ſuſpicionem iſtam honores in illum & reliquos iſtius conſilii Principes, tunc temporis non aliâ de causâ congeſti, quam quòd concitores ſuaſoreſque iſtius belli extitiſſent; aut ſaltem ut ſe non ab eo oſtenderent. Thomas etenim Cliffordus in collegium & ordinem Procerum Anglicorum, & quæſtoriam amplitudinem cooptatus erat; *Anthonius Aſhleius* quem à viro fide digniſſimo à Gallico fœdere abhorruiſſe accepi, ſupremi regni *Cancellarii* & *Comitis* inſuper dignitatem obtinuit †; Arlingtonius non tantùm in Comitum

* *Committee for Foreign Affairs.*

* Vid. provoc. Angl. ab Albæ Aulæ concili. ab. in tract. polit. par. I. pag. 23.

‖ Vid. Gul. Temple commentar. pag. 389.

* Vid. Temple commentar. pag. 1.—

† Comes Shaftsburienſis factus erat.

Comitum Anglicorum verùm equitum *Auratæ periſcelidis* Album, quo honore principes exteri à Rege noſtro inſigniri geſtiunt, adſcriptus erat; Lauderdaliæ Comiti, viro natalibus Scoticis, & domi pravis facinoribus famoſo, honor Ducatûs & periſcelidis etiam tribuebatur *. Buckingamiæ Dux, compos & particeps antea honorum omnium, qui penes erant Regem, non alia ſibi niſi militaria munera comparavit. Quinqueviri iſti †, quorum Cliffordus Princeps & Coryphæus erat, *principatûs* noſtri votis in eo bello ſuſcipiendo annuerunt. Bellum tamen iſtud non tam ex illorum hortatu quàm principum noſtrorum votis & rogatu geſtum fuiſſe ex eo patet, quod propter ſolas aſſenſiones datas conſiliis, honoribus ampliſſimis cumulati fuerint ‖. Atque hoc ideo memoro ut videant homines penes quos noſtrarum calamitatum culpa reſideat. Conſiliarii etenim *currentes*, ut in proverbio dicitur, *ſtimularunt*; id manifeſtò comperimus ex iis, quæ in ore atque oculis omnium poſtea palàm erant geſta. Nonnulli etenim illorum, qui ſtudio tunc accenſi videbantur omnia principatui gratificandi, ſe belli hortatores præbuere, cùm conſiliorum certiores facti, & cum reliquis popularibus commune periculum miſerati, paci publicè conſuluerunt, graves offenſiones & magna odia in ſe concitarunt. Comes etenim Shaftsburienſis, poſtea in manifeſtiſſimis periculis commoda patriæ propugnaturus, acrem pro pace ſe oratorem geſſit. Eo pacto gravem ſibimet invidiam movit, tandemque in ultimum vitæ diſcrimen adductus Belgarum gentem petivit portum & perfugium miſeræ fortunæ. Simile ſtudium, atque animus à Regis conſiliis alienus Regem à Buckingamiæ Duce non alienavit tantùm

* Vid. Gul. Temple commentar. p. 4.

† Qui vocabulo Anglis notiſſimo, *The Cabal*, appellati erant.

‖ Vid. Gul. Temple comment. pag. 11.—

tantùm verum in causâ erat quòd in *Arcu Londinenſi* cuſtodiam includeretur.

De conſiliis Aulicorum in eo bello (quæ indiciis & confeſſionibus Regis patefacta ſunt *) ſi nihil aliud, at illud certè quod paulò ante belli indictionem circa ærarium accidit, dubitationem omnem nobis eximere deberet, fortè accidit quòd virorum ſocietas argentariam Londini facientium, & ad eorum exemplum plurimi mercatores opulenti pecuniam Regi fœnori collocaſſent, cujus in ſolutionem publicam fiſci fidem obligavit. Duobus menſibus † ante belli indictionem, cum pecunia ingentem in ſummam excreverat ‖, Rex, inopiam cauſatus ex *Cliffordi* conſilio fiſcum occluſit, atque ita obligatam ærario fidem fefellit. Hujus rei non alia reddenda eſt cauſa, quàm quòd Aulici pecuniam, ad belli ſumptus ſuppeditandos, ante civium benevolentiam haberent, quorum amicitiæ, poſt leges per illud bellum everſas, tergum penitus daturi erant *.

Poſt apparatus iſtos, decimo ſexto Calendar. Aprilis † apertâ clarigatione Batavis bellum indiximus. *Ex eo temporis articulo, Nos*, inquit ſcriptor inſignis, *priores partes habuimus in ruinis omnibus, incendiis, direptionibus & cladibus quæ ad hanc uſque tempeſtatem contigerunt* ‖. Poſt indictum bellum, nos, inſtructâ claſſe, in campum maritimum contra Batavos ſub ductu & auſpiciis Ducis

* Vid. Gul. Temple comment. pag. 30, 31. & epiſt. ad Douningum à Rege miſſa, quæ optimatibus quibuſdam in manibus erat.

† Januar. 1. 1671.

‖ In ſummam duor. millionum libr. Anglic.

* Vid hujus rei relat. in increm. papiſm. in tractat. polit. par. I. p. 79. & Gul. Temple proſpect. anno 1671. inter miſcel. pag. 152.

† Martii die 17. initium belli.

‖ Vid. Increm. Papiſ. in tract. polit. par. I. pag. 81.

Ducis *Eboracenſis* omni feſtinatione properavimus. Illi nervos fermè omnes reipub. adhibuere ut noſtris conatibus obviàm irent. Eodem tempore Gallus, prout inter ipſum & Regem Britanniæ prius convenerat, terreſtres copias in aciem eduxit, tantuſque à repentinâ armorum ejus incurſione urbes illorum terror circumvaſit, ut locorum omnium munimentorumque difficultates facillimè vinceret.

Spatio duorum menſium quinque è ſeptem provinciis in ejus ditionem venerunt *. Tam facilis urbium expugnatio ex eo contigit, quod Batavi bello, quod cum Anglis in mari geſſere, unicé intenti, provincias terreſtribus præſidiis haud ſatis confirmárant. Inteſtina inſuper civium mala haud mediocre victori, ad res facilè gerendas, telum extiterunt. Animis & voluntatibus Belgæ tunc inter ſe diſſidebant propter afflictam Principis Auriaci fortunam. Ille jure naſcendi *Princeps* † erat *ſenatûs*, atque imperator exercitûs ‖. Veſana autem Johannis De-Viti factio *, qui fœderatorum ordinum *advocatus* erat *generalis*, ipſum, prolem poſthumam, poſt præmatura patris fata, ex altiſſimo iſto ampliſſimóque honoris gradu dejecerat. Res iſta ingentem animi ægritudinem viris nobilibus, civiúmque optimatibus effecerat; nunc verò præcipuè in extremo reipublicæ tempore ægre ferebant Duce ſibi carendum, qui propter vigorem juventæ, propter generis virtutúmque claritudinem, interpellandis hoſtium victoriis idoneus videbatur. Tenuit nunc plurimos opinio, incommoda reipub. ex eo proveniſſe quod Princeps Auriacus, majorum amplitudine ſpoliatus, bellum iſtud non adminiſtraret, inde præceps & indomita rabies vulgi, & furialis iſta

* Belgæ anguſtiis urgentur in bello. Vid. Gul. Temple ſpecul. Belgii.

† *Stadtholder.*

‖ *Captain General.*

* De-Vitorum factio contra Principem Auriacum.

De Vitorum cædes.

De-Vitorum cædes, cujus fama omnes Europæ gentes jampridem peragravit.

Princeps Auriacus patriis honoribus redditur.

Poſt necem De-Vitis atrociter allatam, qui in ſuſpicionem cecidere quaſi Galli partes nimis foviſſent, Batavi Principem Auriacum, fortem atq; animoſum juvenem, penatibus reddidere patriis, ipſumq; mutilati & labantis exercitûs Ducem creârunt.

Difficillimum illud erat reipub. tempus, Gallus etenim haud faciliùs pedibus, quàm victoriis omnia loca peragravit. Et niſi apud *Ultrajectum* moram feciſſet diutinam, ſive quod victoriis fortunæ indulgentiam fatigare noluerat, ſive quòd aliam vim à Batavis metuerat, quibus haud difficile eſt irruentes hoſtium copias aquis obruere *, totam illorum gentem in poteſtatem ſuam redegiſſet.

* Vid. Gul. Temple comment. pag. 19, 20.

Arauſionenſis ſtator reipublicæ.

Arauſionenſis ægrè ferens gentem ſuam uno velut impetu devinci, è tenebris nunc in lucem vocatus, excelſæ indolis manifeſtiſſima proferre indicia cœpit. Blandiebatur cœptis ejus fortuna, in ultimo etenim vulnere reipublicæ, quùm *Belgii* haud aliter quàm Romæ olim, poſt cladem Cannenſem, trepidatum eſſet, felicem ſe gentis *ſtatorem* comprobavit. Ille, Scipionem imitatus, qui in Africâ prælio laceſſendum Hannibalem monuit, neglectis prope hoſtibus, *Bonnam* ſubitâ obſidione expugnavit; atque ita in fines inimicorum penetrare decrevit. Poſt cœptum illud, Galli, priori mutato conſilio, victoriis in Belgas non tantum finem impoſuere, verùm oppidis munimentiſque, quæ ſemet illorum ditioni permiſiſſent, præter Trajectum ad Moſam † & Gravam ‖, ubique deſertis, omne robur exercitûs in aciem contra Arauſionenſem

† *Maeſtricht.*
‖ *Grave.*

rauſionenſem eduxerunt Exinde Batavorum reſpublica, interiori vehementique metu libera, reſpirare cœpit; exinde ſpretam ante Arauſionenſis pueritiam ſupra virtutem veterum Ducum evexit: tam præclarè etenim ſe geſſit, ut ubi Princeps Auriacus erat, ibi caput atque arcem iſtius belli fuiſſe putarent. In ſingulis præliis, quorum plurima per curriculum belli geſſit, adeo imperatorem commilitonémque miſcuit, ut imperator titulo, labore & vigilantia gregarius miles videretur. Tanta erat tunc famæ ejus celebritas, tam glorioſa cœptorum claritudo, ut, conſitente adverſario, *Facile maximus haberetur, niſi in LUDOVICI MAGNI tempora incidiſſet, cujus intra virtutis ſplendorem, haud ſecus quam ſyderum minorum fulgor, cum in ſolis radios incurrunt, reliquorum omnium mortalium æſtimatio omnis obſcuratur* *. Dolendum ſane illud erat in ejus fortunâ, quòd paucioribus copiis inſtructus, iiſque ex variis regionibus conſcriptis, nec unius ſatis parentibus imperio, cum Rege potentiſſimo, omnia nutu & arbitrio ſuo gubernante, belligerare neceſſum habuit; in eo tamen infortunio ſingulare illud erat, quòd tot difficultatibus conflictatus, uberiorem nactus eſt gloriam, atque eo major emicuit. *Secunda*, inquit Plinius, *felices, adverſa magnos probant.* Et ſane ſi quem alium iniquioris fortunæ tolerantia verâ laude cumulaverit, ſi magnæ ſit indolis ſignum poſt varias calamitates ſperare ſemper, neſcio quis Principe Auriaco ſempiternæ hominum memoriæ eo nomine commendatior eſſe debeat. Ut nihil etenim dicam de æquanimitate & ſilentio iſto quo De-Vitorum injurias & ſuperba faſtidia tulit, mirum eſt quanta magnitudine animi ad prælirandum ſemper obſtinatus manſit, poſt varias calamitates ab hoſtibus in eo bello acceptas, in quo *Imperatoris*

* Vid. Memoirs de Monſ. Aubery pour ſervir a l'hiſtoire de Holland, pag. 300.

toris Germanici auxiliares copiæ dolo Jeſuitarum pugnam detrectavere *, in quo Hiſpani, cogente rerum neceſſitate, expectationem ejus ſæpius fruſtrabantur, atque ipſi Batavi frequentes ultrò citroque querimonias jactitaruut. Illud vero præ aliis invictam illius fortitudinem & incredibilem patientiam commendat, quòd à principibus noſtris, ſtudia ſua ſingularia illi pollicentibus, diu ludificatus, in eo bello conſtanter tamen perſeveraret.

* Vid. Quomodo fuſè hoc refertur in libro cui titulus, *Imperator & imper. prodit.*

In ſuperiori capite cauſas, prætextus, initia, progreſſus, & eventum iſtius belli, necnon & Aulæ Britannicæ conſilia in eo gerendo ex parte indicavi. Nimium lectori tædium parerem ſi particulatim iſta referrem, ſi diverſos animorum motus, graveſque ſimultates ſigillatim explicarem, quæ inter Aulicos & Senatum intercellerunt. Aulicorum ea erat pertinacia & ſtudium belligerandi vincendique hoſtem, ut quamvis claſſiarios milites, averſos è prælio cernerent. Caduceatores tamen Batavorum, qui pacis petendæ oratores venerunt, aditu in *Aulam Regiam* prohibuere †. E contrà *Comitia Parlamentaria* operam enixè dabant, ut, bello compoſito, nos in gratiam cum Batavis rediremus; votaque illorum pro pace apud Regem indeſinenter effuſa, tantopere ſtomachum ipſi moverunt, ut ſæpius propterea finem *comitiis* iracundè imponeret ‖. Eò uſque tamen ſtudia eorum profecerunt, ut quod animis deſtinârunt ad illud Regem adigerent. Ex eo etenim quod *comitiis Regni* haud facilibus ſibi atque benignis in eo uſus eſt bello, pacem cum hoſtibus coagmentare

† Vid. Provoc. Ang. ab Albæ Aulæ conciliab. in tract. polit. par. I. p 10.

‖ Vid. Vindic. hujus imperii pag 58. increm. Papiſt. tract. polit. par I. p. 84, 85. Colmani epiſt. in tract. polit. par. I. p. 138.

mentare cogebatur *.

* Gul. Temple commentar. pag 47.

Poſt diſſociatas à Gallo, pacis iſtius † interventa, vires Anglorum, *Princeps Auriacus*, ad ſpem magnam erectus, Gallos propriis in finibus bello laceſſere decrevit, nec dubitavit *Cæſar Germanicus* quin ad *Pyrenæi tractatûs* conditiones nunc Galliarum Regem perducerent ‖. Senatus Anglicanus, ſi conſilia illorum apud eos valuiſſent qui rerum gubernacula tenuere, Imperatorem Germaniæ voti iſtius compotem feciſſent. Nihil ipſis æque cordi eſſe videbatur ac Galli ambitioni modum præſcribere ejuſque morari victorias quibus gentes devinctas in ſervitutem addicere nitebatur. Illi etenim, poſt confirmatam cum Batavis pacem, per continuum belli curriculum, ut in ſuperiori capite oſtendi, precibus Regem ſolicitabant, ut cum fœderatis gentibus arma contra Gallos conſociaret, importunæ iſtæ preces Regem adeo anxium habuere, ut ipſemet fateretur ſe ſenatum commodum ſibi ac facilem haud prius reperturum, quam pax inter Gallum & Confœderatas Gentes conventa eſſet *.

† Quæ menſe Febr. anno 1673/4. facta erat.

Arauſionenſis profectionem in Gallias cum copiis cogitat.

‖ Vid. Gul. Temple comment. pag. 28, 29.

Senatus Anglicanus Gallo adverſantur.

* Vid. Gul. Temple comment. pag. 277.

Videbant viri perſpicaſiſſimi, Regi Britannico, qui qualemcunque pacem vellet ſociis gentibus reddere potuiſſet, vitio id vertendum fuiſſe, quod Galliarum Rex, pluribus, durante bello, expugnatis urbibus, ad majoris amplitudinis faſtigium indies aſſurgeret. Res iſta plurimos contra Regem adeo vehementer accendit, ut prope ſeditionem ventum eſſet. Ipſemet Princeps Auriacus agnovit, ſe à viris *primoribus* pro communi

plurimarum gentium ſalute conſpirantibus, auxilio tunc temporis fuiſſe vocatum ut ſe caput iſtius defectionis præberet *. Illud Regi ſatis erat perſpectum, novit popularibus ſuis nihil gratius futurum, quàm ſi inimicitias cum Gallo, cum aliis amicitias ſuſciperet. Vidit oculos & ora illorum omnium, qui bellum ſociale contra Gallum gerebant, in illum fuiſſe converſa. *Fœderati Ordines* ſæpius ipſi per Legatum ſuum ſignificârant ſolum ipſum pacis arbitria in poteſtate ſuâ tenuiſſe †. Princeps Auriacus in eandem locutus eſt ſententiam ‖. Et Fagelus Fœderatarum Provinciarum advocatus generalis Gulielmum Temple, virum nobilem & pacis arbitrum monuit, quod ſi Belgæ ſeorſim à ſociis pacis inire conſilia cogerentur, culpa in Regem Britannicum conjicienda eſſet, cui in manu fuit ut Gallum ad pacem compelleret propinquis ſuis glorioſam ac ſalutarem *. Ille nihilominus pertinaciter in propoſito manſit, neque tantopere ſuorum gratiam, Anglicæ Gentis decus & gloriam, communis humanitatis vincula, & plurimarum gentium ſalutem morabatur ut horum retinendi gratiâ Galli obſequium deſereret. Sæpius quidem, parlamenti clamore inſtigatus, ſpeciem Batavis dedit quaſi arma contra Gallos capeſſere vellet. Illi, quotieſcunque inanibus iſtis promiſſis eos ludificaret, etſi multoties ſpe deſtituti animis ferme deſeciſſent, atq; pacem neceſſariò cogitaſſent, Anglorum tamen ſubnixi viribus, ultimam belli fortunam armis ſemper experiri decreverunt †.

* Vid. Gul. Temple comm pag 71. & pag. 151.

† Vid. Gul. Temple comment.

‖ Gul. Temple comment. pag. 69.

* Vid. Gul. Temple comment. pag. 219.

† Vid. Gul. Temple comment. pag. 314, 317, 332, 344, 367, 368, 370.

Haudquaquam illi, ſine ſociorum aſſenſionibus pacis fœdera pro ſeipſis privatim pepegiſſent, niſi nos datam

datam ipſis ſæpius promiſſorum fidem pecuniâ Gallicâ commutaviſſemus. *Beverningus* etenim Batavorum delegatus in *tractatu Noviomagenſi*, ſe neceſſitate coactum pacem iſtam cum Gallis egiſſe dixit, quoniam *Aula Britannica* ſpem ſociorum diu fefelliſſet *. Regis Britannici ſtudio & rationibus non aliud quippiam magis alienum erat, quam Gallo calamitatis aliquid moliri aut arma ſeriò intentare. In exitu quidem fatalis iſtius belli, plures cohortes in Flandriam miſit ſub ſpecie amicitiæ, ut *Hiſpani* urbes periculis obſidionis liberarent, & victorias Gallo extorquerent. Palam vero eſt id ipſum feciſſe, non quia gravem aliorum caſum miſerabatur, verùm quia non aliud conſilium tempori, cui nunc ſervire neceſſarium erat, adeo commodum exiſtimabat. Tunc etenim temporis famoſa iſta & nefaria conſpiratio, à Jeſuitis in favorem Galli ad noſtram & Europæ libertatem evertendam conflata, inventa primùm & in ſenatu detecta erat. Dux Eboracenſis conjurationis iſtius primarius erat author & artifex, ut hujuſce igitur neceſſitudinis invidiam, & imminencem ex illâ temporis procellam devitarent, utque nimii in Gallum ſtudii ſuſpicionem effugerent, exercitum feſtinanter conſcripſerunt, eumque contra Gallum in Flandriam tranſtulerunt †. Officium illud non animorum conciliorúmve, ſed temporis mutationi tribuendum fuiſſe, ad liquidum explorata veritas nos certiores fecit; tantùm etenim abfuit ab eo ut Rex Angliæ Gallo hoſtilem in modum iraſceretur, ut è contra pacis conditiones inter Gallum & Fœderatos Ordines, & è quibus fata Europæ pendebant, pretio ipſi venales haberet ‖. Quale inſuper ingenium ſtudiumque erga ipſum

* Vid. Gul. Temple comment. pag. 269.

† Hoc factum erat ad vitandam procellam domi. Vid. Gul. Temple comment. p. 366.

‖ Vid. Gul. Temple comment. pag. 319.

habebat indicio fuit ſecretus iſte nuncius, quo Batavos pacem cum Gallo facere coegit, atque ita Gallum neceſſarium ſuum periculis omnibus liberavit. Eodem etenim tempore, quo Batavis promiſit ſe ſocietatem ſalutis & periculi cum iis coiturum, bellúmque Gallo facturum, occulta mandata Albæ Aulæ, in *Portûs magni Duciſſæ* * cubiculo, compoſita, remotis aliis arbitris præter Gallicam iſtam Duciſſam & Barillonium Galli Legatum, *De Cloſio* cuidam tradidit, viro natalibus Gallicis quique Monachi cucullum maritali capiſtro mutaverat, ad Gulielmum Temple in Bataviam perferenda homunculus iſte, qui non alio in numero fuit, præterquam quod perferendis iſtiuſmodi mandatis ob vafrum ingenium Davus idoneus videretur, adductos in ſpem noſtræ clientelæ Batavos omni ſpe auxilii fruſtrabatur. Orator etenim Regius in *Tractatu Noviomagenſi*, qui ſtudio & voluntate à Gallo abhorruit, à Rege tunc præceptum accepit, ut pacem confeſtim inter Batavos & Gallum conficeret †. Et cum de pace iſta hic mentio inciderit, non illud mihi prætereundum videtur, quod à viro fide digno ſcriptis traditum reperio, *Jeſuitas nimirum pacem iſtam omni feſtinatione ideo conciliaſſe, ut, ſi forte conjurationes illorum ex ſententiis in Anglia ſuccederent, Rex Galliarum tempus a militia vacuum haberet, quo cauſam ejus ibi propugnantibus auxilia ſubmitteret* ‖.

* *Dutcheſs of* Portſmouth.

† Vid. Gul. Temple comment p. 335, 336.

‖ Vid Imperator. & Imper. prodit. quomodo & per quos, pag. 77, 78.

Hæc omnia fuſiùs quam pro deſtinato operis compendio ideo retuli, ut perſpicuum omnibus facerem, quibus artificiis viri dominationis immodicæ nimis cupidi, leges perfringere noſtras, atque libertatem obruere conati ſint. Batavorum Rempub. quæ moram

&

& impedimentum cœptis iſtis inferret, evertendam fuiſſe magnopere cenſuerùnt. Florentiſſima iſta reſpublica Gallo in itinere ad gloriam obſtitit, videlicet ne ſummum illud imperium quod ingenti ſpe jampridem devoravit in Europâ obtineret. Quid igitur ſuperfuit, niſi ut libidinis ejus adminiſtri illam exſcindere niterentur, Jacobus Rex princeps in iſto numero fuit, quapropter conſiliorum omnium & cœptorum ſemper particeps erat, quæ ad Gallici Regis emolumentum ſpectârunt. Suâ inſuper plurimum interfuit qui Anglis ſervitutem moliebatur, ut Reſpublica, quæ nos à tanto libidinis impetu vindicatura eſſet, bello deleretur. Quemadmodum igitur pridem, ſub fratris dominatu, conſilio, ſtudio, labore, gratiâ maximè nitebatur, ut immeritæ Genti calamitatem inferret ‖; ita dudum cùm ipſemet imperii clavum ſolus teneret, apertas cum illis inimicitias ſuſcepit, & quid brevi poſt hoſtilibus armis tentaturus eſſet, haud obſcuris indiciis patefecit. *Biennium jam*, inquit diligens rerum noſtrarum obſervator, *Prædones Juliæ Cæſareæ* *, *gentem navigiorum ſpolius quæſtuoſam, in Batavorum naves mercatorias involare non permiſit tantùm, verum ipſos ideo ad illud accendit, ut illi, opibus ita paulatim exhauſtis, injuriis ejus magis opportuni, & victoriis obnoxii redderentur, quandocunque bellum ipſis commoveret* †. *Belli iſtius conſilium quidam illorum haudquaquam*, inquit, *diſſimulant cùm inter majora pocula vino fervidiùs incaleſcunt. Atque inde eſt*, inquit, *quod unus è primoribus conjuratorum, cùm largiore vino uſi fuiſſent, generoſo compotori ſuo dixit, SE NEGOTIIS IN ANGLIA TUNC OCCU-*

‖ Vid. repræſentat. calamitat. Mag. Britanniæ imminent. in tract. pol. par. II. p. 404, 405.

* Algerines.

† Vid. repræſent. periculor. nobis imminent. in tract. polit. par. II. pag. 405.

OCCUPATOS FUISSE, QUÆ ILLORUM COEPTIS MORAM ALIQUAM FACTURA ESSET, QUIBUS PERACTIS, SE EFFECTUROS STATIM, UT BATAVI SE IN FUGAM CONJICERENT, ET IN EXTREMIS MUNDI ORIS PERFUGIUM ET PRÆSIDIUM SALUTIS SUÆ PETERENT ‖.

‖ Ibidem.

Tempus huic operi præſtitutum prope tunc aderat, cum Arauſionenſis, Optimatibus Anglorum exoratus, claſſem ad litora noſtra appulerit. Vere etenim inſequenti, ſi fortuna Arauſionenſem ab Anglià abſtinuiſſet, Regis Britannici odia haud ſatis occulta ad eorum perniciem erupiſſent. Continuis etenim menſibus, antequam Auriacæ expeditionis conſilia in Anglia noteſcerent, bellici apparatus Londini facti, & fama ingentis claſſis inſtruendæ ſtatim, & in mare deducendæ, multiplicem terrorem Batavis injecere *. De apparatibus noſtris & conſiliis in Belgas initis Jeſuitæ Leodicenſis epiſtola nos certiores fecit. Epiſtolam iſtam, haud commentitiam fuiſſe, vir magnus idemque de populo Anglicano optimè meritus, ſe in Helvetiâ didiciſſe mihi dixit. De eâ cum Fœderatorum Ordinum tunc in Anglià Legatus †, querelam ad Jacobum Regem detuliſſet: oſtende mihi epiſtolam, inquiebat Rex, & tibi monſtrabo utrùm vera ſit necne. Acceptam epiſtolam Rex apud ſe retinuit, nec Legatus eâ ſuper re reſponſum aliquod auferre ab illo potuit. Eodem tempore, cum bello neceſſarii matureſcere incipiebant, machinatores omnium conſiliorum pro more veteri, impenſam dedere operam, ut apud Anglos Belgicæ crudelitatis & injuſtitiæ iterum invidia gliſceret. In hunc finem

* Vid. epiſt. Jeſuitæ Leodici ad Jeſuit. Friburgenſ. Febr. a. 1677. in tertia chartar. collect.

† Monſieur Dickvelt.

Novellis

Novellis Literis * tunc traditum erat, Belgas eo ſuperbiæ & arrogantiæ deveniſſe, ut illorum inſolentia ulterius non eſſet ferenda. In quotidianis etiam colloquiis, apud infimæ plebis homines, crimina in Belgas ſerebant; neque è *Muſilipitano* nunc minorem belli prætextum quærebant, quam è *Surinamo* olim. *Fœderatos Ordines* haud iſta conſilia latuere, id ipſis manifeſtò erat compertum, quod paulò pòſt Orbi Chriſtiano palàm fecerunt, *Galliarum* nimirum, *& Britanniæ Reges cum animis ſuis ſtatuiſſe, extremum Reipub. illorum fatum accerſere* †. Cum igitur hæc ita ſe habuerint, cum Reges potentiſſimi furiali nimis ambitionis œſtro perculſi florenti reipublicæ malorum extrema machinati fuerint, ut eo pacto noſtram & Europæ libertatem funditùs everterent; nullus dubito, quin cordati homines nobis æquè ac Batavis ea condonaverint, quæ, noſtræ omnium libertatis retinendæ gratiâ, in ultimâ rerum neceſſitate neceſſario patrata fuerint.

* *News Letters.*

† Vid. Reſolut. Ordin. Fœderator. Octob. 28. an. 1688. in prima chartar. collect.

CAP. IV.

Complectens offenſiones populi in Regem propter uſurpatam diſpenſandi poteſtatem.

HActenus negotia foris ſuſcepta, quibus viri contra libertatem noſtram conjurati ſervitutem nobis, vicinis gentibus calamitatem moliti ſunt, ſummâ qua potui fide retuli. Nunc molitiones domeſticæ ordine memorandæ ſubeunt. Atque jam antea dixi me non omnia Regis incœpta ad libertatem noſtram evertendam

dam patrata ſigillatim enumeraturum, ſed electurum ea quæ maximè excellerent, & rerum capita in brevi quaſi tabellâ complexurum.

Ante reliqua id genus cœpta, mihi, rationem ordinis & rerum diſponendarum quærenti, vis illata *pœnalibus legibus*, quæ propugnacula erant murique tranquillitatis, & otii noſtri, & vendicata tunc poteſtas contra leges *diſpenſandi*, primò recenſenda videntur.

Unicum illud auſum quo pœnalibus ſenatûs conſultis fraudem fecit, ejuſmodi eſt, ut in eo omnia ferme contineantur. Quemadmodum etenim labefactandarum omnium legum causâ effectum erat, ita in eo leges omni modo abdicavit, nexus & neceſſitudines illarum diſſolvit, & conſequenter è vita vitæ ſocietatem ſuſtulit.

Ut factum illud lectori dilucidâ narratione innoteſcat, velim ut animadvertat, Angliam eandem tenere conſuetudinem quæ in Belgio, atque aliis nationibus cernitur, in quibus Chriſtiani diſpares religionis ſectas ſequuntur. Nusquam non terrarum etenim moris eſt, munia reipublicæ iis ſolis committere, qui religionis inſtitutum illud, quod legibus ſancitum eſt, publicè profitentur; idque ad publicam ſalutem tuendam, ne inferiores nempe Sectæ honorum communione animis nimis confirmati, perniciem tandem reipub. machinarentur. Si vero in aliis regionibus, ſpectatiſſimis atque honeſtiſſimis legiſlatoribus, qui oculos à republicâ non dejecerunt, haud viſum eſt, honores, ſive magiſtratus cum omnibus communicare, ne civilis communitas interiret; major erat ratio cur viri ſanctiſſimi atque ornatiſſimi noſtræ gentis, plurimos à curâ & vigiliis reipublicæ arcerent. In Anglià etenim præter ingentem iſtam turbam diſſentium, qui reipublicæ multum periculi faceſſunt, plurimi Romano-Catholici etiam reperiuntur, quos Jeſuitæ, Gallia-

rum

rum Regis ſtudio & cupiditati morem ubique terrarum gerentes in temporum ejus communionem trahere conantur atque exteros è Gallia atque Hibernià invehere haud difficile eſt. Quemadmodum igitur jampridem, cum Elizabetha rerum gubernacula tenuit, frequentes & nefariæ conjurationes illorum, in causâ fuere quod viri communi ſaluti invigilantes ad eorum audaciam reprimendam leges aſperiores excogitarunt: ita poſteriori hoc ſeculo, providè cautum erat, nequa calamitas reipublicæ ab illorum machinationibus oriretur. Inde evenit quod anno viceſimo quinto * *Caroli Secundi* quo tempore *Jeſuitarum* inſidiæ in Angliâ claruere, atque omnia domi militiæque Galli conſilio gubernata erant, *Comitia Parlamentaria* ſenatus-conſulto ſanxerunt, *nequis civili aliquo, aut militari munere, in republicâ fungeretur, niſi qui verbis uſitatis, atque à lege conceptis, jusjurandum fidelitatis & regii ſuprematûs* † *juraret*; *niſi qui Euchariſtiam juxta Eccleſiæ Anglicanæ inſtituta ſuſciperet*; *& aperte etiam declararet Tranſubſtantiationis doctrinam fidem apud Chriſtianos non mereri* ‖.

* Anno 1673.

† Oath of Allegiance and Supremacy.

‖ Vid. Statut. Angl. anno 25 Car. II. cap. 2.

Romano-Catholici, ſcio, Jeſuitarum vocibus inſtincti, foris plerumque opinantur, Senatus conſultum illud, quod recentis memoriæ eſt, & leges reliquas, contra *recuſantes* in hoc regno antehac latas à religionis Romano-Catholicæ odio ortum habuiſſe. Ego mehercule haud dubiam ſpem concepi, me pravam iſtam opinionem, quam de populo *Anglicano* animis imbiberunt, dilucidâ rerum geſtarum narratione, peregrinorum mentibus evulſurum. Id me aſſecuturum nullus dubito, quamprimum oſtendero, qualiter materia iſtius legis è ſuperiori memoriâ originem duxerit,

duxerit, & Pontificios, qui olim hiſce legibus pœnas dedere, eo tantùm nomine ſupplicio affectos fuiſſe, quòd in proditionis crimen inciderint. Ut igitur nobilem populum, quorum ingenio crudelitas omnis aliena eſt, tantâ ſimùl infamiâ levem, & patefaciam inſuper dolos & machinas, à Rege in iſtius legis diſpenſatione, libertati noſtræ fabrefactas.

Primò, cauſam pœnalium legum ferendarum à capite arceſſam.

Secundò, oſtendam qualiter Jacobus Rex iſti Senatus-conſulto vim fecerit, & poteſtatem contra leges diſpenſandi uſurpaverit.

Tertiò, oſtendam Regem contra jus faſque iſtiuſmodi diſpenſationis poteſtatem uſurpaſſe.

Quartò, conſilium libertatis noſtræ obruendæ, quod Rex ſibi in eo facinore propoſitum haberet, clarè patefaciam.——

§. I. Cauſa pœnalium legum ferendarum à capite arceſſitur.

Peregrini iſti rerum noſtrarum penitus ignari ſunt, apud quos Jeſuitarum convitia alumnis Eccleſiæ Anglicanæ propterea invidiam conflârunt, quod ſupremam auctoritatem Papæ per recens illud Senatus conſultum abrogarunt: in ſuperiori etenim majorum noſtrorum memoriâ, priuſquam Chriſtiana religio contrarias ſententias in Anglià obtinuit, legibus ſæpius cautum erat, ne Anglia detrimentum aliquod à Romano Pontifice, & Eccleſiâ Romanâ acciperet *. Atque illud omnibus eſt notum, *Henricum Octavum*, quem Papa, propter operam & ſtudium Eccleſiæ contra Lutherum ſcriptis navata, *Fidei Defenſoris* titulo inſignivit, Papæ principatui nuncium remiſiſſe. Res inſuper vel imæ plebis ſermonibus celebrata eſt, ipſum, eodem tempore quo proteſtantibus vitam ademit, propterea quòd Ec-

* Vid. Statuta 35 Ed. I. 25 Edv. III. 27 Edv. III. 16 Rich. II.

cleſiæ Romanæ dogmata non amplecterentur, *Thomam Morum* ſupremum Angliæ Cancellarium, alioſque crudeli morti ideo tradidiſſe, quòd Papæ ſupremátum ejurare recuſarent. Ex illo tempore miſeri tumultus Angliam infeſtarunt, Jeſuitæ, ſeditionum omnium faces, horum concitores fuere. Illi etenim, olim *Hiſpaniarum* Regis, nuper *Galli* favore imbuti, religionem quidem cauſati, revera autem, ut ſuis temporibus turpiter inſervirent Romano-Catholicos in Anglia à Regis obſequio in illorum partes trahere modis omnibus conati ſunt. Inde evenit quòd ſicuti *Comitia Parlamentaria* pœnale illud ſtatutum à me jam memoratum, in memoriâ noſtrâ tulerunt, ut Jeſuitarum inſidiis obviàm irent: ità jampridem leges huic cognatas ſæpius ſanxerunt. *Elizabethâ* regnante gravius in Pontificios conſultum erat; tunc etenim *Sanguinarias Leges* (ut appellantur) quibus ſub pœnâ capitis Jeſuitis aquâ & igni in Angliâ interdicebatur, gravate quidem compoſuerunt. Si tranſmarinis Romano Catholicis compertum eſſet, quàm durâ neceſſitate ſubacti, Angli leges iſtas juſſerunt, deſinerent nobis ea propter ſuccenſere. Haud illi etenim antè gravioribus Senatuſ-conſultis in Romano-Catholicos animadverterunt, quàm Jeſuitarum inſidiæ neceſſariò effecerunt, ut commodando ſeveritatem ſceleratiſſimis conjurationibus, communi ſaluti conſulerent.

Ait Cokus ante annum Elizabethæ viceſimum tertium nullam in *recuſantes* legem datam *. In primordio regni ejus idem refert Romano-Catholicos Eccleſias & preces noſtras haud repugnantes adiiſſe; cujus verbis Garnetius & Sanderus Jeſuitæ aſtipulati ſunt †. Quæret itaque lector, quid inimicitiis ſubſecutis & durioribus legibus materiam poſtea præbuerit?

* Vid Abbot. Antilog. cap. 6. pag. 88.

† Vid. Sander. de Schiſm. Anglic. p. 185. & Abbot. Antil. c. 6.

Facilis

Facilis & prompta reſponſio eſt, Jeſuitæ nimirum, paci graves homines, reipub. noſtræ turbatores, ſeditionum faces, ferendi leges iſtas ſenatus neceſſitatem impoſuere. Illi in causâ fuere quod *Pius Quintus* bullam in Angliam miſerat, & obedientiam Elizabethæ præſtandam, de quâ, per undecim annos Reginæ, pauciſſima inter Pontificios quæſtio erat, vinculo anathematis interdixerat. Illis tribuendum eſt, quod à *bullâ* iſtâ motus Borealis ſub *Northumbriæ* Duce non ita multò pòſt inſecutus eſt; & conföederatio ſceleratorum ſub prætextu religionis in apertam rebellionem erupit. Poſteà etiam cum Pontifex, Jeſuitarum mendaciis inſtigatus *, ſpe ſuâ ceciderat, illorum operâ inductus *Hiſpaniæ Rex* duram provinciam *Elizabethæ* de regno deturbandæ, gentiſque noſtræ ſubjugandæ, hoſtili manu obeundam ſuſcepit. Longum eſt commemorare quàm infandis proditionibus, *Hiſpano* proſperam expeditionem in Angliam aperire, & *Reginæ* vitam eripere nitebantur. Cardinalis *Alanus*, Patris *Parſonii* Jeſuitæ rogatu, librum ſcripſerat, teſte *Watſono* è ſeminario ſacerdote, quem perductâ in portum claſſe Hiſpanicâ, & copiis in terram expoſitis evulgandum ſtatuerat, cujus pars altera *Declaratio Sententiæ Pii Quinti, &c.* Altera verò *Admonitio ad nobilitatem & populum Angliæ*, inſcripta eſt. Initium facit, inquit *Watſonus*, ab odioſiſſimâ in Regiam Majeſtatem declamatione, & omni contumeliarum genere refertiſſimâ, id agens ut eam apud ſubditos in contemptum adduceret, efficeretque quantum poſſet ut exoſa Deo omnique hominum generi videretur, ut nec Lucifer quidem ipſe, ingenioſiſſimus inferni Dæmon, quicquam malitioſius excogitare poſſit. Deinde inquit, Nobilitati totique populo hujus regni indigenæ graviſſimâ denunciatione bonorum

* Vid. libel. à Pontificio ſcript. cui titulus, *Important Conſiderations*, pag 56.

bonorum omnium & terrarum jacturam, vitæque ipsius adeo damnationem interminatur nisi mox in Hispanorum adventu vires suas omnes illis adjungant, *&c.* *

* Vid. Watsoni quodlibet. 8. art. 7. vid. etiam Alani admonit. pag. 51, 52, &c.——

Haud opus erat ut *Parsonius* alium exquireret qui virus acerbitatis suæ in Reginam evomeret, ad omnia etenim istiusmodi scelera summum ipsius excellensque ingenium satis ipsummet armavit. Ille, teste eodem Watsono, varios libellos scripsit, non aliam materiam complectentes quam conjurationes † in Reginam, scelera in ‖ rempublicam, fraudes in stirpem * Regiam, & pravas molitiones in politiam † Anglicanam. Præter hos alii fuere, qui, Hispani studio correpti, & rebus hujus Sæculi turpiter inhiantes ‖, quantum poterant, voce & argumentis contendebant, ut populum Anglicanum à Reginæ obsequio deflecterent. In hunc finem Sanderus Jesuita scriptis tradidit, Elizabetham, quæ tunc rerum potiebatur, Hæreticam fuisse, ob eamque causam omni dominio & potestate, quam in Catholicos usurpabat, jure excidisse, impunéque ab illis velut Ethnicam & publicanam haberi posse, nec eos illius legibus aut mandatis deinceps obedire teneri *. Ex hisce proditionibus quibus vitam fortunasque Reginæ in extremum periculum adduxere, leges istæ, quas Jesuitæ tantopere calumniantur, & *Sanguinarias* appellant, originem duxere; ad illarum odium diluendum satis est dicere, neminem propter illas vitam perdidisse. Ait etenim Cokus, quinquen-

† Ut argument. *Philopatris.*

‖ Quod argumentum est *Dolmans.*

* Quod argumentum est *Appendicis.*

† Quod est argumentum *Machiavelis Oeconomicorum.*

‖ Jesuitæ nimirum beneficia omnia Ecclesiæ penes ordinem suum retinere statuerant.

* Vid. Sander. visib. Monarch. Eccles. l. 7.

nio Mariano, trecentos ſolà religionis causâ occidiſſe, ſub Elizabethâ vero per annos quadraginta quatuor pro merâ religione planè nullum *.

* Vid. Abbot. Antilog. cap. 6. p 95.

Illud inſuper omnem crudelitatis invidiam à populo Anglicano removere debet, quòd leges iſtæ non voluntate ſancitæ erant in religionem Romano-Catholicam, ſed importunâ neceſſitate, & ferè per vim expreſſæ atque extortæ.

Teſtes ſunto innocentiæ noſtræ, in hac parte ſcriptores Romano-Catholici, non alios impræſentiarùm producam, qui Anglorum lenitatem & clementiam peregrinis gentibus vindicent.

Dicit quidam ex iſto numero, inſigniter eos mentiri qui ſcriptis tradiderunt, viros capitali ſupplicio affectos, pro religione morte occubuiſſe, aut quia Papæ poteſtatem non ejerarent. Perduellionis, inquit, pœnas dederunt legibus jampridem † ſub *Edvardo Tertio* latis ‖. Jeſuitas ait in eam curam & cogitationem incumbere, ut Angligenis perſuadeant cum peregrinis in rempub. invadentibus arma conſociare *. Dicit neminem ad ſupplicium ob religionem rapi qui hoſtilia adverſus Reginam induentium impetum repellant †; verum eos ſolummodo capite plecti, qui inficias eunt *Elizabetham* Angliæ reginam eſſe ‖.

† Circa annum 1330.

‖ Vid. execut. juſtitiæ in Angl. p. 7.

* Ibid. pag. 3.

† Ibid. pag. 10.

‖ Ibid. pag. 13.

Seculares Sacerdotes libro ab ipſis in lucem olim edito plurima in hanc ſententiam loquuntur. *Papa Pater Sanctiſſimus*, inquiunt, Jeſuitarum dolis & mendaciis luſus, author erat Hiſpaniarum Regi, ut cohortes omnes, quas in Belgicis provinciis haberet, ſub *Ducis Albani* auſpiciis in Angliam mitteret, ſubſidio

fidio Norfolciæ Duci, qui arma contra Reginam capeſſeret *. Nobis, inquiunt †, animis contemplantibus, quam multa Jeſuitæ in Reginam factis ſcriptiſque commiſerint; mirum potius videtur tot utriuſque generis Catholicis vivendi copiam indulgeri, quàm quod ordines regni taliter nos tractaverint †. In ſolis Jeſuitis, inquiunt, conſtat cauſa calamitatum omnium quas ſub Elizabethæ imperio perpeſſi ſumus ‖. Fatendum ſane eſt leges æquiſſimâ ratione, in nos ſancitas fuiſſe, nec rerum noſtrarum gubernatores ab illis ferendis abſtinere poterant, niſi communis ſalutis curam omnem prorſus abjeciſſent †.

* Vid. libel. cui titulus *Important Conſiderations*, pag. 57, 58.

† E ſeminario ſacerdotes.

‖ Vid. *Important Conſiderations*, pag. 52.

* Ibid. pag. 62.

† Ibid. pag. 59.

Alter etiam Alumnus Eccleſiæ Romanæ juxta bonorum omnium ſenſum dicit, inſigne ſtudium *Patris Parſonii* erga Hiſpaniarum Regem in causâ fuiſſe, quod *Leges Sanguinariæ* excogitatæ eſſent ‖. Inde eſt quod Watſonus è ſeminario ſacerdos ſupra memoratus Parſonio Jeſuitæ ita loquitur, *Nulla hic lex facta eſt ad Sacerdotum Sanguinem fundendum, donec tu & proditorum genus tuum conjurationibus veſtris omnes pariter in ſuſpicionem adduxiſtis* *. Et alibi quoque agnoſcit, patrata à Jeſuitis flagitia actiones & leges contra ipſos acerbiùs conſtitutas, juſtiſſimas comprobaſſe: nemo tamen illorum, inquit, dictum illud Jonæ adhuc totidem verbis recitavit, *Si orta ſit hæc tempeſtas propter me projicite me in mare* †.

‖ Vid. Jeſuitar. rationes irrationales, p. 102.

* Quodlibet. 4. art. 7.

† Quodlibet. 5. art. 4.

Ex hiſce Romano-Catholicorum teſtimoniis videre eſt leges, *Elizabethâ* regnante, contra *Recuſantes*, neceſſariò in *Reginæ* & regni incolumitatem fuiſſe ſancitas, & culpam illarum in Jeſuitis reſidere.

Eadem gens virorum, Orbi Chriſtiano ſupra quàm dici poteſt exitiòſa, quibus in voto & expedito eſt, ſub obtentu pietatis & fidei, quâ nulla cogitari poteſt major iniquitas, miſcere ſumma imis, prophana ſacris, motus & turbas excitare, conflare rerum publicarum incendia, Reges & ſubditos eorum inter ſe committere, perjuria, proditiones, parricidia, ſubornare; ſtatim, poſtquam Elizabetha fato conceſſit, clandeſtina ſceleraque conſilia iterum ſtruere inceperunt. Inter initia etenim Principatûs *Jacobi Primi*, Garnetus Jeſuitarum in Anglia Principalis (prodigium eſt quod narro) inceptum horrendum, quo poſt homines natos nihil atrocius unquam audiebatur, meditatus eſt, uno nimirum momento majeſtatem ſimul & ſtirpem Regiam, auguſtum purpuratorum Cœtum, lectiſſimos ex toto regno plebeiorum delegatos, & per illos totam ſimul rempublicam, tanquam unam Cervicem ex Caligulæ voto ſuccidendam, incendii unius impetu penitus è medio tolere. Ex inhumano iſto ſcelere, *juramentum fidelitatis* *, & quæcunque in Catholicos graviùs conſulta fuere, Teſte Romano-Catholico, cauſam & originem accepere; Jacobus etenim Rex, inquit ille, profeſſus eſt ipſos proditionis tantum non religionis pœnas ipſi perſoluturos †.

* Quod in pœnali etiam lege à Jacobo ſecundo violatâ continetur.

† Vid Jeſuitar. rationes irrational. p. 102.

Mora eſſet ſi ſigillatim memorarem ſcelera omnia quæ perditi iſti & profligati alaſtores, miro apparatu & choragio crudelitatis contra rempublicam noſtram poſt *Jacobi Primi* etiam tempora perpetraverint. Jeſuitis præcipuè tribuendum eſt quod Cives furibundi

Carolum

Carolum Jacobi filium & ſucceſſorem in regno, infortunio primùm, deinde morte mactârunt; illi etenim *Oliveri Cromwelli* Tyranni Regicidæ colloquio & conſiliis ſe immiſcuerunt *. Mirum eſt etiam quàm numerosà proditionum ſerie eos, poſt reditum *Regiæ Familiæ*, nobis infeſtos experti ſumus. Ipſis tanquam primariis incendiariis horribile illud incendium imputandum eſt, quod anno ſexto poſt ingreſſum Regiæ Familiæ †, in urbe Londini graſſabatur ‖. Illorum induſtriâ & conatu funeſtum illud bellum, cujus in ſuperiori capite mentionem feci, quodque exitus nobis & Europæ exitialis habiturum ſperabant non ſine inſigni perfidiâ in Batavos erupit *. Facinus illud Senatui noſtro compertum erat, atque ex eo contigit, quòd, cum viderent authoritatem Jeſuitarum indies in Anglia gliſcere omnia propemodum veſanis illorum conſiliis gubernari, rem fortunamque Batavorum ſub Gallorum armis ſemper in pejus inclinare, Regem ſupplici libello comprecati ſunt †, ut regno Angliæ Jeſuitis interdiceret ‖. Atque intra ejuſdem anni curriculum, ut obviam irent inſidiis omnibus, rempublicamque ab imminentibus calamitatibus incolumem retinerent, memoratum ſuperiùs Senatus-conſultum ſanxerunt, cujus relaxatio inter prima conſiliorum ad evertendam noſtram libertatem à Rege inventorum meritò recenſenda eſt. Atque hæc ego fuſiùs quam pro deſtinato operis compendio retuli, ut patefacerem diutinas Jeſuitarum molitiones, quæ Anglis neceſſitudinem fecere, ut iſtiuſmodi

* Vid. Jeſuitar. rationes irrational. pag. 103.

† i. e. Anno 1666.

‖ Vid. exempl. epiſt. ab Heidelb. miſſæ Septemb. 29. 1666. in tract. pol. par. II. p. 33.

* Vid. Imperator. & Imper. prodit. p. 39 43.

† Martii die 7. 1672.

‖ Vid. ſupplic. iſtum libel. in tract. pol. par. I. p. 29.

modi legum ſanctione, communi ſaluti proſpicerent; atque ita legum iſtarum invidiam omnem diſſolverem. Supereſt ut oſtendam qualiter Rex iſti ſenatuſconſulto vim fecerit, & poteſtatem contra leges diſpenſandi uſurpaverit.

§. II. Quo pacto Jacobus poteſtatem contra leges diſpenſandi uſurpaverit, oſtenditur.

Celebre illud ſtatutum, quod à mulctâ *recuſantibus* ob ſuſceptum reipublicæ munus irrogatâ, *pœnalis legis* *, ab inquiſitione vero in candidatorum *fidelitatem* & *religionem* factâ, legis *ſcrutinii* ſive *examinis* †, nomen obtinuit; in difficillimo reipublicæ tempore ideo latum erat, ut ab ingruentibus periculis, à Gallici Regis, Ducis Eboracenſis, & Jeſuitarum inſidiis, Anglorum genti ſecuritatem pareret. Sanctio iſtius tam ſingulari beneficio rempub. affecit, ut Comes Shaftsburienſis, inventor & hortator legis, etſi in aliis peccâſſet, propterea tamen dignus erat qui ab omnium ſeculorum poſteritate gratiam iniret. Jacobi Regis, ſervitutem patriæ molientis, maximè interſuit, ut lex iſta, reliquarum omnium legum robur ac columen penitùs everteretur.

* *Pœnal Law.*

† *Teſt Law.*

Initio itaque regni, cum videret ſibi aut de conſiliis deſtinatis deſiſtendum ſuiſſe, aut aliquid contra legis iſtius ſanctimoniam audendum, viros militiæ præfecit haud iſtius muneris legitimè compotes. Atque intra paucos menſes poſtquam rerum potitus eſt, cùm devicto ſublatóque æmulo ſuo *Monumethenſi Duce*, fortuna ſe animo ejus inſuderat, atque orientem eam, moderate & prudenter ferre neſciverat, rogavit ſenatum *, ut non ægrè illud paterentur, quod citra *ſcrutinium lege indictum, quoſdam muneris iſtius exortes militiæ præfecerat:* dixitque animoſe quaſi legibus & ſenatui bellum nunc indicturus

* Octob. 9 anno 1685.

rus videretur, *Se meritis illorum gratiam non tribuendo, haud commiſſurum, ut illorum ſtudio & operâ deinceps indigeret.* Ordines Regni oratione iſtâ certiores facti Regem nunc obſtinâſſe animo omnia juris repagula perfringere, atque Anglorum evertere libertatem, reſponderunt, ſe delinquentibus delictorum hactenus commiſſorum eâ lege gratiam facturos, ut nihil in poſterum contra iſtam legem committeretur. Ex eâ tempeſtate ſimultates & diſcordiæ partim obſcuræ partim apertæ inter Regem & populum gliſcere cœperunt. Omnia Regis incœpta poſteà populo ſuſpecta erant, atque ille nonnullis augendi potius, quam fugiendi ſuſpicionem cupidus videbatur. Nullum etenim poſteà ſenatui conventum indixit, tantumque aberat à religione officii in legum & ſalutis publicæ cuſtodiâ, ut omnia pro cæcâ animi libidine contra legum auctoritatem civiúmque ſalutem indies auderet. *Pœnale ſtatutum* illud, quo ſalus publica nitebatur, ne hilum quidem morabatur, verum plurimos peſſimâ fortunâ dignos, militiæ & rei civilis honoribus contra legis ſanctionem, ornavit. Ne verò vis iſta legi indeſinenter adhibita odia civium acerba nimis incenderet; & ne poſt Regis mortem pœna & mulcta violatæ legis à *recuſantibus* exigeretur, dolorum artifices concilium excogitârunt, quo non ſolum vim ſenatuſconſulti iſtius luſerunt, verùm ſtatutis omnibus fraudem fecere, atque legis authoritatem voluntate Principis poſteriorem habuere: qualiter hoc fecerunt paucis expediam.

Lex iſta juſſit, ut, ſiquis munere aliquo publico perfungeretur, qui juramenta ſuſcipere & reliquis legis mandatis ſtare recuſaret, is reus peractus damnaretur in ſummâ quingentarum librarum quæ præmio illi cederent qui delinquentem primus in jus vocaret. Jacobus Rex, eodem anno quo regnum ingreſſus eſt, *Edvardum Haleſium* virum in equeſtri Ordine nobilem, atque legibus obnoxium, tribunum militum creavit.

Honor iſte Haleſio traditus, atque orta ſuper eâ re quæſtio materiam Regi præbuere impotentioris captandæ dominationis. Id judicum & juriſconſultorum quorundam, culpâ accidit, qui Principis cupiditati & ſtudio morem gerentes, judicio ac legibus, atque officii dignitate ad quæſtum atque libidinem abuſi ſunt. Illorum conſilio fretus *Arthurus Goddenus*, Haleſii ſervus, heri juſſu, in curiâ quæ *Bancus Regius* appellatur, domino ſuo litem intendit. Actor dicam ſcripſit, inque eâ judices rectè monuit, Edvardum Haleſium virum nobilem quarto Calendar. Decembris * annoque primo *Jacobi Secundi* pedeſtris cohortis præfecturâ à Rege ornatum, legi non ſatisfeciſſe: quapropter oravit ut juxta legis præſcriptum curia pecuniam ſibi decerneret *recuſanti* pœnæ nomine indictam. Reus ad contrariam partem attulit, Regem ipſi, intra trimeſtre ſpatium poſt acceptam tribunitiam poteſtatem, & ante litis conteſtationem, per diploma ſuum magno Angliæ ſigillo munitum, gratiam feciſſe juramentorum & reliquorum omnium, quæ legis ſanctione neceſſariò præſtanda eſſent, ut quis muniorum reipub. potens haberetur. Lite ita conteſtatâ & ſtatu cauſæ penitùs cognito, reus † oravit judices, quorum ſententias ſatis ante intellexit, ut judicium inter litigantes pronunciarent. Illi, nullâ legum aut ſalutis publicæ ratione habitâ, verùm ut oſtenderent quam alacribus ſtudiis omnia Regis libidini gratificaturi eſſent, ſecundum Haleſium decreverunt. Erat quidem illud in eo judicio ſingulare (quo tamen juris æquabilitas haudquaquam commendatur) quòd qui cauſam amiſit æquè ac victor exultavit, minimè id mirum eſt litigantes etenim colluſoriè actionem fictam inſtituerunt, cauſamque partis querelantis

* Novemb. 28. anno 1685.

† Haleſius.

querelantis juriſconſulti frigidè atque intermortuis argumentis ex induſtriâ egerunt, ut legibus publicè in judicio devictis (quod fermè ſemper niſi ſub bono principe fieri ſolet) omnia in poſterum ad nutum arbitriumque Regis regerentur, id judicum conſilium fuiſſe utì ex aliis omnibus ita ex eo præſertim apparet, quod *Wallopum* virum libertatis Anglicæ ſtudioſum & juris conſultiſſimum, à legis & *actoris* patrocinio prohibuerint *. Neque eſt quod nos miremur profligatam iſtam in judicibus fidem, & iniquam ſententiam latam à publicæ juſtitiæ præfectis, qui compertum habemus, quibus artificiis Rex corruptelam judiciorum prius moliebatur.

* Vid. Vindic hujus imperii, pag. 10.

Illi, ut ſuis inſervirent temporibus, ut é judicum albo non eraderentur, verùm honorem iſtum incolumem retinerent, quem *Carolus Primus*, durante vitâ impertiri antea ſolitum, judicibus quamdiu ipſi libitum eſſet, conceſſit ‖; non ſolum fas patriæ, legum ſanctimoniam, jura populi Regis libidini proſtituerunt, verum & ſuam ipſorum dignitatem projectiſſimam habuere. Magnum hoc & piaculare nefas audire debet, præſertim cum à Deo ipſo tantus honos judicum Ordini habeatur, ut eos non modo Reges, ſed etiam Deos vocet. Suamque quoad fieri poteſt, dignitatem cum illis communicet. Ut facinus illud quod contra leges patraverit clariùs noteſcat, judicium illorum ad juris examen breviter & ſtrictim revocandum eſt.

‖ Vid. Salmaſii defenſ. Regiam, pag. 309.

§. III. Rex poteſtatem diſpenſandi contra jus & fas uſurpavit.

Verulamius noſter, vir ingenio præſtanti & eruditione perfectâ, dicit, *Eam legem præſtantiſſimam eſſe quæ minimam licentiam judici permittit, eumque optimum eſſe judicem,*

* Vid. Verulamii aphoriſm. 46.

dicem, qui minimum ſibi licere vult *. Romanæ etiam eloquentiæ Princeps dicit, *Boni*

judicis eſſe voluntatem

legiſlatoris authoritatemque defendere †. At certo certius eſt judices noſtros qui ex Regis ſententiâ contra ſenatuſconſultum judicarunt, ut ſe ad legiſlatorum voluntatem non conformárunt, ita licentiam ſibi à legibus indultam in judicio ferendo longè prætergreſſos fuiſſe, juris etenim antiſtitum illud oraculum erat, Regi licitum eſſe, jure prærogativæ ſuæ, legum relaxare vincula, & contra illarum decreta diſpenſare. Si res ita ſe habeat, tunc majores noſtri, qui rempublicam hanc legibus fundárunt, fruſtra ſacroſanĉti ſenatûs indixere conventus, fruſtrà ſtatuerunt, ut penes ſolummodo *trinos Regni Ordines* eſſet legum ſanĉtione civium ſaluti proſpicere. Neſcio etenim quid communis ſalutis interſit, leges ferri ab omnibus regni ordinibus, ſi penes unum erit illas poſtea pro arbitrio ſuo reſcindere.

† Cicero pro A. Cæcinâ.

Neminem exiſtimare velim me hæc perinde loqui, quaſi piaculum id cenſerem, ut Rex vel tantillum contra legis præcepta peccaret. Mihi ſemper intolerabiles eorum vitæ ſunt quiritationes, quibus moris eſt omnia à Regibus in reipublicæ gubernatione geſta ad leges atque inſtituta regni acerbiùs exigere. Hoc nihil aliud eſt, quàm vexillum ad ſeditiones & tumultus in omnibus regnis erigere, omnia turbis miſcere, & totum terrarum orbem cladibus & calamitatibus implere. Impoſſibile eſt ut rempub. adminiſtrantes, qui præſunt civitatibus, quæ ex diverſis & quodamodo pugnantibus hominum generibus, ordinibus, conditionibus, naturiſque coeant, quique rerum & temporum occaſiones captare neceſſum habent, ad acerrimam legis normam omnia efficerent, ad præſentia & præterita legiſlator leges accommodare non poteſt,

teſt. Præterea eſt in legum imperio aliud incommodum, lex etenim quaſi pertinax & imperitus quiſpiam officii exactor, nihil rectum putat niſi quod ipſa jubet. Lex ſurda inhumana inexorabilis eſt, quapropter haud iniquum videtur, ut Rex aliquid de legum ſeveritate aliquando remittat: ut apud illum infirmitatis & temeritatis ſit excuſatio, & veniæ in errore deprehenſo locus. Æquum eſt illi, aut ſaltem non iniquum, Mennii ad inſtar, multa ſæpius jubere, *bono magis exemplo, quam conceſſo jure* *, ſi modo provida iſta relaxatio utilitate ſeu neceſſitate penſetur.

* Tacit. Annal. p. 27.

Etſi verò ne materiam ſeditioni conflare videar contendere velim, Regi haud nefas eſſe lineas aliquando tranſire legis, nolim tamen perinde intelligi, quaſi infinitam ipſi licentiam, leges, commodi ſui causâ, velut Lesbiam regulam inflectendi, indulturus eſſem.

Mihi quidem nihil legum naturæ in genere aut municipali Angliæ juri, æquè oppoſitum eſſe videtur, ac vaga iſta poteſtas diſpenſandi quam legum interpretes Regi permiſerant, præterquam enim quod juris antiſtites, re tunc judicatâ, commiſerunt, ut omnia legum omnium vincula à Regis arbitrio penderent, ea etiam erat legis tunc violatæ materies, quæ ipſam ab omni diſpenſationis injuriâ vindicare deberet. Sed ut de culpâ iſtius judicii plane conſtet, paulo fuſius demonſtrandum eſt, uſurpatam in leges diſpenſandi poteſtatem iſtam naturæ legum è diametro oppoſitam eſſe, & noſtræ etiam politiæ maximè repugnare. *Diſpenſare, hoc eſt, lege ſolvere is ſolus poteſt*, inquit Grotius, *qui ferendæ abrogandæque legis poteſtatem habet* †. Dicit Vaſquez poteſtatem diſpenſandi penes illum eſſe *qui habet poteſtatem condendi & abrogandi legem* ‖ Puffendorfius ex eadem ſententiâ loquitur.

† Grot. de æquit. indulg. & facilit. c. 2. n. 10.

‖ Vaſquez 1, 2. diſp. 178. c. 2.

tur *. Suaretius etiam cum numerosâ ſcriptorum catervâ tradit, illius eſſe jus diſpenſationis, qui legem tulit, *Quia ab ejus voluntate & potentiâ pendet* †. Si horum authoritas aliquid in ſe momenti contineat, tunc fatendum eſt judices noſtros legibus injurios fuiſſe, qui diſpenſandi copiam ita Regi fecerunt, qui, ſine reliquorum Ordinum aſſenſionibus, legem nullam ſancire poteſt.

Edvardus Herbertus, quem fides pretio addicta equitem Anglicanum, & capitalem juſtitiarium in *communium placitorum* tribunali fecerat, judicii tunc à ſe lati, cum famoſæ iſti quæſtioni præfuit, & poteſtatis Regiæ in diſpenſando contra leges, defenſionem ſcriptis ſuſcepit. Ille ſicut *ingenia hominum ad ſ.am cuique levandam culpam nimio plus facunda ſunt* ‖; quædam tradidit, quæ primo intuitu illis ſpecioſa videri poſſunt, qui non omni acie ingenii res contemplantur. Dicit ille mala omnia, aut in *ſe mala* eſſe, aut quia *prohibita*. Cum iis quæ in *ſe mala* ſunt, fatetur Regem diſpenſare non poſſe, cum omnibus vero malis *prohibitis* poſſe. Fallacia iſtius aſſertionis à Roberto Atkins viro nobili ornatiſſimoque, & Regii fiſci Barone capitali, uti & alia ejus argumenta, ſatis refutatur & convincitur *. Epiſcopus Wigornienſis †, vir omnimodâ eruditione repletiſſimus, dicit Regem cum omnibus legibus juſtis diſpenſare poſſe, ſi mala omnia *prohibita* ſint diſpenſabilia, Quoniam, inquit, lex nulla juſta eſſe poteſt, quæ jubet ea quæ in ſe mala ſunt ‖. Suaretii

* Sam. Puffend. de jure nat. & gentium lib. 1. cap. 6. n. 17.

† Suarez de legib. lib. 6. c. 14. n. 2.

‖ Liv. lib. 28. p. 752.

* Vid. Roberti Atkins inquiſit. in poteſtat. diſpenſ. pag. 51.

† Edvard. Stillingfleet à quo liber iſte ſcriptus fuiſſe dicitur.

‖ Vid. Tractat. de Eccleſ. commiſſ. pag. 35.

retii verba maximi quidem ponderis esse debent ad illud refellendum quod *Herbertus* de malo *prohibito* asserit. Si Rex, inquit, haud æquissimis rationibus adductus cum lege dispensaverit pro bono civilis communitatis sancitâ, eo facto *malum facit, non quia prohibitum tantùm, sed ex se, & naturâ rei & semper malum* *. Et si, inquit, Princeps gratiam istam facit cum injuriâ & damno alterius, tunc dispensatio ejus ex se in irritum cadit, quia contra æquitatem pugnat †. Ex his videre est quid de istâ Regis nostri dispensatione censendum sit, quâ non solum legem abrogavit factam à senatu in maximis reipub. temporibus ad salutem populi tuendam, verùm etiam cum injuriâ & damno alterius illud commisit. Præter etenim insigne illud detrimentum quod tam salutaris legis dissolutio reipublicæ attulit, haud levis ista injuria erat civem ingenti pecuniâ fraudare, quam lex violatæ legis indicium facienti in *multam* numerari præceperat. Quapropter fatendum est, eos contra leges omnes, contra generis etiam humani salutem graviter peccare, qui infinitam istam licentiam Principi dent: nempe, ut quod volet ille, dicat lex: quod nolit, non dicat. Ubicunque id semel receptum sit, nihil proderit bonas leges condere, quæ Principem bonum officii sui admoneant, malum circumscribant. *Quid*, inquit celeberrimus noster Wigornienſis Episcopus, *id reipublicæ interest eam legibus fundari, si ipsa ratio legum ferendarum ita invertatur? Hoc modo*, inquit, *jura & instituta nostræ politiæ eluduntur, juxta cujus præscriptum assentiones populi ad legum sanctionem necessariò requiruntur* ‖. Verulamius itaque noster haud ignarus incommodorum, quæ respublica acceptura esset, si viri insidiosi

* Suarez de legibus cap. 18. n. 26.

† Suarez de legib. cap. 18. n. 10.

‖ Vid. Tractat. de commiss. Eccles. p. 45.

inſidioſi legibus ad libidinem & quæſtum abuterentur, id caveri voluit, *Ne ſub prætextu juſtitiæ* foris litigioſis liceret contra expreſſa ſtatutorum verba jus decernere: ſi etenim viris forenſibus id liberum permittatur, tunc, inquit, legis interpres fiet legiſlator, atque omnia conſequenter ab unius arbitrio pendebunt.

Quod vir ille magnus de nimiâ judicum licentiâ cavendum admonet legibus noſtris ſatis cautum eſt. Sicut etenim in jure civili *reſcripta principum* contra jus vel utilitatem publicam elicita, à judicibus improbari etiam ipſorum imperatorum conſtitutionibus jubentur *: ita judices Anglici ſacramenti religione tenentur, Regis exuere juſſa quoties diplomate ejus magno Angliæ ſigillo firmato æquo ligitimoque jure abire jubentur. Atque illud omnibus in annalium noſtrorum monumentis mediocriter verſatis notiſſimum eſt, Thorpium, Treſilianum, Empſonum, Dudleium, atque alios judices propter juris nundinationem, corruptelam judicii, vel quia palpum Regi obtrudentes, leges abrogatum iverunt, patibulo vitam finiiſſe. Inde factum eſt quod, Elizabethâ regnante, judices Angliæ in judicio ferendo Reginæ juſſa recuſarunt, etſi viri primores acriter inſtarent ut diplomati regio ſub magno ſigillo Angliæ morem gererent. Et cum ita detrectati imperii rationem rogati eſſent, reſponderunt, *Reginam ipſam & judices etiam in leges juraſſe; quapropter ſe Reginæ imperata facientes legibus obnoxios fore, manifeſtos perjurii, atque ita Dei & popularium ſuorum offenſam gravem merituros: atque* inquiebant illi, *ſi numinis metus nobis haudquaquam ante oculos obverſaretur, attamen exempla, & triſtia aliorum fata nos à ſimilibus delictis revocare deberent* †.

* Vid. Vinnii comment. in conſtit. imperial. fol. 16.

† Vid. Anderſoni rerum judicatar. relat. p. 152, 155.

Ex iſto Judicum reſponſo palam eſt, leges quas Bracton

ctonus noſter *Communem Regni ſponſionem* vocat, eam vim à conjunctis omnium Ordinum Suffragiis obtinere, quam neque Legum interpretes, neque principes ipſi eludere poſſunt. Salmaſius ipſe, Anglorum *juri* cæteroquin haud ſatis æquus, idem agnoſcit. *Fatendum eſt*, inquit ille, *neque Regem poſſe in Senatu novas leges ſtatuere, aut veteres abolere, niſi conſentiente utraque domo* †. Idem Statutis Angliæ, & *jure communi* regni, quæ ſummam legum Anglicarum complectuntur, planè convincitur. Extat ſtatutum Henrico Octavo imperante latum, quo non alius quiſpiam Regiæ prærogativæ acrior vindex & cuſtos erat, quod nos commonefacit, *Juri naturali, & rectæ rationi conſentaneum eſſe, ut facultas leges relaxandi intra hoc regnum latas, pertineat ad Regem & utramque gentem Senatorum, qui ordines regni componunt* ‖. Iſti Senatus-conſulto viri nobilis, & rerum noſtrarum peritiſſimi, qui Reginæ Elizabethæ ab epiſtolis erat, ſcripta conſentiunt: *In Comitiis Parlamentariis*, inquit ille, *poſita eſt omnis auguſtæ abſolutæque poteſtatis vis, veteres leges jubent eſſe irritas, novas inducunt, PRÆSENTIBUS MODUM CONSTITUUNT* *, *incerti juris controverſias dirimunt* †. Huic cauſæ plurimam iſta fidem afferunt, quæ lapſis jam pluſquam viginti annis in comitiis Parlamentariis geſta fuere ‖. Ineunte bello Belgico, Rex, quemadmodum ſuperiùs memoravi, ut ſectariorum benevolentiam ſibi conciliaret, illis omnibus contra *pœnalium legum* præſcriptum, *conſcientiæ libertatem* indulſit. Senatus, quorum fidelitas ſupra omnia temporum ſuperiorum *comitia*

† Vid. Salmaſ. Defenſ. Regiam, pag. 291.

‖ Vid. Statut. diſpenſat. 25 Hen. VIII. c. 21.

* Ea eſt vera diſpenſandi poteſtas.

† Thomas Smith de repub. & adminiſtratione Anglor. lib II. c. 2. fol. 50.

‖ Anno 1672.

mitia nota & explorata erat, id ægrè tulerunt; atque audacter & liberè apud Regem dixerunt, *Licentiam iſtam ab illo uſurpatam ad Leges Angliæ jure non pertinuiſſe; iſtam legis lationem fuiſſe & legum omnium diſſolutionem, atque neminem è Regibus Angliæ* * *ſimilem antea poteſtatem uſurpaſſe* †. Ille etiam Senatus, apud quem Rex, poſt Ducis Monumethenſis cladem, veniam oravit, quod contra pœnalium legum præſcriptum, quoſdam militiæ præfeciſſet, Regi reſpondit, *Officiales iſtos præter legis ſortem in munia militiæ cooptatos, non niſi Senatus authoritate munerum iſtorum capaces reddi potuiſſe* ‖. Triennium pòſt etiam *, cum ſeptem Epiſcopi, propter operam Deo & religioni Chriſtianæ fideliter navatam, in grave judicium, maximúmque periculum vocati erant, viri juris Anglicani peritiſſimi, qui cauſam eorum perorarunt, graviſſimis argumentis, quæ neque judices, neque advocati regii refellere poterant, docuerunt, haud penes regem fuiſſe, leges ita diſſolvere †.

* Idem Finchius juriſconſ. dixit cum ſeptem Epiſcopor. cauſam peroravit.

† Vid. Ephemerid. Domûs communium, die Mercurii 26. Febr. anno 1672.

‖ Vid Ephemerid. Parlam. die Lunæ 16. Novemb. anno 1685.

* Anno 1688.

† Hæc late tractantur in cognitione cauſæ epiſcopor. de quâ in ſequenti capite fuſiùs.

Mora eſſet, ſi ſtatuta omnia res ante judicatas juriſperitorum reſponſa, atque argumenta omnia memorarem, quæ Epiſcopus Wigornienſis, Robertus Atkins, atque alii recenſuerunt, quibus dubitationem omnem nobis exemerunt, utrum Regi licitum eſſet leges ita relaxare necne. Hæc impræſentiarum ſatis in re facient, quæ omnibus propemodum in confeſto eſt, præſertim cum in capite ſequenti iterum in diſceptationem & controverſiam neceſſario vocanda ſit.

Peregrini

§. IV. Regis consilium erat in istâ legis relaxatione libertatem nostram evertere.

Peregrini omnes quotquot communis humanitatis non sunt expertes, populo Anglicano meritò quidem succenserent, si Regiæ Majestatis aut Romano-Catholicorum odio accensi labefactatam legem & communicata cum recusantibus reipub. munera gravatè tulissent. Aliud vero nobilem populum & tali ingenio prorsus alienum, anxium habuit. Videbant scilicet Regem eo consilio pœnalis statuti vincula solvisse, ut facili mox negotio politiam nostram dissolveret, & jampridem designatam clientelæ suæ servitutem imponeret: Id Regis consilium fuisse in eâ lege rescindendâ, & licentiâ istâ in alias leges jure prærogativæ suæ vendicandâ, pluribus argumentis planè colligi potest.

Primò si legem istam ex naturâ suâ simpliciter, & rationem istius ferendæ consideremus, invidias manifestò deprehendemus libertati nostræ in ejus abrogatione instructas.

Viri prudentissimi in manifestissimo rerum nostrarum discrimine in eum finem legem istam rogarunt, ut ab ejus tutelâ respublica libertatem, religio incolumitatem retineret. Tunc etenim temporis Reges potentissimi * furiale bellum à pravâ ambitione ortum, sceleratis Jesuitarum instigationibus conflatum, feliciter contra Batavos gesserunt. Haud ignorabant primores nostri, summo ingenio, summâ prudentiâ, summâ auctoritate præditi, bellum istud à Regibus Potentissimis non aliâ ratione susceptum fuisse, quam ut Gallus Europæ, Anglus Angliæ libertatem obrueret. Ut igitur Regis Britannici expectationem frustrarentur, legem istam sanxerunt, quâ *recusantes*, quos solos cœptorum contra rempublicam socios habituri erant, à publicis muneribus aspernari

* Britanniæ & Galliarum Reges, anno 1673.

jubebatur. Legem iſtam ita in periclitantis reipublicæ præſidium latam fuiſſe ſummi viri confeſſione patefactum eſt. Quinto etenim pòſt anno quàm iſta lex ſanciebatur *, cùm cœpta contra rempublicam atque adulta jam conjuratio deprehenſa eſſet, timor populum inceſſit, ad quem deliniendum Senatus haud gratum malorum remedium à Rege poſcebant. Supremus tunc Angliæ *Cancellarius*, Regius Orator in Procerum Senaculo, ut civium ſimultates dilueret, majorum minorúmque gentium Senatores ita regio nomine allocutus eſt †. *Annon*, inquiebat, *nupero Senatus-conſulto* ‖, *ita ſaluti noſtræ conſultum erat, ut impoſſibile ſit occultiſſimum quemvis pontificium in munia reipublicæ irrepere? an alia quæpiam lex poſt reformatam religionem tantam ſecuritatem rebus noſtris præſtitit* *? Nihil Regi ſuorum libertati inſidias molienti magis in rem eſſe poterat, quàm ſi ſtatutum illud, quod in præſidium reipublicæ inventum erat, penitus abrogaret. Quamdiu etenim lex ſuam authoritatem retineret, haud illi licitum erat, è Gallorum & Hibernicorum delectibus, quibus adminiſtris & ſatellitibus cupiditatum uti decreverat, exercitum conſcribere: neque integrum illi erat idoneos artifices, quibuſcum patriæ libertatem everteret, in alia civilis politiæ munia cooptare. Salutari itaque legi vacationem fecit, ut homines ad ipſius libidines factos, fœdos ſervitutis conciliatores, cœptorum ſocios ſibi aſciſcere poſſet.

* Anno 1678.

† Die Maii 23. anno 1678.

‖ Pœnale Statut. intelligit anno 1673. factum.

* Vid. Roberti Atkins inquiſit. in poteſtat. diſpenſandi, p. 27.

Idem Regis conſilium in iſtâ lege abolendâ ulterius ex tempore convincitur quo imperium illud in leges uſurpavit.

Illud

Illud ſtatim commiſit poſt reportatam ab hoſtibus victoriam. Poſtquam etenim, periculoſâ quorundam conjuratione oppreſsâ in Duce Monumethenſi totum partium nomen ſuſtuliſſet, atque ità ad perpetuæ pacis ſtabilitatem profecerat; ex ſucceſſu ſtatim animum ſumpſit. Atque ex impotentis fortunæ ſpecie videre erat, qualiter res ſecundæ acrioribus ſtimulis mortalium animos explorant. Tunc etenim è ſuggeſtu regio iſtam orationem in Senatu habuit, quæ ordines regni vehementer accendit, cujuſque invidia nuſquam deinceps ſatis ſoporata, uſque ad exitum imperii ejus recruduit. In eâ etenim non indicavit tantum, quantâ obſtinatione animi, *Recuſantes*, contra legis præſcriptum, militiæ præeſſe voluit, verum temporis etiam uſus eſt excuſatione, quòd cohortium numerum auxiſſet, & poſtulavit ut ſenatus pecuniam ſibi, ſumptibus tanti exercitûs parem decerneret *. Iſta Regis oratio ſenatoribus dubitationem omnem de Regiis conſiliis ſuſtulit; notum erat illis, Regi tunc haud firmiori præſidio ad obliterandas ſeditiones opus fuiſſe, poſtquam omnes qui *Presbyterianâ Conjuratione* (ut vulgò dicitur) animos altius erexerant clade Monumethenſi ad ſuminam deſperationem adducti fuiſſent. Non ille majores ſibi copias in eum finem comparavit, aut *recuſantes* in præfecturam militiæ cooptavit, ut illorum, præſidio fretus inſidiis omnibus obviam iret in poſterum; verum ſicut de Druſo dicitur, quòd *ſublatis ſeditionis authoribus promptum illi ad aſperiora ingenium erat* † Ità Regi noſtro ad libertatem noſtram evertendam jampridem obſtinato, devictis hoſtibus, deſtinata ſua perficiendi jam prima occaſio affulſit. Ex illâ victoriâ, quemadmodum vir cum primis ingenioſus obſervavit ‖,

* Vid. Orat. Regis in Senat. Octob. 9. 1685.

† Tacit. Annal. lib. I.

‖ Vid. vindic. hujus imperii, p. 32.

Rex admotam ſibi leges abdicandi atque omnia pro arbitrio ſuo gubernandi anſam arripuit. Atque inde evenit quod in eo temporis articulo poteſtatem ſibi in ſtatuta regni uſurpavit.

Præter temporis opportunitatem, artes etiam, quibus victoriam in leges adeptus eſt, nobis indicio ſunt, qualiter Regi ſtatutum erat, legibus abrogatis, ad ſuum unius nutum omnia revocare. Judices etenim, qui ſe juſtitiæ ſacerdotes, legum interpretes, haberi volunt, in ſua ipſius verba, contra legum ſanctimoniam, jura populi, reipub. dignitatem, facili negotio adegit. Poſtquam etenim omnibus notum feciſſet unumquemque ab iſto ordine motum iri, qui non libertatem avitam à populo Anglicano, authoritatémque à legibus abjudicaret, atque omnia Regis voluntati gratificaretur; rogavit, ut quod de Regiâ poteſtate ſentirent, palàm exponerent, utrùm nimirum penes illum eſſet cum legibus diſpenſare necne? Illi univerſim, unico tantum aut altero excepto fortunarum privatarum dimicatione, magis quam communi periculo moti, ſententiam pro Rege tulerunt, atque ſuffragiis ſuis legum ſanctimoniam ejus libidini proſtituere. Utinam memoriâ tenuiſſent axiomata juris noſtri, quorum alterum dicit, *Maledictam eſſe interpretationem quæ corrumpit textum*: Alterum, *Neminem oportere eſſe ſapientiorem legibus.* Omnium horarum homines iſti qui in id ipſum Judices à Rege creati erant contrà cenſuerunt, & quaſi ignari eſſent, è lege Judici, non è Judice legi auctoritatem eſſe; & Judicum Sententias ſecundum leges pronunciatas ratas eſſe, ſi ſecùs reſcindi; Anglicanum imperium ab omni memoriâ legibus fundatum, velut aliquid ex privatorum inſtrumento quaſi Sectores vendere, & unius voluntati permittere non dubitarunt. Ex illis perſpicuum erat illud quod Plinius dicit, *Præmia bonorum malorumque bonos ac malos facere.* Illi etenim lucri, honoris, aulicæque potentiæ

tiæ ſpe elati, communem ſalutem projectam habuere. Et quidem certiſſimum eſt ipſos ad eam ſententiam ferendam ideo à Rege pellectos fuiſſe, ut illorum ſuffragiis legum authoritate abrogatâ, licitum illi in poſterum eſſet, omnia perpetrare, quæ vel ipſe vellet, aut viri inquietes ignoti, & conjurationis in noſtram rempub. manifeſti, fieri concupiſcerent.

Sed quid ego Regis illud conſilium in eâ lege diſſolvendâ pluribus argumentis demonſtrem, cum ex rebus ab illo poſteà geſtis id manifeſtò comparuit. Ex illo etenim tempore, quo *legibus pœnalibus* *, fraudem iſtam fecit, atq; illorum ſuffragiis, qui ſe judiciorum dominos dici volebant, poteſtatem in regni ſtatuta adeptus eſt, omnia effrænatâ libidine gubernavit; viros muniorum reipub. incapaces, non militiæ ſolùm, verùm civilibus etiam negotiis ubique præfecit; in jura civium contra legum ſanctionem involavit; & teterrimis belluis conjuratorum perditiſſimis, qui non in ejus tantummodò, verum Galli etiam verba jurarunt, cupiditatum adminiſtris uſus, pro virili operam dedit, ut clientelam ſuam vexaret; & vicinis gentibus ſervitutem accerſeret. Cùm igitur hæc ità ſe habuere ut in ſequentibus capitibus fuſiùs demonſtrabitur, peregrini, nullus dubito, id nobis condonabunt, quod abrogatam pœnalium ſtatutorum authoritatem †, quæ in ultimâ rerum neceſſitate in præſidium reipublicæ ſancitæ erant, inter Anglorum querelas recenſeamus.——

* Erant enim plura Statuta pœnalia ante illud lata.

† Talis diſpenſatio enim legis abrogatio eſt.

CAP. V.

Complectens ſimultates populi in Regem propter authoritatem judicibus Eccleſiaſticis conceſſam.

PRincipum intereſt, quibus obſtinatum eſt ſubverſis legibus, impotentem dominationem ſibi comparare, non ſolum amicorum, domi foriſque auxilia & ſuppetias ſibimet adjungere, verum illorum etiam vires labefactare, qui quovis modo auſis eorum officere atque obſtare poſſunt.

Inde factum eſt quod Rex noſter, poſtquam in ſubſidium dominationis ſuæ Galli amicitiam ſibi foris conciliavit, animo ſtatim agitavit quo pacto Batavorum rempub. dirueret; cumque laxatis legum pœnalium vinculis adminiſtrorum ſibi copiam feciſſet, quorum auxilio votorum potens redderetur; proxime in eam curam & cogitationem incubuit, ut ingentes illorum animos domi debilitaret, qui odio & invidiæ ejus ſe pro patriæ ſalute oppoſituri eſſent.

Imprimis videbat ſe maximis difficultatibus conflictatum iri ab alumnis Eccleſiæ Anglicanæ quos blanditiis haud elicere poterat, ut diruendæ reipublicæ participes eſſent. Ut igitur Eccleſiæ Anglicanæ nervos, atque ita vires Anglorum concideret, *forenſium* quorundam uſus conſilio, *commiſſarios* quoſdam *Eccleſiaſticos* inſtituit, ſpecie quidem corrigendis moribus delectos, & ut rerum Eccleſiaſticarum procurationem haberent, reverà autem ut Anglorum ſacra profanaque omnia illorum judicio opprimeret.

§ I. Res geſtæ à Rege in Regiis commiſſariis conſtituendis.

Ut ſummæ iſtius, & pluſquam Regiæ poteſtatis *judicibus* extraordinariis præter legis authoritatem à Rege delegatæ, & quam boni omnes invidioſe criminantur lector perſpicuam

ſpicuam cognitionem attingat, altiùs ordiri par erit, atque ipſius originem & progreſſionem perſequi.

Notum eſt omnibus, quæ viciſſitudines Eccleſiam ſub *Henrico Octavo*, & poſt illum, multos per annos in Angliâ verſaverint. Ille Primatum *Papæ* abrogavit, Monachorum cœnobia gazis ingentibus, & feudis iſtis Eccleſiaſticis, quæ ſuperiorum temporum aut pietas aut iniquitas propria & peculiaria illorum fecerat, furenti ac violento impetu ſpoliavit. Rex & ſenatus providè tunc videbant, nudam Regis poteſtatem imparem fuiſſe grandibus incœptis, quæ in reformandis Eccleſiaſticis ipſe animo deſtinaverat. *Magnâ Chartâ* etenim, & legibus aliis ſanctiſſimis ſatis erat cautum ut ſacra Eccleſiaſticorum peculia libera à prædonibus & direptoribus eſſent: ſacrorum etiam antiſtitibus ſatis legibus proſpectum erat, ut injuriis immunes viverent. Anno itaque viceſimo ſexto *Henrici Octavi Comitia* regni, ut Regiam Majeſtatem ingenti authoritate pro temporis neceſſitate armarent, legem ſanxerunt, quâ poteſtatem Regi fecerunt *inſpiciendi, corrigendi, emendandi errores omnes, hæreſes, abuſus, contemptus, & ſingula flagitia, quæ ad juriſdictionis Eccleſiaſticæ cognitionem, aut judicium quovis modo ſpectarent* *. Virtute iſtius ſtatuti Thomas Cromwellus Eques Anglicanus, *Vice Regiâ* fungebatur, & *Vicarius generalis* creatus erat. Illi Rex ſub regio diplomate *omnem & omnimodam juriſdictionem, authoritatem ſive poteſtatem Eccleſiaſticam conceſſit* [verba diplomatis ſunt] *quæ nobis tanquam ſupremo capiti competit.* Ea erat prima *commiſſio Eccleſiaſtica*, (ut vocatur) quæ quantas tragœdias in ſtatu ſpirituali excitavit, res notior ac teſtatior eſt, quàm ut declaratione aliquâ indigeat. Poſtquam *Henricus Octavus* fato conceſſit atque *Edvardus Sextus*, inſignis religionis reformator poſt paucorum menſium imperium interiit; *Mariæ*

* Vid Stat. anni 26, Henr. Octavi, cap. 1.

Henrici filia in paternas & fraternas opes ſucceſſit Illa patris ingenio moribuſque contraria ardebat cupiditate Pontifici Romano uſurpatum antea Principatum, Eccleſiaſticis dignationem priſcam, atque Eccleſiæ jura ſua reſtituendi, quoniam itaque in politiâ noſtrâ, *unumquodque facilius diſſolvitur eo ligamine quo ligatur*, opus erat Reginæ ſenatus conſulti authoritate, quâ, patris ritu, ſummâ poteſtate prædita eſſet *Eccleſiaſticos commiſſarios* conſtituendi, qui clerum propriis muneribus orbatum, ad priſtinam fortunam revocarent. Cùm brevi poſtea Maria morti occubuiſſet, Elizabetha, haud uterina ſoror ejus, rerum potita eſt, de illa ſpem Angli cepêre, ipſam à ſororis ingenio declinaturam, rempublicamque ſub illius auſpiciis in ſimilem ſtatum perventuram, quo quinquennium ante, imperante *Edvardo Sexto*, uſa eſt. Ut igitur Regina omnem Anglorum expectationem explere potis eſſet, eodem anno quo regnum adivit, *Comitia Parlamentaria* legem ſanxerunt iiſdem fermè verbis cum ſuprà memorato *Henrici Octavi* ſtatuto conceptam, in quâ ſimiliter juſſerunt ut penes Reginam eſſet *commiſſarios* ad mores Eccleſiaſticorum corrigendos deligere.

Commiſſarii iſti, quibus regium diploma, ſolâ ſenatûs authoritate fultum munitúmque immenſam licentiam indulſerat, per nimiam ſævitiem & libidinem jus illud exercuere. Quoſdam etenim contra morem conſuetudinemque civilem, grandi pecuniâ multárunt, alios in carcerem incluſerunt, atque inde evenit quod juriſdictio iſta graviſſimam querelam haberet. Poſtea igitur queremoniæ populi in causâ fuere, quod *comitia* regni, duobus ſtatutis, quorum alterum imperante *Carolo* * Primo, alterum ſub *Caroli* † Secundi imperio latum erat, ſtatutum Primo Elizabethæ conditum, atque omnem poteſtatem taliùm *commiſſariorum* in Angliâ, Cambriâque in poſterum

* An. 17°. Caroli Primi.
† Anno 13°. Caroli Secundi.

rum creandorum, Regibus noſtris abrogârunt.

Leges iſtæ haud *Jacobo* Regi obſtiterunt, quo minùs temporis compendium ſequeretur, atque talium auxiliariorum authoritate & potentiâ nixus, omnes cupiditatibus ejus obviàm euntes facili negotio opprimeret: nihil non ſibi impavidè nunc audendum cenſuit, cujus arbitrio legum authoritatem juris antiſtites ſubmiſiſſent. Ineunte itaque Autumno ‖, qui æſtatem illam proximè ſecutus eſt, quâ *judices* ſuffragiis corruptiſſimis poteſtatem leges relaxandi Regi tribuerant, *Curiam Eccleſiaſticam*, ut vulgò dicitur, inſtituit Huic Curiæ Archiepiſcopum Cantuarienſem, Præſulem Dunelmenſem, Epiſcopum Roffenſem, Supremum Angliæ Cancellarium, honorificentiſſimum Ærarii præfectum, ſanctioris conſiliis Præſidem, Herbertum Capitalem Angliæ Juſtitiarium, aut tres illorum, quorum è numero Cancellarius ſemper unus eſſe tenebatur, judices præfecit. Archiepiſcopus Cantuarienſis, Regii Ærarii Præfectus, atque alii ex illis, qui Anglici imperii & legum reverentiam non exuiſſent, munus iſtud à Rege ſibi delegatum detrectârunt. Roffenſis Epiſcopus in officii memoriam etiam rediit. Ille cum ex injuriâ ſeptem Eccleſiæ Præſulibus latâ, de quâ mox mentio fiet, Regis conſilia perſpecta haberet, miſſi ad reliquos *commiſſarios* epiſtolâ certiores illos fecit, ſe officia & partes judicis inter illos ſuſcipere non potuiſſe, qui fratres ipſius in judicium rapturi eſſent. *Me*, inquiebat, *multò magis decet in tam bonorum virorum conſortio extrema pati, quam cum reliquis judicium in ipſos conſtituere* *. Rex opinione prius augurabatur, quoſdam ex iis honorem iſtum aſpernari, & comitiis abſtinere voluiſſe, eò libentius itaque ipſos in judicum iſtorum albam miſit,

‖ Menſe Septemb. anno 1686.

* Vid. Epiſcopi Roffenſ. epiſt. in 4. chartar. collect.

ſit, ut eo pacto rerum geſtarum invidiam ſibi detraheret; cum viderent homines, ipſum, non ſine inſigni humanitatis documento, Eccleſiaſticorum cenſuram & correctionem ex ſuo numero judicibus & viris reipub. ſtudioſis permiſiſſe. In *Supremi* Cancellarii * fide & audacia Rex maximam ſpem collocavit, illi judiciorum ſummam præcipuè credidit, hunc principem ad cives vexandos, & bonorum omnium fortunas evertendas eſſe voluit.

* Georgii Jefferies, Baronis de Wem.

Ad judicum iſtorum officium pertinuit, in mores Eccleſiaſticorum penitùs introſpicere, & ſi quos delicti cujuſvis, aut inſignioris cujuſpiam virtutis potius, quam in ſequiorem partem interpretari poſſent, manifeſtos reperiſſent, non ſecundum juris noſtri normam, & uſitatas judiciorum formulas, verùm ex ſuâ ipſorum libidine pœnas de illis exigere. Judicium, quod ſontes dare permittebantur inter extrema ſupplicia meritò quidem recenſeri debet: quemcunque etenim virum Eccleſiaſticum imaginarii cujuſvis criminis reum arguiſſent, illum dignitate & beneficio ſpoliare, aut ad extremum uſque vitæ diem carcere coercere poterant.

Ea erat commiſſariorum Eccleſiaſticorum authoritas, cui qualiter Parlamentaria poteſtas ſub imperio *Henrici Octavi* ortum præbuerit; qualiter etiam poſt varias rerum vices, eam, ſub Carolis abolitam & abrogatam Jacobus reſtauraverit, breviſſimè edocui; Supereſt nunc ut factum illud legum, & civium nomine, quàm pauciſſimis injuriarum agam.

§. II. Id contra leges commiſſum erat.

Si judices iſti, quos rerum Eccleſiaſticarum cognitioni Rex Angliæ præpoſuit, ex ſenatûs authoritate ad illud munus cooptati eſſent, etſi mala plurima in ſubditos crudeliter libidinoſeque conſuluiſſent, non tamen crudelitatis invidiam exinde Regi

gi concitàſſent. Quoniam etenim minorum gentium ſenatores *, ex municipiis regni paſſim, & plebeiorum numero ad ardua regni negotia deliguntur, idcirco legem, quam, Rege & proceribus regni unà ſuffragantibus, ſanciunt, cives univerſi quaſi natam à ſemetipſis, ratam habere ſolent. Quibuſcunque igitur incommodis à legibus conflictantur, ea tanquam fatales eventus patienter tolerant. Si quando verò contra juris præſcriptum ad libitum Principis graviùs plectuntur, tunc, illius coarguere culpam, & querimonias ultrò citroque jactare ſolent. Eo quidem nomine commiſſariorum Eccleſiaſticorum authoritatem malaque ab illis viris ſanctiſſimis illata gravari fas eſt. Rex etenim, cui leges juraque omnia evertere & patriæ ſervitutem moliri obſtinatum erat, præpotentes iſtos cupiditatis ſuæ adminiſtros in ſummæ iſtius potentiæ faſtigium contra legis præſcriptum evexit. Res iſta adeo manifeſta eſt, ut in eâ demonſtrandâ non opus ſit lectorem longâ verborum ambage morari. Omnibus etenim notum eſt, qui juris Anglici ſtudia leviſſime, & primoribus labris attigerint, leges noſtras religionem, & propria Eccleſiaſticorum prædia, tanquam Dei ipſius peculia, extra Regum injurias, & quævis periculi poſuiſſe. Dicit Cocus Capitalis olim Angliæ juſtitiarius, & in jure municipali longè omnium Princeps, *Judices univerſos in forenſi diſceptatione ſententias tradidiſſe Regem leges Eccleſiaſticas novare non poſſe* †. In *magnæ Chartæ* ſanctionibus etiam continetur, ut, *Nemo feudum ſuum amittat niſi per leges terræ aut judicium parium.* Extant etiam ſtatuta ſub *Edvardo Tertio* atque aliis lata, quæ Dei ſortem à potentiorum impetu & rapinis ſecuram reddant. Ita nimirum in lege iſtâ, quæ *ſtatutum pro Clero* dicitur Regi & hæredibus

* *Domus Communium* ut dicitur.

† Hill. 4° Jac. 12. Co. 19. 12. Co. 49.

redibus ejus prohibitum eſt Epiſcopi, aut alterius cujuſvis Clerici prædiis manum injicere, niſi modo quem leges terræ præſcripſerint *, palam vero eſt furoris Regii ſatellites, qui cauſis Eccleſiaſticis præfuere, non fuiſſe legum authoritate munitos, cùm, ut ſtatim oſtendetur, non ſolum viros ſanctiſſimos & magna reipublicæ lumina, opportunos injuriis haberent, verùm in illorum poſſeſſiones hoſtilem in modum involarent: tunc etenim temporis cùm ſummâ iſtâ poteſtate regio diplomate præditi eſſent, nullum ſtatutum extitit, quod poteſtatem iſtiuſmodi commiſſariorum conſtituendorum Regi deferret. Sine ſtatuti vero authoritate & juſſu haud Regi licitum fuiſſe jure prærogativæ ſuæ judices iſtos conſtituere, uti ex aliis quamplurimis, ità ex eo præſertim apparet, quod *Henricus Octavus*, ſummæ *prærogativæ* acerrimus propugnator & *Elizabetha*, juris etiam regii ſtudioſiſſima vindex, non ſine ſenatûs *rogatione* poteſtatem iſtam uſurpaverint. Statuta vero iſta, quæ multos per annos, uſque ad *Caroli Primi* tempora viguere, ſenatus, multò ante *Jacobi* Regis imperium, reſciderat. Decimo etenim ſeptimo *Caroli Primi*, *Comitia* regni, propter ingraveſcentes, ſub ſævâ commiſſariorum Regiorum Tyrannide, civium querelas, lege ſanxerunt, non ſolum ut ſtatutum primo *Elizabethæ* conditum reſcinderetur, verùm ut poteſtas omnis iſtiuſmodi *judicum* creandorum intra regnum Angliæ, Cambriæque dominium Regibus Angliæ in poſterum abrogaretur †. Statutum iſtud comitia Regni lege alterâ decimo tertio *Caroli Secundi* latâ iterum firmârunt ‖ Ex his igitur perſpicuum eſt Regem ſuo ipſius animo obſequentem, nimixque dominationis cupiditate flagrantem, non verò juxta

* Vid. Statut. pro Clero 14 Edv. 3. cap. 3. vid. 25. Edv. 3. cap. 6.

† Vid. Statut. 17. Car. Primi, cap. 11——.

‖ Vid. Statut. 13. Car. Secundi, cap. 12. ſect. 2——.

juxta legum præſcriptum populos gubernantem, commiſſarios Eccleſiaſticos inſtituiſſe.

At videor mihi videre malignos iſtos calumniatores, quibus nihil aliud perinde gratum eſt, quàm fauſtiſſimum illud imperium, quo non ſine ſummo numinis favore impræſentiarum utimur, contumeliis onerare, audaciùs exultantes, quaſi ex noſtris hiſce dictis amplam contumeliæ anſam nacti eſſent. Si delegata à *Jacobo* Rege judicibus Eccleſiaſticis immanis iſta poteſtas inter querelas inſigniores temporis recenſenda erat, quid, inquiunt, obſtaret quo minus idem *Wilhelmo* Regi vitio verteretur, qui talium *commiſſariorum* judicio Epiſcopum, & Clericos nonnullos in Hibernià beneficiis Eccleſiaſticis ſpoliavit? ad illud quidem rogatum facilè reſpondetur, cauſas longe diſpares fuiſſe; in Anglià etenim nonnulli rerum novandarum cupidi, factique ad Regis libidines, contra præcepta & inſtituta legum, contra bonorum omnium voluntatem, ad optimos cives cruciandos, & rempub. noſtram obruendam judices creati erant. In Hiberniâ vero *Wilhelmus* Rex, lege illud permittente, religionis diſcrimine poſtulante, clericis laiciſque plurimis enixè obſecrantibus, bonis omnibus lætitiâ propterea exultantibus, tres Eccleſiæ *Præſules*, viros exiſtimationis integræ, & exempli rectiſſimi Præſides tali curiæ præpoſuit, ut Eccleſiam laborantem in meliorem ſtatum reſtitueret, ſed ut facti iſtius invidia penitus extinguatur, res geſta pauciſſimis referenda eſt.

Thomas Hacket, quem à primoribus annis, ut ego à fide dignis accepi, fœda avaritia infamem fecerat, lapſis jam pluribus annis in diœceſi Dunenſi & Connorenſi epiſcopatum obtinuit. Ille per maximum longe temporis iſtius ſpatium, obſequii & indulgentiæ corporis ſui, magis quam ſalutis animarum ſtudioſus, neglectâ Eccleſiæ adminiſtratione, vitam molli inertiâ in Anglià tranſegit. Plurimi è Clericis interea, quorum

rum pectora pietas verè chriſtiana imbuerat, curæ rerum ſacrarum diligenter inſtitere. Nonnulli, prout ſæpius fieri ſolet, de *Præſule* ignavo exempla capientes, à religione officii turpiter declinarunt: Atque illorum culpâ factum eſt quod pars longè maxima hominum in ſeptentrionali iſtâ parte Hiberniæ, ab Eccleſiæ Anglicanæ inſtitutis in ſeparata conventicula ſeceſſerunt. Miſeranda iſta Eccleſiæ ſors, & iniquum fœminarum regimen, quæ ad Eccleſiæ gubernacula tanquam vicariæ Epiſcopi ſedentes opima Eccleſiæ beneficia venalia habuere, quotidianas populi querimonias, & lugubres tragœdias excitarunt. Exinde factum eſt quod viri de causâ Dei ſolliciti ſeriò deliberarent, quo pacto ægram & labentem Eccleſiam remediis ſanare & reficere poſſent. Ad Archiepiſcopum *Armachanum*, provinciæ iſtius & totius Hiberniæ Metropolitanum, ordinariâ juriſdictione, clericorum delicta corrigere atque emendare pertinuit. Ille juſtiſſimam ætatis excuſationem habens, miſsâ ad honorificentiſſimos *iſtos Triumviros* * epiſtolâ, qui Hiberniam tunc *Vice-Regis*, non ſine integritate, continentiâ, & innocentiâ ſingulari adminiſtrârunt, rogavit ut è numero epiſcoporum viros idoneos deligerent, ad iſtas diœceſes reformandas, atque authoritatem illorum diplomate regio ſub magno Hiberniæ ſigillo munitam, parem negotiis ſuſcipiendis efficerent. Quid multis, ſummi iſti Hiberniæ noſtræ gubernatores, vicem Eccleſiæ miſerati; Anthonium Epiſcopum Midenſem, quem propter eruditionem præclaram, prudentiam ſingularem, ſummum conſilium, ſuaviſſimos atque optimos mores, omnes Hiberno-Angli certatim amant; Capelum Epiſcopum Dromorenſem, hominem ſummâ integritate & innocentiâ, pauperibus ſummum & certiſſimum inediæ perfugium, quemque, dum in vivis erat, vix ulla obtrectatio invidiæ

* Dominum Capelum (nuper Hiberniæ Proregem) Cyrillum Wych, & Thom. Duncomb.

vidiæ laceravit; & Gulielmum Epiſcopum Derenſem, ſingularem Eccleſiæ Reformatorem & virum omnibus encomiis dignum huic judicio præpoſuerunt. Illi grandævum & emeritum epiſcopum, falſarium, ſimoniæ neglectæque per plures annos functionis & curæ epiſcopalis manifeſtum, clericum unum, atque alterum à teſtibus incontinentiæ convictos, alterum, qui, neglectâ prorſus animarum curâ, in litibus ſerendis operam unicè collocavit, atque opimorum ſacerdotiorum proventus omnes in foro litigioſo, non ſine ſummo functionis ſacerdotalis, & Chriſtiani nominis opprobrio dilapidavit, dignitate & beneficiis privarunt.

Fecerunt illud non Anglicorum Commiſſariorum ad inſtar, contra ſtatuti præſcriptum, verùm juxta legis ſanctionem; Statutum etenim primo *Elizabethæ* latum, quod Regi Eccleſiaſticos Judices in Angliâ conſtituendi poteſtatem fecit, duobus, ut oſtendi, ſenatus-conſultis abrogatum erat; ſtatutum vero ſecundo *Elizabethæ* in Hibernià compoſitum, quo Regi, aut *vicem* ejus *tenenti* liberum relinquitur, quocunque tempore aut quovis in loco, *Judices Eccleſiaſticos* creare, etiamnum in Hibernià viget. Id *juriſconſulti Regii*; id in *communium placitorum* * tribunali Judices eruditi; id Heylius Regii fiſci Baro tunc capitalis †, ſpectatiſſimus atque honeſtiſſimus vir; id Reynelus Capitalis Hiberniæ Juſtitiarius ‖, legumque peritiſſimus, & tandem vir ornatiſſimus ſupremus Hiberniæ Cancellarius * tam liquidò in curiâ Cancellariæ demonſtrârunt, & *Commiſſariorum* Eccleſiaſticorum ſententias tot authoritatibus tunc confirmârunt, cum judicio obruti *interdicto* † poſſeſſiones ſuas defendere nitebantur, ut

* *Common Pleas.*

† *Chief Baron.*

‖ *Lord Chief Juſtice.*

* *Lord Chancellour.*

† *A Prohibition.*

nemo,

nemo, qui ſtudio partium procul, cauſarum actioni Dublini intereſſet, dubitationem ullam de *Commiſſariorum* legitimâ authoritate haberet. Ex his itaque perſpicuum eſt, rerum & cauſarum diſſimilitudines *Wilhelmum* Regem omni culpâ eximere, cujus Jacobus Rex, propter poteſtatem *Judicibus Eccleſiaſticis* conceſſam, meritò arguendus eſt. Id manifeſtius apparebit ex injuriis, quas commiſſarii iſti optimis ſanctiſſimiſque viris maximo cum gemitu reipublicæ intulerunt.

§ III. Authoritas Judicibus iſtis conceſſa inter primaria ſervitutis noſtræ inſtrumenta recenſenda eſt.

Jacobus Rex, qui in primordiis Imperii vergere in ſenium incepit, vidit maturato ſibi opus fuiſſe, ut infinitum illud Imperium, quod animo jampridem deſtinaverat, ante fati diem adipiſceretur. Ab artificibus itaque inſidiarum omnium edoctus qualiter olim, ſub *Henrici Octavi* & *Elizabethæ* imperio, *Commiſſarii Eccleſiaſtici* Principibus grandia incœpta molientibus operæ compendium feciſſent, ſimilem *extraordinariam juriſdictionem* inſtituit, ut judicum operâ cupiditati ejus morem gerentium facili negotio quoſcunque vellet judicio opprimeret. Illud etenim compertum habebat, ſe ſummæ iſtius immaniſque potentiæ, ad quam nervis omnibus nitebatur, non antè compotem fore, quàm Eccleſiæ Anglicanæ propugnatorum, qui animos à conſiliis ejus alienos haberent, ſpiritus ingentes domaret.

Ut illos igitur diriperet, & malis omnibus vexaret, & tandem terroribus exanimatos omni ludibriorum & injuriarum generi obnoxios haberet, ſummam iſtam authoritatem maleſanis hominibus, artificibus perficiendis Regis juſſis egregiis, contra legis præſcriptum mandavit. Epiſcopum Londinenſem virum natalibus clariſſimum, primùm in judicium

Epiſcopi Londinenſis cauſa agitur.

um adduxerunt. Ut lector animo penitùs comprehendat, quàm in illum injurii fuere, ipsius crimen quod Jesuita * Gallicus verbis exaggerat, & pœnam isti à Judicibus Ecclesiasticis constitutam plane commemorabo.

* Pere d'Orleans.

Jacobus Rex, proximo pòst anno quàm regnare incepit †, haud procul ab urbe Londini in terrorem civium, ingenti in planitie ‖ stativa habuit. Ibi vir clarissimus *Johannes Sharpius*, concionator insignis, tunc parochus Londinensis & Theologiæ Doctor, nunc Archiepiscopus Eboracensis, apud exercitum concionem habuit. De eo nescio quis sycophanta Regi querebatur, ipsum inter concionandum quædam à regiâ majestate non ferenda locutum fuisse. Querelam verò istam Regi contra *Sharpium* sine causâ & immeritò delatam fuisse, *ex eo*, ut vir ingeniosus observavit, *liquido constat, quod propter illud crimen haud in jus vocatus fuerit* *. Rex vero, qui odium inveteratum in Episcopum Londinensem mente concepisser, acerbiùs nunc & duriùs illum tractandi amplam, ut arbitrabatur, occasionem nactus, missâ ad illum epistolâ †, ipsi in mandatis dedit, ut Sharpium à sacro munere suspenderet. Episcopus offensionis regiæ haud ignarus misit epistolam ad sanctioris concilii Præsidem; in eâ Regis jussa, quæ contraria erant legi, non sine summâ verecundiâ recusavit. Judex etenim, inquiebat ille, haud potis est quempiam reum peragere donec causam ipsius exploratam habeat. Epistolam istam Sharpius ipse *Vindesorium* ‖ perferebat, vir tamen venerabilis neque ad Dy-

† Anno 1686.

‖ Hunsloe-Heath.

* Vid. vindic. hujus Imperii, pag. 16.

† Julii die 14. 1686.

‖ Windsor.

naſtæ colloquium admitti, neque reſponſum ab illo ad Epiſcopum Londinenſem auferre poterat. Statim igitur *Sharpius*, compoſito ſupplice libello, Aulam Regis, iram ipſius ſtudio placandi, humiliter demiſſeque adivit; fruſtrà verò, Regi etenim non ſine inflexibili obſtinatione animi Epiſcopum indignum in modum multare ſtatutum erat. Illum Commiſſarii Eccleſiaſtici Albam Aulam in *Sanctius Concilium* citarunt, ad cauſam dicendam cur *ſacrum munus* Sharpio non abrogaret. Comparuit Epiſcopus *, & diplomatis exemplar, per quod in judicium accerſebatur ab iis poſtulavit; id *Judices* Epiſcopo abnuerunt. Proximâ vice † in eadem petitione perſtitit, & rationem poſtulati reddidit; quoniam fortaſſe, inquiebat, perlecto diplomate, conſtabit illud vobis haud authoritatem facere me Epiſcopum & *Patritium* ‖ regni, aut ſaltem non in hac causâ, in judicium poſtulare. Cancellarius, Epiſcopo dixit, ſe haudquaquam paſſurum ut diplomatis regii & commiſſariorum authoritas in controverſiam vocaretur. Epiſcopus itaque videns ſe in iſtâ lite cecidiſſe, dixit juriſperitos, quorum conſilio in eâ cauſâ uſurus erat, tunc temporis ab urbe abfuiſſe. Judices itaque ulteriorem diem ipſi ad cauſam perorandam indixerunt. Curiâ proximè habitâ, Epiſcopus Commiſſariis impavidus dixit, ſe à viris juris conſultiſſimis monitum fuiſſe, uſurpatam à judicibus poteſtatem, ſtatutis regni planè repugnare, atque illud, inquiebat, ſe liquidò demonſtraturos pollicentur, ſi modò cauſam iſtam perorandi copia ipſis permittatur. Reſpondit Cancellarius ſe neque Epiſcopo, neque Juris-conſultis ejus licentiam iſtam indulturos; inſtitit Epiſcopus, ſe Eccleſiæ Anglicanæ præſulem fuiſſe, ideoque

* Auguſt 4.

† Auguſt. 9.

‖ *A Peer of the Kingdom.*

que ad Metropolitanum & Suffraganeos ejus pertinuiſſe judicium in ipſum conſtituere. Poſteà, cùm videret excuſationem nullam ipſi contra judicum obſtinationem profuiſſe, ut civis primùm & legibus ſubditus, deinde ut Epiſcopus contra authoritatem illorum proteſtatus, reſponſum ſuum exhibuit, atque è *Concilio* ſecedens Sharpii ſupplicem libellum, quem Rex aſpernabatur, coram illis ſupra menſam reliquit. Dixit Cancellarius ſe petitionem Sharpii nihil moraturos, Epiſcopi vero perlecturos reſponſum, ſi modo ipſi ita videretur. Annuit Epiſcopus, atque ulterius dixit ſe à Cauſidico ſuo accepiſſe, *Legi repugnare, ut quod juriſperiti conſilio geſtum fuerit, id tanquam obſtinatè & malitioſe factum quiſpiam interpretaretur.* Et ſi forte Princeps judici onus aliquod contra legis præſcriptum injungeret, ipſius in eo caſu officium fuiſſe *principi reſcribere.* Illud, inquiebat, à me factum erat in eâ epiſtolâ, quam ad *ſanctioris concilii* Præſidem miſi; & quidem Regis juſſa in effectu explevi; *Sharpium* etenim monebam atque hortabar, ut intra meam diœceſin concionari delineret: atque ille meo conſilio juxtà paruit. Poſt dicta iſta adornata ab epiſcopo ſcriptiſque tradita reſponſio perlecta erat, tunc juris utriuſque peritis cauſam Epiſcopi perorare permittebatur. Oldiſius argumentabatur, haud fas eſſe, ex noſtri juris præſcripto, Dei miniſtrum ita ab officio ſuo ſuſpendere. *Ad ſuſpenſionem*, inquiebat, *quatuor requiruntur, citatio, forma proceſſus, judicium, & decretum; & qui ſecus faciunt illud committunt quod ab omni hominum memoriâ Dei naturæque legi, & juri gentium repugnare cenſebatur.* Alius legum Doctor * in eandem ſententiam locutus eſt, dixit haud penes Epiſcopum fuiſſe Doctorem Sharpium ab officio ſuo ſuſpendere, quoniam ſuſpenſio iſta actus judicialis eſſet. Alter † opinionem

* *Doctor* Hodges.

† *Dr.* Price.

nionem iſtam aliis argumentis confirmavit. Newtonus ulteriùs dixit, Epiſcopum Londinenſem Regis imperio ſatis obtemperaſſe: quoniam etenim, inquiebat ille, *Regi reſcripſit*, nullumque de voluntate ejus reſponſum accepit, concludere fas erat ipſum ſatis animo Regis feciſſe. Ad hæc epiſcopus addidit, ſe libenter à Rege veniam ſuppliciter & demiſſe oraturum, ſi modò præ inſcitiâ à religione officii in leviſſimâ quavis circumſtantiâ declinaverit: Argumenta tamen omnia haud obſtare poterant, quo minus *Judices* Præſuli epiſcopalis muneris functionem abrogarent. Haud ignorabant ſe gratiam Regis, cujus favori in omnibus velificati ſunt, iſto judicio merituros. Præter etenim quòd Regi pergratum perque jucundum erat inveteratum illud odium, cui patriæ charitas præſulem obnoxium reddiderat, vindictâ ſaturare; alia inſuper ratio erat cur de Epiſcopo graviùs conſultum eſſe voluit. Rectè quidem augurabatur, ſe, tam fortem atque animoſum virum malè mulctando, Anglis latè terrorem injecturum, atque ità paulatim effecturum ut reliqui, odio ipſius ſimiliter impares, ſervile jugum patienter acciperent. Ut Regis itaque benevolentiam ſibimet allicerent, Judices Præſulem propter crimen condemnarunt, qualis nemo antè, poſt hominum memoriam, reus peragebatur. Neque illud judicium ſolùm, verùm aliam inſecutam poſtea injuriam Epiſcopus queritur; quando etenim poſt anni curriculum, exarato ad Regem ſupplice libello, ſuppliciter ac demiſſe oraret, ut decreto reſciſſo liceret ſibi epiſcopalem iterum functionem exercere, non aliud reſponſum accepit, quàm quod ſupplex iſte libellus nugatorius eſſet.

Vice-cancellarii Cantabrigienſis cauſa agitur.

Nec minùs quidem inſigne oppreſſarum legum indicium poſteà exhibuere, cùm Academiæ Cantabrigienſis Vice-cancellarium *, virum exempli rectiſſimi,

* Doctorem Peachil.

rectiſſimi, propter probitatem, & ſummum in tuendis legibus ſtudium, dignitate ſuâ ſpoliarunt. Qualiter hoc geſtum fuerit pauciſſimis referendum eſt. Lapſis aliquot menſibus poſt Epiſcopi Londinenſis calamitatem, Rex admotam omnem occaſionem cives vexandi, & legum reſolvendi vincula nunc diligenter arripiens, materiam ſimultatum contra Cantabrigienſes hoc modo quæſivit: Literas ad Academiam miſit manuali ſigillo obſignatas, præcipientes ut Albanum Francis, *Ordinis Benedictini* monachum, gradu magiſterii in artibus inſignirent, haud præſtito prius quovis juramento per leges terræ aut regni ſtatuta requiſito *. Literis Regiis in venerabili virorum eruditiſſimorum *Senatu* perlectis, ſummis omnium aſſenſionibus ſtatutum erat, ut non prius ipſum academico iſto honore ornarent, quàm miſſo ad Regem ſupplice libello ipſum orarent, ut mandatum revocare dignaretur. Vice-cancellarius, miſſis ad Albemarliæ Ducem literis, ipſum oravit, ut interceſſoris partes agens Academicos Regi in gratiam redigeret. Vir ille magnus, haud ignarus quam ſibi difficile eſſet offenſionem Regis lenire, author erat illis ut libellum ſupplicem ad Regem mitterent. Illi, ut à tumultûs & ſeditionis omnis ſuſpicione abeſſent, per ſelectos nuncios cauſam omnem clariùs expoſuere. Regem nimirum certiorem fecerunt, quantum ſibi à legibus periculum inſtaret, ſi ſine uſitatâ juramentorum religione honorem iſtum Academicum cuipiam impertirent. Supplices libelli, quibus per viros ornatiſſimos iracundiam Regis & mandatum illud bis demiſsè & ſuppliciter deprecati ſunt ne hilum quidem ad iram ejus leniendum profuere. E contra vero Atherburius *Accenſus* † regius paulò poſt Cantabrigiam miſſus erat citatum Vice-cancellarium, & Senatum Academicum ſeorſim ab illo, ut coram Commiſſariis Eccleſiaſticis

* Mandatum illud Cantabr. appulit, Feb. 9.

† *Meſſenger.*

ſiaſticis ſe in judicio ſiſterent. Quid multis? comparuere illi, & Vice-cancellarius moram unius ſeptimanæ nactus ad cauſam ſuam perorandam, multa *Statuta* recenſuit *, quæ honoribus academicis omnes prohibent, qui verbis conceptis juramentum fidelitatis jurare detrectaverint. Illi etiam compertum habentes ſententiam à *non Judice* latam non valere, dixerunt ſe in dubio fuiſſe, utrum cauſæ iſtius cognitio ad Judices Eccleſiaſticos pertineret necne: Res temporales ad forum Eccleſiaſticum non ſpectare argumentabantur, quoniam curiarum jura ſint ſeparata & limitata; omnia vero, inquiebant, quæ ad gradus Academicos attinent, temporalis ſunt cognitionis: præter hanc aliam etiam exceptionem contra forum & judicium inſtituere †; dixerunt etenim authoritatem à judicibus uſurpatam legi repugnare, imperante *Carolo Primo* latæ ‖, quæ poteſtatem omnem iſtiuſmodi Judices Eccleſiaſticos creandi Regi in poſterum abrogabat. Magnifica vero iſta & præclara defenſio fruſtra erat: Cancellarius etenim Academiæ Vice-cancellarium, non ſolum ab ampliſſimo iſto dignitatis gradu dejecit, alterúmque in illius locum ſuffecit, verùm & officium etiam beneficiúmque quod in Mariæ Magdalenæ Collegio poſſedit ubi præfecturam obtinuit, ipſi eodem tempore ademit. Supplicium iſtud vir ornatiſſimus, non propter maleficium aliquod, verùm propter operam Deo & Legibus fideliter navatam, ſub Principe ſuorum libertati inſidias molienti luebat *.

* Unum 1°. Eliz. latum — alterum 5° Eliz. — alterum 3°. Jacobi — alterum 9°. Jacobi.

† Id Bracton. faciendum monet. Lib. II. c. 8. n. 9.

‖ Vid. Statut. anno 17 Car. Primi.

* Maii 7 anno 1677. vid. vindic. hujus Imperii, pag. 23.

Cauſa Collegii Mariæ Magdalenæ Oxonienſis.

Alio inſuper judicio, mox in Academiâ Oxonienſi, palàm omnibus

omnibus fecit, quàm inflexibili obſtinatione leges evertere, & gloriæ ſuæ per fas nefaſque ſervire apud animum ſuum ſtatuit. Ille inimicitias cum Academicis gerendi occaſioni imminens, ut malè tractatos terrore in ſui obſequium adigeret, auſiſque ſuis haud repugnantes reperiret, ſimultatis anſam hoc modo arripuit.

Poſtquam Clerkius Collegii ſanctæ Mariæ Magdalenæ Præſes extremum diem morte confeciſſet, Rex turbarum ciendarum cupidus, contra legum ſanctimoniam Farmerum quendam, virum moribus corruptiſſimis in dignitatem iſtam aſcivit. Collegii iſtius *Socii*, quorum fama poſteritatis memoriâ vigebit, audito Regem diploma ſuum homuncioni indigniſſimo indulſiſſe, compoſito ſupplice libello ipſum monuere, *Farmerum* iſtum per ſtatuta collegii muneris iſtius haud compotem eſſe potuiſſe. Orarunt itaque ut vel jus electionis integrum ipſis permitteret, aut alium quempiam ſatis idoneum ipſis commendaret, interea temporis Farmerus Oxonium ivit, Regiſque *mandatum* ſecum pertulit; *Socii* illud pauliſper aſpernati ſunt, donec reſponſum à Rege accipientes, voluntatem ipſius perſpectam haberent. Sanctioris concilii Præſes miſſis literis certiores ipſos fecit Regem voluntatem ſuam immutare noluiſſe, verùm pertinaciter ab illis poſtulaſſe, ut imperata ipſius continuò facerent. *Socii* itaque, conſcientiæ fide commoti, *Houghium* Theologiæ Doctorem, virum moribus priſcis, innocentiâ & eruditione ſingulari præditum, juxta *Collegii* ſtatuta Præſidem ſibi cooptârunt. Sanctioris concilii Præſes, poſtquam factum iſtud Albæ Aulæ nunciatum eſſet, literas ad *ſocios* miſit, ipſoſque admonuit Regem ad rem auditam ſtupuiſſe, & rei geſtæ rationem ab ipſis expectaſſe. Illi literis Londinum miſſis cauſam omnem clarè expoſuere. *Judices Eccleſiaſtici*, accepto ſodalitatis Academicæ reſponſo ſtatim ipſos

judicio arceſſebant. Illi decreverunt ut è ſociorum numero ſex delegarentur qui * reliquorum nomine cauſam communem legis præſidio defenderent. Illi, rogati cur mandato Regis obtemperare recuſaſſent, reſponſum ſcriptis tradidere. Dixerunt Mariæ Magdalenæ Collegium liberum eſſe *municipium*, atque *Henricum Octavum* pro ſemetipſo & ſucceſſoribus ejus municipalia jura & ſtatuta ab aliis Regibus ſæpius confirmata iſti conceſſiſſe; ea inſuper ſtatuta religioſe jubere, ut de ſingulari illius integritate atque innocentiâ, ſolerti ingenio, atque aliis dotibus conſtet, qui in *Præſidis* locum cooptetur; ſe juramento inſuper obſtrictos teneri, ut neminem niſi ex ſuo, aut *Novi Collegii* ſodalitio in locum iſtum eligerent. Præterea juravimus, inquiunt, nos diploma nullum quacunque authoritate proveniat, aut quibuſcunque verbis conceptum ſit, omnino moraturos. Quoniam itaque Farmero, ſine crimine perjurii, &, propter leges violatas, fortunarum omnium periculo, honorem iſtum largiri requivimus, idcirco Doctorem Houghium virum tanto muneri parem, Præſidem creavimus Fairfaxius, vir in extremo patriæ ſuæ diſcrimine forti & intrepido animo, præter reſponſum illud ab univerſis ſimul traditum ſolus pro ſeipſo, forſan ut ſociis invidiam detraheret, argumentabatur, cauſæ iſtius cognitionem ad curiam iſtam non pertinuiſſe: interrogavit judices quo jure juriſdictionem atque authoritatem iſtam uſurparent? non tulit ſermonem iſtum Cancellarius, vir animo efferatiſſimo & repulſæ impatiente, verùm ad dictum illud adeo erat in iram accenſus, ut ſtatim poſt quædam valdè iracundè & intemperanter dicta, comitia in alium diem differret. Curiâ proximè habitâ rationes expoſuere, propter quas Farmero Collegii gubernaculo tradere aſpernati ſunt; totque

* Aldworthus, Fairfaxius, Smithus, Hammondus, Dobſonus, & Fairerus.

que criminibus ipſum onerârunt ut præ pudore Rex ipſum à muneris iſtius petitione rejicere neceſſum haberet. Farmero repudiato, ſuperfuit ut dolorum artifices aliud commentum excogitarent. Rex paulò ante *Parkerum* Archidiaconum Cantuarienſem, virum patriæ ſuæ infidum propter ſervile ingenium & deforme obſequium in ipſum Epiſcopum Oxonienſem fecerat; viri libertati noſtræ inſidiantes Regi authores erant, ut ipſum Præſidem crearet, propterea quod ſcirent Collegii ſocios non infenſo minùs atque inimico animo illi quam Farmero prius oppugnaturos. Rex itaque haud neſcius Epiſcopum Oxonienſem à Collegii primoribus etiam repudiatum iri, diploma ſuum Oxonium miſit, ipſoſque juſſit ut ſtatim honorem iſtum ipſi impertirent. *Socii* Regis iracundiam & fortunas ſuas ſuſceptis à ſe juramentis, Collegii ſtatutis, & communi ſaluti poſteriora ducentes, morem mandato Regis gerere reſpuerunt. Paulò pòſt Rex Oxonium petens Collegii Optimates ad ſe accerſivit, atque iracundè dixit, ipſos parum civiliter ſe gerentes à religione officii turpiter declinaſſe. Illi genibus provoluti ſupplicem libellum rerum ab ipſis geſtarum cauſas complectentem Regi obtulerunt. Ille libellum iſtum atque excuſationem omnem accipere recuſavit, acerrimè illos increpuit, dixit ſe Regem eſſe & ab illis poſtulare, ut mandatis ejus obſequerentur. Minaces ſermones, quibus temperare nequiverat, haud tantùm apud illos valuere, ut Epiſcopum Oxonienſem Præſidem ſibimet eligerent. Conſtantia iſta firmitaſque animi, quâ in propoſito permanſerunt, iram Regis aſperavit. Ut igitur tantæ pervicaciæ pœnas ſatis graves ab illis exigeret, novos judices huic cauſæ præpoſuit: extemplò etenim Epiſcopum * Ceſtrienſem, labem atque perniciem reipublicæ, Eccleſiæ probrum; Robertum

* Thomam Carthwright Epiſcopum à Jacobo Rege creatum.

Wright

Wright Equitem Anglicanum Capitalémque tunc Angliæ juſtitiarium; & Thomam Jennerum virum etiam inter equites nobilem, & unum è Regii fiſci quæſtoribus, auctoritate novâ armavit, ipſoſque Oxonium miſit, ut viros de patriâ bene meritos gravi ſupplicio coercerent.

Minorum gentium *commiſſarii* iſti *Heughium* rogârunt, utrùm authoritatem ipſorum agnoſceret necne. Reſpondit ſe haud ulteriùs eam comprobâſſe quam quatenus legibus Angliæ & Collegii ſtatutis conſentanea eſſet. Vobis, inquiebat vir ſpectatiſſimus, regio diplomate permiſſum eſt, vetera abolere ſtatuta, & nova ſancire, nos verò ſolenni jurejurando noſmet obſtrinximus, quod neque antiqua ſtatuta refigi, neque nova unquam ſigi patiemur. Deinde *judices* ipſum interrogârunt utrùm ſuperiorum commiſſariorum decretum iſtud ratum haberet, quo *Præſidis* munus ipſi abjudicârunt. Reſpondit ille, judicium illud nullum fuiſſe, atque ipſo facto in irritum cecidiſſe, quoniam adverſus ipſum pronunciâſſent, antequam ipſi in curiam citato ſui defendendi copiam feciſſent. *Judices* ad hæc intemperantiùs accenſi rogârunt, utrùm claves quæ ad Præſidis cubiculum pertinerent *Præſidi* à Rege creato tradere vellet? Ille ſorti & confirmato animo reſpondit, ſe nondum ratione aliqua adduci ut illud faciat. Extemplo itaque procurator Regius ipſum contumacem pronunciavit, atque Epiſcopus Ceſtrienſis ter ipſum admonuit ut è *Præſidis* cubiculo pedem confeſtim verteret, neque munere iſto amplius fungeretur, Collegii etiam alumnis in mandatis dedit, ut non in poſterum Præſidis ipſi honorem deferrent, aut præceptis ejus morem gererent. Sed quid pluribus verbis in defeſſo hoc ac refrigerato judicio lectorem diutius moror? Judices tandem *Collegii ſocios* viritim interrogârunt utrùm amplexari vellent Epiſcopi Oxonienſis authoritatem, quem Rex in Præſidem ipſis

ſis cligi juſſerat? omnes, uno tantum atque altero * excepto, animo nihil infracto reſponderunt, ſe Regis imperio eâ in re obſequi non potuiſſe, quoniam jurijurando, quod in ſtatuta priùs juraverant, manifeſtè repugnaret. Exinde crudele illud & inhumanum judicium inſecutum eſt, quod cum primis & præcipuis querelis Jacobi Regis imperium dehoneſtavit. Socios etenim omnes prædiis Academicis & Collegio expulerunt, & decreto durißimo ſtatuerunt, ut nemini illorum licitum eſſet in poſterum, beneficio quovis Eccleſiaſtico frui, aut pueros publicè vel in privatorum ædibus inſtituere. Immitis iſta ſententia ex cujus rigore nihil à Rege poſtea mitigatum erat, non priſtinis ſolummodo fortunis, verùm futurâ etiam ſtipendiorum ſpe, quibus miſeram famem ſolarentur, viros de literariâ & Anglicanâ republicâ bene meritos orbavit, inhumanum illud decretum, ut juris naturalis ita legum Anglicarum decretis maximè repugnavit. Immò MAGNA CHARTA Angliæ, cujus præcepta majores noſtri ſemper ſacro-ſancta habuere, religioſè præcipit, quemadmodum ſuperius oſtendi, ut *nemo ſcudum ſuum, niſi per leges terræ, aut judicium parium amittat.* Rex verò noſter cui patrias evertere leges, & ſervitutem popularibus ſuis imponere, inſtar omnium triumphorum erat, nihil legum ſanctiſſimarum vincula morabatur, quæ conatibus ejus obſtabant. Res alias à commiſſariis iſtis patratas, quos, contra legis præſcriptum & virtute poteſtatis iſtius quam contra leges diſpenſandi uſurpavit, Rex judiciis præpoſuit, fuſius in capite ſequenti referemus.

* Thomâ Smith & domino Charnoco.

CAP. VI.

Complectens fraudem ſub libertate conſcientiæ legibus factam.

REgibus, qui in civium involare jura atque arbitria ſua pro lege habere cum animis ſuis ſtatuêre, maximè utile eſt inter populares ſuos amicitiâ & charitate concordi ſe complectentes, diſcordias ſerere, & fallaci beneficiorum venditatione ſtudium & favorem eorum emereri, quos cæteroquin partibus ſuis infenſiſſimos haberent. Inde factum eſt, quod *Jacobus* Rex inter reliqua commenta & impotentis dominationis ſubſidia ſuperiùs commemorata, libertatem omnibus ſectis indulſerit, non ſolùm ut tanto beneficio ipſorum animos ad benevolentiam & ſui ſtudium alliceret; verum ut eo pacto etiam inter alumnos Eccleſiæ Anglicanæ & *Sectarios* odii & ſimultatis materiem conflaret, atque ita ipſe faciliori negotio voto potiretur.

Ut Regis conſilium iſtud, & inſidiæ libertati noſtræ fabrefactæ lectori innoteſcant, res apertè, ita ut ſeſe habuit, pluribus referenda eſt.

Nemini non, arbitror, notum eſt, Angliam, aliarum nationum ritu, non ſine ſummo Chriſtiani nominis opprobrio plurimis ſcatere ſectarum generibus. Dedecus & infortunium iſtud partim lymphatica Anglorum vecordia, partim Jeſuitarum doli & machinationes Eccleſiæ & reipublicæ noſtræ impreſſerunt: Olim etenim, poſtquam Eccleſiæ Anglicanæ antiſtites, corruptelam pertæſi quam Pontificii, ut illi graviter querebantur, in Eccleſiam invexerant, religionem in ſaniora inſtituta formârunt; illico viri bilioſi emicuere multis quidem Antyciris digniſſimi, quibus defæcata religio & ab Eccleſiæ Præſulibus reformata nimis adhuc

huc fæculenta videbatur. Illi, etiamſi privati eſſent, majorum facta corripuere, & religionem ſibi reformandam iterum & velut recoquendam fuiſſe dicebant. Hujuſmodi virorum fervidus zelus in cauſâ fuit quod plurimi majorem præ ſe puritatem ferentes ab Eccleſiæ Anglicanæ communione faceſſentes, novos cœtus celebrârunt. Malum illud dolo Jeſuitarum latiùs paulatim ſerpebat, illi etenim, ut robur Eccleſiæ Anglicanæ labefactarent, ad maleſanorum indolem ſeſe accommodantes atque inſtinctum afflatúmque divinum ſimulantes viros fanatico furore correptos artificioſo & inſolito eloquio in varias religionum formas & ſectas finxerunt. Summi rerum noſtrarum gubernatores, gnari periculorum quæ pullulantia indies tot religionum monſtra non Eccleſiæ Chriſtianæ tantummodo verum reipublicæ etiam faceſſerent, legum ſeveritate tanto malo occurrendum cenſuerunt. Pœnalia itaque ſtatuta ab Elizabethâ atque aliis Principibus ſæpius lata fuere, quæ non ſolùm alios omnes præter Eccleſiæ Anglicanæ alumnos à muniorum reipublicæ communione arcuerint, verùm aliorum etiam Conventiculorum uſu ipſis interdixerint, & mulctam omnibus Eccleſiæ Anglicanæ ſacra repudiantibus irrogaverint. Omnes iſtas leges multos per annos in ſalutem Eccleſiæ & reipublicæ factas Jacobus Rex decreto reſcidit. Quinto etenim Calendarum Maii * quarto regni ſui anno in *ſanctiori concilio* †, *conſcientiæ libertatem*, ut dicitur, ſubditis univerſis edicto ſuo indulſit. Pridie Calendarum ejuſdem menſis ‖ declarationem ſuam eâ ſuper re imprimi & per totam Angliam publicari præcepit. Quarto Nonar. Maii * eandem declarationem in ſingulis Angliæ Eccleſiis & capellis, non eodem pietatis documento quo

* Apr. 27. 1688.

† Idem fecerat priori anno April. 4°. die.

‖ April 30.

* Maii 4.

quo Edvardus Primus *magnam chartam*, publicè legi juſſit. In eâ profitetur, ſe ſemper in eâ opinione fuiſſe, vim nullam conſcientiæ inferendam eſſe, verum in rebus pure ad religionem ſpectantibus, æquam libertatem omnibus permitti debere. Quapropter per decretum illud vim omnem legibus illis abrogavit, quæ *ſectariis* ritus & ſacramenta Eccleſiæ Anglicanæ averſantibus mulctas indixerunt, illis omnibus copiam fecit ſacros ſuos conventus quovis in loco, juxta ſua ipſorum religionis inſtituta publicè aut privatim celebrandi. Omnibus ſubditis ſuis juramentorum & declarationum gratiam fecit quæ per ſtatuta regni ſub Caroli Secundi imperio * condita, ab omnibus munia reipub. obeuntibus neceſſariò ſuſcipienda ſunt. Sectariis etiam & *recuſantibus* univerſis delictorum veniam dedit, quæ contra pœnalium legum ſanctimoniam quovis modo perpetrâſſent.

* 25°. Carol. Secundi, de quo ſupra, & 30°. Car. Secundi.

Ex edicto iſto & inſecutis injuriis actio noſtra in Jacobum Regem impræſentiarum naſcitur. Plurimis, ſcio, primo intuitu mirum videbitur, me illud Regi vitio vertere, quod in magnâ potius laude ejus ponendum eſſe judicabunt. Maximum illud, inquient, clementiæ, manſuetudinis, & humanitatis in Rege documentum erat, ſe univerſis ſubditis ſuis in re religionis æquabilem præſtare; nullius conſcientiam legum nodis torquere; verùm permittere, ut unicuique impunè liceret juxta ſectæ ſuæ inſtituta Deum publicè colere. Ego mehercule liberè profiteor me ab eorum ſententiâ ſemper valde abhorruiſſe, quibus haud nefas eſſe videtur miſeros mortales vulgi opinionibus in errorem ſeductos, ob meram religionis profeſſionem ad vincula & ſupplicia rapere. Etiamſi vero omnem ego crudelitatis querimoniam à religione Chriſtianâ deprecer deteſterque, nequeo tamen illorum manſuetudinem

nem & clementiam vehementer laudare, qui omnibus ſectis hæreſium & ſchiſmatum, quibus nunc ſcatet Britannia, qui omnibus in regulâ lapſis, qui blaſphemis, qui atheis, Chriſtianiſmum oppugnandi, & Dei ipſius negandi poteſtatem edicto concedunt: id à Rege noſtro factum erat, impiis etenim pariter & profanis conſcientiæ libertatem indulſit *. Et quidem ſi benignitas erga ſectarios Regis animum incendiſſet, non vacâſſet tamen culpâ hæc indulgentia ejus, quoniam contra legum ſanctimoniam peccatum erat. In eâ indulgentiâ perinde facere viſus eſt mihi ac latrones qui male parta commoda dividendo ex injuriâ juſtitiæ, & è rapinâ libertatis laudem quærunt; neque tamen quod petunt aſſequuntur. At ille facti iſtius odio omnem illam oſtentatæ beneficentiæ gratiam meritò amiſit, neque civilis animi civibus fidem fecit, quòd non eorum commodis ſed dominatui ſuo id præſtitit; ut nimirum ſecuriùs libidine ſuâ frueretur. Inde eſt quòd Regis indulgentia iſta apud nos querelam habeat, ægre etenim tulimus vim legibus pœnalibus latam, atque humanitatem iſtam quâ magiſtratus & munia reipublicæ civibus univerſis communicârit, & ſectariis omnibus licentiam dederit impunitatémque libere cœtus ſuos tenendi; atque id præcipuè gravabamur quod Rex fucatâ iſtâ humanitate pro primario dominationis ſuæ adminiculo uteretur. Ut res iſta lectori clarè noteſcat,

* Vid. diatrib. cui titulus animadverſiones æquæ in pœnales leges, &c.

Primò demonſtrabo Regem non ex manſuetudine & humanitate *libertatem conſcientiæ* Eccleſiæ Anglicanæ imperia detrectantibus per beneficium conceſſiſſe.

Deín oſtendam dolorum artifices indulgentiam iſtam ante reliqua ſervitutis noſtræ inſtrumenta ſemper habuiſſe.

Et

Et tandem ortas ab eâ injurias patefaciam.

§. I. Indulgentia iſta non Regis benevolentiæ erga ſectarios tribuenda eſt.

Sublato Britannico, ut Tacitus refert, Nero potiſſimos amicorum ejus largitione auxit, & poſt cædem matris donativa, congiaria, ludos dedit frigerando rumori. Principibus, *quorum munera illitos cibis hamos, opertos prædâ laqueos æmulantur*, uſitatum eſt, quoties anguſtiis urgentur, ad iſtiuſmodi dolos ſe convertere, atque illos, quos fluctuare animo aut ipſis infenſos eſſe ſuſpicantur, beneficiis aut largitionibus ſibi conciliare. Conſilii iſtius pluſquam abſcondita ſuſpicio in Jacobum Regem convenit. Cùm Princeps etenim, cujus liberalitas fermè inter prodigia ſeculi numeranda eſt, cujus erga inimicos delictorum gratiæ nedum ſummæ humanitatis & benevolentiæ nulla ſunt exempla, non liberum tantùm magiſtratuum & religionis uſum indulgere, ſed pecuniam etiam profundere atque illis erogare dignetur quos maximè odit, tunc credendum eſt dona iſta non carere dolis, ſed iſtiuſmodi beneficiis & congiariis, aut redimendam eſſe culpam, aut emendam eſſe venalem civium favorem. Ingenium & naturam Jacobi Regis nondum illi ſatis perſpexerunt qui opinantur ipſum alio conſilio ſe ad quorundam familiaritatem applicuiſſe, & concionatoribus, ritus Eccleſiæ Anglicanæ impugnantibus, annua ſtipendia perſolviſſe *, atque illis omnibus ſacrarum Synaxium copiam feciſſe, quam ut pretio coemptos, & beneficiis ſibi devinctos ad cauſam ſuam propenſos redderet. Nemo, arbitror, eſt tam rerum omnium planè imperitus, ut de ejus erga *Sectarios* Anglicos benevolentiâ benè exiſtimet, quem adempta proteſtantibus Gallicis, per *Edicti Condivicenſis* abrogationem, rerum ſacrarum communio gaudio & lætitia ingenti extulerit.

* Vid. epiſtol. ad Sectarium pereleganter ſcriptam.

Omnes

Omnes mehercule, qui vitæ prioris tenerem, & virus acerbitatis quod in *fanaticos*, ut dicuntur, ſemper evomuit, cognita habuere, circulatoriam iſtam moderationis jactationem, aut quaſi graviſſimum oſtentum mirati ſunt, aut in proverbii ludicrum, verterunt. Omnis etenim iſta ſeveritas quâ pridem, imperante Carolo Secundo, in illos animadverſum erat, illi tanquam primario hortatori atque authori imputanda eſt. Rigor tunc *Legum Pœnalium*, Eccleſiæ Anglicanæ, à cujus inſtitutis crudelitas omnis aliena eſt, maximam invidiam apud homines rerum geſtarum imperitos concitavit; revera autem odium iſtius ad Ducem Eboracenſem pertinuit. Neminem exiſtimare velim me hæc memorantem rumorem tantummodo authorem habere; certa & explorata ſcribo, novi etenim quinam olim ſtudio & favore Ducis Eboracenſis non aliâ de causâ in Eirenarcharum album aſcripti fuerint, quàm ut juxta Pœnalium Legum ſummum jus Sectarios acerbiùs & durius tractarent; atque ità odia & diſſidia inter illos & Eccleſiæ alumnos naſcerentur. Quæ auditione certâ accepi, ea ab aliis memoriæ tradita reperio. Scriptores etenim luculenti nobis authores ſunt culpam pœnarum omnium, quas propter contumaciam *Sectarii* olim ſub Caroli Secundi imperio Eccleſiæ Anglicanæ dederunt, in Duce Eboracenſi reſediſſe *. Quo pacto hoc geſtum fuerit, vir Clariſſimus ſcriptis in lucem editis nos breviter commonefecit. " Annon dura iſta juſſa, quæ " in Sectarios ſupplicia conſti- " tuere, ex Albâ Aulâ, *inquit ille*, provenerunt? An non " Juſtitiarii itinerantes ubique in comitiis provincialibus, & Eirenarchæ in conventibus juridicis id eloquentiâ ſuâ hominibus perſuadere magnopere nitebantur? Fides hujuſce rei ulterius, inquit, conſtat

* Vid. vindic. hujus Imperii, pag 6 — & repræſentat. periculor. nobis imminent. in tract. par. II. pag. 386.—

" ex mandatis juſtitiariis & quæſitoribus paſſim tradi-
" tis, & ex eo etiam quod Le-
" guleius † in nullo numero
" aut exiſtimatione antè ha-
" bitus, non aliâ quavis commendatione cognitus,
" quàm quòd immani & importunâ inſaniâ in Fana-
" ticos debaccharetur, maximam ex improviſo grati-
" am apud Regem invenerit, & in ſummum honoris
" apicem inter juriſperitos e-
" vectus fuerit ‡. Sed quid iſtis diutius immoror quaſi quiſpiam eſſet qui non nôrit homines iſtos in ſuis civitatibus & municipiis maximè apud illum gratioſos fuiſſe, qui ſeveritate in Sectarios noteſcere ſtudebant. Crudele in ipſos & quaſi inuſtum menti ipſius odium adeo notum & pervulgatum apud omnes erat, ut *Saul inter Prophetas* non Iſraelitis tantam admirationem olim, quantam *Jacobus inter Fanaticos* Angligenis moveret. Sed ne gratis hoc dictum videatur, uno atque altero exemplo oſtendam quantà apud illum in offensâ fuerint. Facillimè quidem id perſpici potuit ex rebus quæ ſub fratris imperio palàm in ore atque oculis omnium ab illo in Scotiâ geſta fuere. Tunc temporis cum vice Regis *Princeps Senatus* ‖ crearetur, lex ſcrutinii ſive examinis *, quâ Scoti Sectariorum omnium dogmata ejurare tenebantur †, ſolâ ipſius acri inſtigatione lata erat ‖. Eodem etiam tempore dum Comitiis præfuit, novo edicto, quodque antea exemplo caruit, gravis ſuæ in fanaticos iracundiæ clarum

* Georgius Jefferies.

† Vid. Doctor. Burnetii chart. 18. in reſp. ad chart. cui titulus, *Examen fidelitat. Eccleſiæ Anglic.* pag. 48. — Vid. etiam apolog. pro Eccleſ. Anglic. contra eos qui eam perſecutionis incuſant.

‖ *Lord High Commiſſioner.*

* *The Teſt Law.*

† Vid. juram. ab omnibus munia reipub obeuntibus ſuſcipiend. in tract. polit. par. II. pag. 158.

‖ Vid. vindic. hujus imperii, pag 6.

rum nobis indicium patefecit. Sanctius etenim Concilium Edicto tunc in Scotiâ ſanxit ut unicuique militari officiali imperium in duodecim gregarios milites obtinenti licitum eſſet, duodenariam inquiſitionem conſtituere; cives in judicium accerſere; & tandem illos omnes capitis condemnare, qui *primatum* à Rege noviter in Eccleſiam uſurpatum repudiare auderent *. Præter iſta ſub imperio Caroli Secundi acerbe de *Fanaticis* ab illo conſulta, recentiora etiam offenſionis ejus erga ipſos veſtigia remanent. Poſtquam etenim rerum potitus eſt, lege in Scotiâ latâ † juſſit ut ſiqui in *Erronum Fanaticorum* campeſtribus conventibus inter ſacra deprehenſi eſſent, propter crimen illud pœnas capite expenderent. Neque illud hoc loco mihi ſilentio diſſimulandum videtur, quod Jacobus Rex, poſtquam per literas & edictum in Scotiam miſſa æquam religionis libertatem omnibus indulſiſſet, Sectarios nonnullos ad numerum viginti ſex propter crimen religionis longe à tribulibus & popularibus ſuis in Barbadam Inſulam relegârit ||.

* Vid. repræſent. periculor. nobis imminent. in tract. polit. par. II. pag. 386.

† Maii die 8. 1685.

|| Vid animadverſ. in diatrib. cui titulus *funeſti exitus diſſidiorum.*—

Ex his itaque videre eſt quam fidem Regis verba iſta apud nos mereantur, quibus in declaratione ſuâ civibus univerſis proclamavit, *Se ſemper in eâ opinione fuiſſe, nemini propter res purè ad religionem pertinentes vim inferri debere.* Eâ excuſatione delictum ſuum defendit, atque ideò ſe legum vincula duriora ſolviſſe dixit, ut ſubditos ſuos æquâ benevolentiâ complecteretur. Mihi quidem Principes iſti ſe clientelæ ſuæ æquos potius præſtare videntur, qui juris æquabilitatem in omnibus ſervant, hoc eſt, qui legum ſanctimoniam agnoſcunt, atque ad illarum normam & præſcriptum,

jus ſuum unicuique æquabiliter & conſtanter diſpartiunt; qui ſecus faciunt, & ſingularem humanitatem præ ſe ferentes leges, in quibus ſalus populi unicè continetur, ideò perfringunt, ut moderatos & æquabiles erga ſubditos ſuos ſe gerere poſſint, dant locum ſuſpicioni, ſe legibus inſidias & popularibus ſuis ſervitutem moliri. Verba viri perſpicaciſſimi ſuper Jacobi Regis conſilio habita plurimam huic ſententiæ fidem faciunt. " Qui, *inquit ille*, " nos iis rebus *, quæ Anglo-
" rum & Scotorum propria
" ſunt, ſpoliare nititur, ſuper fraude aliquâ meritò
" ſuſpectus eſſe debet iis in rebus, quæ nobis, quate-
" nus Chriſtiani ſumus, per beneficium concedit;
" nec poſſibile quidem eſt, ipſum, qui nos fortunaſque
" noſtras tali impetu evertere conatur, aliud ſibi in
" gratiâ iſtâ *Fanaticis* indultâ propoſitum habere quam
" ut ipſos eo pacto à reliquis
" civibus, & ſtudio reipublicæ
" diſſociare, & in partes ſuas
" pellicere poſſit †.

* Legibus ſcilicet.

† Vid. repræſent. periculor. nobis imminent. in tractat. polit. par. II. pag. 418.

Ingenioſus iſte rerum geſtarum obſervator rem acu planè tetigit. Atque ut pauciſſimis omnia complectar ſumma conſiliorum ita ſe habuit. Conjurationis Gallicæ participes ſervitutem nobis jampridem deſtinârant, quamprimum itaque Dux Eboracenſis, rerum omnium primarius ſub Gallo artifex, in fraterna regna ſucceſſerat, ſperabant conſilia ſua exitum, quem optabant, ſtatim habitura. Videbant vero conatus ſuos fruſtra fore, niſi blanditiis agentes plurimos è civibus in partes ſuas traherent; initio itaque imperii Rex animos illorum, qui Eccleſiæ Anglicanæ ritus colunt, vocibus variis & promiſſis ingentibus ſolicitavit. Poſtea verò cum certò comperiſſet ipſos voluntate obſtinatâ pro patriis legibus & civium libertate contra conjuratorum ſtudia ſtetiſſe, ad amicitiam &

fidem

fidem eorum confugit qui Eccleſiæ juſta non capeſſunt; utque beneficiis delinitos libidinis ſuæ adminiſtros haberet, *conſcientiæ libertatem* modo ſuperiùs memorato, illis omnibus contra legum præſcripta indulſit *.

* Vid. Vindic. hujus imperii pag. 11.— & ingenioſam epiſtol. ad ſectarium.

§. II. Dolorum artifices indulgentiam iſtam ante reliqua ſervitutis noſtræ inſtrumenta habuere.

Qui in ſummo errore atque maxima rerum ignoratione verſari nolunt, inter cauſas & prætextus rerum ſolerter, diſtinguere debent. Id in hâc cauſâ cautiſſimè agendum eſt, alioquin res à Rege contra legem geſtæ fucum nobis facturæ ſunt. Cum tabula iſta libertatis publicè ab illo figebatur, unum erat prætextum exteras gentes omnes commercio cum Anglis miſcere: alterum & præcipuum erat benignitas & mitis indulgentia erga ſectarios. Simulabat ſe credidiſſe Deum conſcientiæ jus inviolabile, ac poteſtatem penes ſe unum eſſe voluiſſe. Ut igitur rem gratam Deo, & in genus Humanum acceptum agere videretur ſectis omnibus licentiam & impunitatem conceſſit liberè cœtus ſuos tenendi, & præterea ad magiſtratum etiam aſpirandi, certo certius autem eſt ipſum pietatem & clementiam iſtam inſidiis ſuis prætendiſſe præter ſpecioſum etenim prætextum iſtum alia erat vera & abdita cauſa cur æquam iſtam libertatem omnibus faceret, ut nimirum eo pacto popularibus ſuis ſervitutem imponeret. Dolum iſtum jampridem compertum habuimus, olim etenim, poſtquam inſidiæ contra libertatem noſtram cœptæ ſunt fieri, architecti & machinatores omnium inſidiarum indulgentiâ in iſtâ, in quâ inſtar omnium artificiorum eſſe putabant, maximam ſpem ſucceſſûs * collocabant Cliffordus, Princeps eorum qui ſub *Carolo Secundo* & *Duce Eboracenſi* de legibus

* Vid. Imperat. & imper. prodit. pag. 52. & 59.

noſtris evertendis conſultarunt, bellum Belgicum ideo conflavit, ut occaſionem ſibi ad indulgentiam iſtam introducendam, eo pacto aperiret. Sunderlandiæ Comes vir ſolertiſſimus, & in multorum opinione, conſiliorum & rerum ab Aulicis hac poſteriori memoriâ geſtarum omnium qui in Angliâ ſunt peritiſſimus, in epiſtolâ poſt nuperam rerum converſionem in lucem editâ, dicit, *CONJURANTES ſpem omnem in LIBERTATE CONSCIENTIÆ habuiſſe, nec dubitabant*, inquit ille, *quin Cliffordus inter proceres nobilis*, primarius *iſtius author, cæpta ſua peregiſſet, niſi Caroli Secundi & conſiliariorum ejus ignavia & timiditas ſpem iſtam ipſis eripuiſſent* *. Colmanus etiam ſuperiùs à me memoratus, quem Dux Eboracenſis ſervum utpote fidiſſimum ſuum omnis iſtius conſilii participavit, quod ad noſtram & Europæ libertatem evertendam cum Gallo ſtruebat, in Epiſtolâ ſuâ Gallici Regis confeſſionarium admonuit, *nihil Galli* & Ducis Eboracenſis rebus utilius fore, quàm ſi efficere poſſent, ut lege in illud latâ, copia eſſet omnibus religionis ſuæ uſu publicè frui †. Poſtea etiam cum in capitis judicium vocaretur, haud ivit inficias ſe in eâ ſententiâ fuiſſe, conſilia ſua ſecundos exitus habitura, ſi modo æquam iſtam ſacrorum libertatem ſancire poſſent ‖. Hæc itaque teſtimonia palam faciunt fraudem, quam inſidiarum artifices libertati noſtræ per indulgentiam iſtam machinati ſunt.

* Vid. Epiſt. iſtam in hiſtor. abdicationis, p. 29.

† Vid. Colmani epiſt. in tractat. polit. par. I. pag. 143.

‖ Vid. Inquiſit. ſuper Colmani capite habit. in fine.

Quæret vero lector, unde ea indulgentia vim tantam haberet, ut delendæ libertatis noſtræ primarium inſtrumentum eſſet? Variis quidem modis Rex iter ad impotentem dominatum iſtius adminiculo moliebatur.

Primò

Primò, ut ſuperius retuli, inveteravit in conjuratorum mentibus opinio, *Impoſſibile fuiſſe mala ſervitutis in Angliam invehere, niſi Pontificia religio, legum ſubſidio fulta, in viſceribus regni altiores radices ageret.* Sine Romano-Catholicorum operâ haud ſperandum erat ut cives ſuos injuriis opportunos haberet, & de legibus Angliæ triumpharet. Ut igitur Pontificios ſummo officio & beneficiis ſibi devinciret, ut ipſos muniorum reipub. & militiæ compotes faceret, atque ita operâ illorum uteretur in fortunis civium vexandis & diruendâ republicâ, pœnalia ſtatuta in eorum favorem decreto ſuo refixit.

Altera ratio propter quam Rex indulgentiæ iſtius adminiculo ad dominatum immodicum nitebatur, ità ſe habuit. Jacobo Regi & calamitatum noſtrarum machinatoribus perſuaſum erat, leges, firmamenta reipublicæ noſtræ, non priùs everti potuiſſe quam Batavorum rempublicam funditus everterent. Haud ignorabant etenim Anglos, quamprimum ſalutem ſuam ad extremum diſcrimen adductam viderent, ad Belgas confugientes capiti fortunis ſuis auxilia ab ipſis petituros: nec erant neſcii Belgas in eo caſu omnibus viribus elaboraturos, ut conjuratorum inquietarent victorias, qui populi Anglicani nervos incidere, & libertatem obruere niterentur. Delenda itaque Carthago erat ut res Anglorum faciliori mox negotio delerentur. Regi vero haud tutum videbatur Batavis navare bellum donec fidei & conſtantiæ popularium ſuorum confidere auderet. Ut igitur ſectariorum benevolentiam ſibi adjungeret & in iſto bello quod *Fœderatis Ordinibus* illaturus erat, ope & auxilio eorum frueretur, leges edicto ſuo abrogavit, quæ muniorum reipublicæ, & ſacrarum ſynaxium uſum ipſis interdicebant *. Eadem de cauſâ ma-

* Vid. Repræſent. periculor. nobis imminent. in tract. polit. par. II. pag. 406. Vid. Etiam Stubbii vindic. belli Belg. pag. 29, 30.

nifeſtum eſt ipſum gratiam eandem illis initio ſuperioris belli Belgici indulſiſſe *. Callidum illud Regis conſilium comitiis tunc Parlamentariis manifeſtò compertum erat illi neceſſitatem impoſuere Regi per ſumptus belli in ſummas ærarii anguſtias adducto, ut edictum illud ſtatim reſcinderet, quo, contra legum pœnalium ſanctionem, tantum in Sectarios beneficium contuliſſet, nec illud mihi tacendum eſt, quod vir clariſſimus memoriæ tradidit, ſenatores nimirum *ſeparatiſtas*, aut ſaltem fautores illorum, cum Aulicorum dolos exploratos haberent, ſuffragia alumnorum Eccleſiæ Anglicanæ ſuis aſſenſionibus confirmaſſe †.

* Vid. declarat. à Colmano ſcript. ration. complectent. cur comitia parlam. diſſolverentur, item Stubbium ubi ſupra.

† Vid. Apol pro Eccleſ. Anglic. contra illos qui crudelitatis illam inculant, inter 18. chartas Doctor. Burnetii.

Tertia inſuper ratio erat cur Rex æquam iſtam libertatem omnibus indulſerit, ut eo pacto nimirum inter cives diſcordias ſereret, atque ita ipſos injuriis magis obnoxios redderet. Ratio in promptu eſt, populus Anglicanus, doleo referens, in varias religionum factiones ſcinditur, è quibus ſicuti olim inteſtina facinora & luctuoſa prælia ad perniciem fermè reipub. eruperunt ita odia occulta & ſimultates civibus, multò magis Chriſti cultoribus indigna etiamnum naſcuntur. Diſſidia iſta quæ inter Evangelicos, ut dicuntur, non ſine ſummo Chriſtianæ reipublicæ malo ſtatim poſt religionis reformationem gliſcere in Anglia cœperunt, inſidiatorum animos magnopere accenderunt ad ea quæ jampridem contra libertatem noſtram facere decreverant, fidenter patranda. Non dubitabant etenim quin in tantis Eccleſiæ Anglicanæ & Sectariorum diſſenſionibus, aut hos, aut illos, prout beneficiis ipſos complecterentur in ſuis partibus ſemper haberent. *Divide & impera* vetus erat & contritum Jeſuitarum præceptum,

præceptum, id religioſe in Angliâ ſemper obſervarunt *; atque inde evenit quod cum *parlamentaria comitia* mollibus remediis reformatorum diſſipare diſcordias, & ſeparatiſtas ad Eccleſiæ ritus conciliare niterentur, Aulici conatibus eorum obſtarent †. Haud ignorabant, ſublato religionum funeſto diſcrimine, materiam nullam inſidiis ſuis poſtea reliquam fore. Dicit vir clariſſimus de quo mentio ſuperiùs facta erat, omnes eos qui conciliandæ inter Eccleſiam & Sectarios concordiæ hortatores extitere, Eccleſiæ proditores fuiſſe appellatos; & viros libertati noſtræ inſidiantes iniquiores gratiæ & concordiæ reconciliandæ conditiones ex induſtriâ propoſuiſſe, ut aucto, eo pacto, Sectariorum numero, darent occaſionem introducendæ mox conſcientiæ libertati, cujus adminiculo ea omnia, quæ animis deſtinaverant, facili negotio patrarent ‖. *Jacobus Rex* oblatam ſibi occaſionem iſtam lætus arripuit, & æquam iſtam libertatem ſectis omnibus conceſſit, non ſolum ut amicitiis novis indulgeret, verum ut exinde etiam ſimultates inter populares ſuos intercederent, in hoc ſtudium maxime ſemper incubuit, inde eſt, quòd, cum edicto ſuo in Scotiam miſſo Sectariis ab Eccleſiæ Scoticæ inſtitutis diſſidentibus ſacrorum ſuorum copiam publicè feciſſet, mandata addidit, ut omnes ſacros conventus in campis celebrantes, ad gravia ſupplicia raperent. Quorſum iſthuc? quia nimirum ſperabat quod Campeſtres iſti fanatici male à popularibus ſuis propter religionem multati, capitali odio ab illis diſſiderent, & mox inteſtina mala exinde orirentur. Fraudem iſtam antea ſub *Caroli Secundi* imperio excogitatam fuiſſe manifeſtum

* Vid. Vindic. hujus imperii, pag. 11—.

† Vid. Relat. rerum in parlam. geſtar. tract. polit. par. I. pag 34.

‖ Vid. Doctor. Burnetii animadverſion in libel. cui titulus, *Parlam. pacificum.*

niſeſtum eſt; Comes etenim Shaftsburienſis oratione ſuâ in purpuratorum ſenaculo habitâ *, audacter & libere dixit, cupiditatum Regis adminiſtros Scotorum vexatione, feraciſſimorum & ditiſſimorum agrorum populatione pro virili contendiſſe ut populi rebellionem ibi cœptarent. Ex eâdem officinâ Regis noſtri indulgentia prodiit. Putavit ſe in eâ internecinis odiis alendis materiam præbuiſſe: non erat in dubio, quin Sectarii, qui deſiderio libertatis iſtius diu exarſerunt, contra Eccleſiæ alumnos, authores (ut illi falsò opinati ſunt) calamitatum ſuarum, in iram vehementer ſtatim accenderentur; & non ſolùm ſuffragia ſua in comitiis parlamentariis cum Rege ad abrogandas leges pœnales, verum arma etiam ſi opus eſſet conſociarent ad cultores Eccleſiæ Anglicanæ debellandos putavit inſuper Eccleſiæ natos malevolentiâ & iſtius regiæ largitionis invidiâ accenſos, incepturos nunc *fanaticis* propalàm impiacabiliùs iraſci, atque ita in cauſâ fore, ut illi operam & ſtudium pertinaciùs Regi navarent. Ex his itaque diſſidiis tandem ſe voti fore compotem & impotenter regnaturum ſperavit. Quapropter ut diſcordiæ iſtæ indies magis gliſcerent, atque ipſe res in vulgus Sectariorum gratiſſimas efficiendo firmiores amicitias cum illis jungeret, ex iſtâ indulgentiâ periculoſæ offenſionis occaſionem captans in maxima Eccleſiæ Anglicanæ lumina furenti & violento impetu ferebatur.

* Martii die 25°. 1679.

§. III. Ortæ ab iſtâ indulgentiâ injuriæ patefiunt.

Dubium nemini eſt, arbitror, qui ſeriem rerum hactenus à me ſcriptis traditarum æquo animo attenderit, utrum Jacobus Rex & adminiſtri ejus per longum tempus libertatis noſtræ evertendæ obſtinatum tenuere conſilium necne. Nullus inſuper dubito quin res à me noviſſime memoratæ cordatis omnibus fidem facient libertati

ti noſtræ inſidiantes Regis *indulgentiam* iſtam ante reliqua omnia conſilia & inſtrumenta ſervitutis noſtræ habuiſſe. Ut res iſtæ fidem majorem habeant, injuriæ ſtatim ab eâ inſecutæ paucis recenſendæ ſunt. Etſi fama inopinata, quæ in exitu æſtatis iſtius de Principis Auriaci bellicis apparatibus ex Belgio advolavit, & adventus mox ipſius in causâ fuere quod Rex non eâ, quam animo deſtinaverat, nos calamitate affecerit; res tamen ab eo patratæ inter inſigniores formidoloſiſſimi temporis querelas meritò numerandæ ſunt. Veritas hujuſce rei ex ſequentibus conſtabit.

Poſtquam Rex decreto ſtatuiſſet * ut ſectarii omnes æquâ libertate fruerentur, alio mox edicto † ſancivit ut declaratio ipſius eâ ſuper *indulgentiâ* in ſingulis totius regni Eccleſiis, cùm divinam rem facerent, publicè legeretur. Epiſcopis etiam omnibus datum in mandatis erat ut Clericis ubique per provincias ſuas munus illud imperarent. Viri cordati, præter iniquitatem iſtius *declarationis*, illud etiam ægrè ferebant, quòd in ædibus ſacris, & non in Kuphipoliis ‖ potius, ſeu foris mercatoriis, aut regni compitis eam promulgari juſſiſſet *. Id plurimis plus quam ſuſpicionem movit Regem in occaſionem imminuiſſe, ſimultates cum Eccleſiæ Præſulibus, atque aliis clericis gerendi. Eventus quidem conjecturæ iſti fidem plurimam fecit; Illi ut navigium ingruente tempeſtate ſeſe moderantes lenire animum Regis ſummo ſtudio nitebantur. Mox etenim Gulielmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Gulielmus Epiſcopus Aſaphenſis, Franciſcus Epiſcopus Elienſis, Johannes Epiſcopus Ciceſtrienſis, Thomas Epiſcopus Bathonenſis & Wellenſis, Thomas Epiſcopus Petriburgenſis, & Jonathanus Epiſcopus

* April. 27. 1688.

† Maii 4. 1688.

‖ *Coffee-houſes.*

* Vid. Vindic. hujus imperii, pag. 19. & epiſt. à clerico ſcriptam.

piſcopus Briſtollenſis, ut calamitati obviam irent, quam per iſtam declarationem Regem Eccleſiæ importare decreviſſe clarè perſpiciebant, ſuis ipſorum & aliorum omnium Epiſcoporum & Clericorum nominibus *Albam Aulam* ſupplices ad Regem ibant munus ipſis ab eo injunctum deprecaturi. Tradito Regi ſupplice libello certiorem ipſum fecere, *Se non à religione iſtius officii declinantes quod à ſanctiſſimâ matre ipſorum ECCLESIA ANGLICANA, erga majeſtatem Regiam ſanctiſſimè eſſe ſervandam edocti fuerint, imperium ejus de promulgandâ in Eccleſiis declaratione detrectare; nec quia humanitate erga eos qui Eccleſiæ juſſa non capeſſunt, non ſatis ſint imbuti, quibuſcum,* inquiunt, *in gratiam & concordiam reconciliari nitemur, cum res iſta ſub ſenatûs & ſynodi diſceptationem venerit. Inter alias rationes eâ potiſſimum de cauſâ ſe Regi morem in eâ re gerere non potuiſſe,* dicebant, *quia declarationis iſtius authoritas à poteſtate contra leges diſpenſandi manaverit, quam comitia Parlamentaria ſæpius, præſertim verò anno* 1662, *anno* 1672, *& initio ejus imperii* *, *illicitam eſſe pronunciaverint; tantumque,* inquiunt, *res iſta non ad rempub. ſolùm, verum Eccleſiam etiam pertinet, ut non ſolum non prudentiæ exiſtimationem, & dignitatem noſtram tueri, verum à rectâ etiam conſcientiâ diſcedere, videremur, ſi nobis authoribus ea per regnum promulgata eſſet.* Supplicem iſtum libellum venerandi Præſules, ſemotis omnibus arbitris, clanculum Regi tradiderunt; caverunt etiam ne quis rumor de iſto ab illis in vulgus emanaret. Haudquaquam tamen illud obſtitit quo minùs infenſus Rex, & ad omnes nunc occaſiones intentus, quibus optimatium ſuppliciis viam ſibi ad impotentem dominatum muniret, in factum illud, tanquam in maleficii aut proditionis crimen animadverteret. Octavo Iduum Junii † venerabiles antiſtites in

* Anno 1685.

† Junii 8. 1688.

arcis

arcis Londinenſis cuſtodiam includi juſſit. Poſt indignitatem iſtius facti plurimis perſpicacibus viris haud dubium erat quin Regi & Judicibus ſtatutum eſſet graviſſimum quod poſſent ſupplicium in Præſules conſtituere. Contra Proceres etenim regni, quorum privilegia ad Epiſcopos pertinere nemo inficiabitur, niſi ob *proditionis* aut *pacis violatæ* crimen *Corporis captione* non proceditur †. Quoniam itaque Eccleſiæ lumina proditorum ritu in cuſtodiam ita condidit, viri ſapientes dubio procul habebant, ipſum, ſi modo poſſit graviſſimâ proditionis pœnâ illos afficere voluiſſe. Petrei Jeſuitæ, qui Regis conſiliorum & conjurationum omnium particeps erat, inquinata & crudelia verba clarè nobis oſtendunt qualiter in eos ſævire decrevit. Ille etenim impuriſſimo ore Rabſchakis crudele dictum evomens dixit ‖, Epiſcopos *excrementa* ſua *comeſuros* *. Urebat Eccleſiam Anglicanam indigna iſta Epiſcoporum fortuna, & è Sectariis etiam ſaniores ægrè rem iſtam ferebant: illis perſuaſiſſimum erat, Regem haud ſincerâ fide agere decreviſſe, cum vidiſſent, ipſum, eodem tempore quo *Sectis* omnibus *declarationem* ſuâ libertatem conſcientiæ indulſiſſet, in Epiſcopos propterea ſæviiſſe, quòd declarationis iſtius promulgandæ, contra ſtimulos & vim conſcientiæ, authores eſſe noluiſſent. Alii alio etiam nomine immite Regis ingenium ob iſtam ſævitiam arguendum fuiſſe dicebant. Omnibus etenim, quibus notum erat quæ documenta fidei erga ipſum Epiſcopi pridem tradidere, quàm obſtinatè in illius obſequio duraverant, cum alii ſpem ſucceſſionis illi præripere modis omnibus nitebantur, dixerunt, delictum illud, ſi modò maleficium eſſet, ob ſingularia iſta officia, impune haberi debuiſſe. Credo

† Vid. Fitz. Herb. natur. brevium 247.

‖ 2 Regum c. 18. v. 27.

* Vid reſponſ. ad Epiſt. Clerici in Urbe. in tractat. polit. par. II. pag. 314.——

do equidem pro gratiâ odium ſæpius reddi cum in conciliandâ infenſorum gratiâ & promerendo amore, virorum ſtudium collocatur. Quæ etenim apud bonos principes vincula ſunt charitatis, nonnunquam apud infenſos irarum ſunt incitamenta. Id Regis noſtri ingenium fuiſſe omnibus in confeſſo erit, qui quam multa inſontibus periculoſa aggerebantur, & in quantum diſcrimen adducti fuerint, animis contemplabuntur, Decimo ſeptimo Calendar. Julii * Edvardus Haleſius eques Anglicanus, Arcis Londinenſis Cuſtos, per *breve* illud quod *Habeas Corpus* dicitur, Præſules Eccleſiæ in curiam adduxit, quæ *Bancus Regius* appellatur, ut Judices Regii de crimine illorum judicium facerent. Ibi Thomas Powiſius miles, Regis Advocatus iſte qui in foro Anglico *Attornatus Generalis* appellatur, *dedit curiæ intelligi & informari* (verba libelli ſunt) *quod prædicti* Epiſcopi inter ſe *conſuluerunt, & conſpiraverunt ad diminuendam Regis authoritatem, regalem prærogativam & poteſtatem, & regimen ejuſdem domini Regis, ac in proſecutione & in executione conſpirationis prædictæ, illicitè, malitioſè, ſeditioſè, & ſcandaloſè, quoddam falſum, fictum, pernicioſum, & ſeditioſum libellum in ſcriptis de eodem domino Rege, & Regali declaratione & ordine prædictis (prætextu petitionis) fabricaverunt, compoſuerunt, & ſcripſerunt, & fabricari, componi, & ſcribi cauſaverunt, & eundem in præſentiâ dicti domini Regis nunc vi & armis publicaverunt, & publicari cauſaverunt* †. Libellus iſte, gravioribus quam par erat, quoniam ſic forma poſtulat, verbis conceptus crimen Epiſcoporum complectebatur. Illud Advocatus ille, & poſt eum procurator Regius ‖, vir truci eloquentiâ, & promptus adverſus inſontes, quantum

* Junii die 15. 1688.

† Vid. libel. iſtum in judicio ſuper Epiſcopos habito, pag. 19, 20, &c.

‖ Gul. Williams, Miles, Solicitor. General.

quantum poterant, facundiâ ſuâ exaggerârunt. E contra Sawyerus, Finchius, Pembertonus, Levinus, Pollexfenus, Summerus, Trebeius, viri ornatiſſimi, & Legum Anglicarum pertiſſimi, cauſam Epiſcoporum tam forti ſimul & pereleganti facundiâ defenderunt, ut pœnâ & diſcrimine judiciorum innocentiam illorum liberarent. Oſtenderunt Regis *Declarationem* iſtam, quâ ſacrorum ſuorum copiam omnibus feciſſet, non illicitam ſolummodo, verùm impiam etiam fuiſſe; atque Epiſcopos morem ipſi gerere recuſantes, non debitum ſolummodo patriæ, & legibus regni, verùm Deo & religioni officium perſolviſſe. Sawyerus etenim imprimis clarè demonſtravit ex verbis declarationis iſtius, Regem per eam non legum tantummodo vincula ſolviſſe, quæ reformatæ noſtræ religionis munimenta ſunt, verùm illarum etiam omnium, quæ Chriſtianæ religionis ſanctimoniam tuentur & conſervant *. Atque Epiſcopi, inquiebat ille, religione officii obſtricti tenebantur contra Regis mandatum illud facere. Præterea enim quod cura Eccleſiæ in genere Epiſcopis ex officio ſuo mandata eſt, ſtatutum etiam regni primo Elizabethæ latum †, *Acti Uniformitatis*, atque alterius legis ſub nuperi Regis imperio latæ, in quâ clauſulæ omnes Statuti primo Elizabethæ conditi vim novam obtinuere, tutelam ipſis injunxit. Quàm religioſe vero Elizabethæ Statutum illud Epiſcopis præcepit, ut *Uniformitatis Actum* haud violari paterentur, ipſe in eadem oratione patefecit ‖. Mora eſſet ſi carptim breviterque argumenta perſtringerem, quibus viri clariſſimi & juris Anglicani conſultiſſimi, in maximâ celebritate, quæ in *curiâ Weſtmonaſterienſi* unquam ferme cernebatur, uſurpatam à Rege poteſtatem

* Vid. Judicium Epiſcopor. pag. 100.

† Vid. Stat. 1. Eliz. cap. 2.

‖ Ibid. pag. 101.

tem contra leges diſpenſandi refutarunt. Rem iſtam illi verborum ponderibus adeo perſpicuam fecerunt, ut non Regiis ſolummodo advocatis, verùm Judicibus etiam ora occluderent. Et tunc quidem primùm, aut ſecundò ſaltem poſt Jabobi Regis imperium innocentia de Regis libidine ampliſſimè & honeſtiſſimè triumphavit. Judices etenim præeunte duodecimviratus Judicio neceſſariò ducti Præſules venerabiles judicio abſolverunt. Abſolutionis ſententiam, cives, in exitum iſtius judicii tremulis & iratis cordibus intenti, læto & ingenti clamore exceperunt Vulgo fertur clamorem iſtum continuis & multiplicibus plauſibus ad *Nigram* (quam vocant) *Planitiem*; ubi exercitus ſtativa habuit ad decimum ab urbe lapidem penetraviſſe, militéſque Anglicanos vocibus iſtis non minus hilari plauſu reſpondiſſe, quam inimicorum bombis & inſultibus reſpondere ſolent. Urebat Regem inſperatum illud judicium, & ut publicæ juſtitiæ præfectos certiores faceret, ipſum in altiſſimo dignitatis gradu ideo eos collocâſſe ut rempub. pro nihilo haberent, ille ſtatim judicem unum * & alterum †, Judicum albo eraſit, quia Epiſcopos innocentes damnare noluerunt ‖.

* Powellum qui Epiſcopor. cauſæ valde æquus fuit.

† Qui in multis etiam æquus fuit.

‖ Vid. libel. memorial. pag. 2.—

Nemo, arbitror, inficiabitur, Regem noſtrum Præſules ita affligendo, ipſa quaſi fundamenta ſubruere, & florentiſſimæ Eccleſiæ ruinam, quantum in ipſo erat, accelerare navaſſe operam, quam Regis Angliæ officii & juramenti vinculo & religione, pro virili ſuffulcire & ſuſtinere tenentur. Huic rei illud quod inſecutum eſt mox fidem fecit. Poſtquam etenim ſupremi numinis clementia magnas accuſatorum minas magnamque Regis in iſto judicio expectationem eluſiſſet, tantùm abfuit ut devictorum ritu, à propoſito ſuo deterreretur, ut è contra iracundiâ affirmatiori in eo perſeveraret,

perſeveraret. Illico etenim * imperavit judicibus Eccleſiaſticis, quorum fidem minùs quàm aliorum ſuſpectam habebat, à vicariis generalibus paſſim per ſingulas diœceſes eam operam exigere, ut Clericorum omnium nomina in Acta referrent qui Regis *Declarationem* in Eccleſiis promulgare detrectâſſent. Ille omnibus qui ſe *Edicto* ejus non audientes præſtitiſſent, ſacrum munus abrogare decrevit, & niſi Populi Anglicani fortuna Principem Arauſionenſem ad litus noſtrum ſtatim appuliſſet, Eccleſiam ſane Anglicanam penitus eo pacto labefactâſſet. In unicâ etenim diœceſi Dunelmenſi ducenti ferme ſacri muneris uſu mulctati erant †. Et ſi aliis in locis ad exemplum illud in Clerum animadvertiſſet, haud minus quinque millia Clericorum integram & illibatam fidem ſuam erga Deum & patriam haud ſecus luiſſent, quam alii ſcelera apud mitiores principes luere ſolent ‖. Clerum noſtrum nemo propter detrectatum illud obſequium pervicacem cenſebit, qui, inter multa alia, hoc unum conſideraverit, quod ex ſtatutis, vel conſuetudinibus plerarúmque Eccleſiarum ſoleat ab omnibus earundem membris in primâ ſui admiſſione juramentum præſtari corporale, *Ut honorem, immunitates, libertates, & profcua Eccleſiæ ſuæ conſervare, & quoad vixerint commodum ejus procurare ſtudeant; nec quicquam libenter & ſcienter faciant, quod ei detrimento & præjudicio ſiet, &c* *. At video quàm ſupervacaneum ſit crimen illud à viris ſanctiſſimis ità deprecari, ſatis eſt excuſatione temporis uti; nemo etenim æqre poteſt illud ferre quod in ultimo rerum diſcrimine, cùm leges obrutæ jacerent, reformatæ noſtræ & Chriſtianæ religioni etiam-

* Julii 12.

† Vid. libel. memor. pag. 2.

‖ Vid. vindic. hujus imperii, pag. 22.

* Vid. Sanderſoni Judicium Oxonienſ. p. 18.

vis illata eſſet, viri optimi obſequium Deo & Patriæ debitum Regi denegarent. Rempublicam vero noſtram talia circumſtetiſſe pericula, ſatis credo. in hoc capite manifeſtum feci. Reſtant adhuc res aliæ in ſequenti capite in apertum proferendæ.

CAP. VII.

Complectens fraudem Senatoriæ authoritati & legiſlativæ poteſtati factam.

REges, qui leges diſſolvere patrias, qui populares ſuos fortunis omnibus evertere, & ſuperbiſſimum ſibi captare dominatum cum animis ſuis ſtatuunt, virtutis ſimulatione, & legum adminiculo, ſi modo id fieri poſſit, ad immodicum illud rerum faſtigium nituntur. Haud ignorant quàm in præcipitem aut libricum ſaltem locum ſe conjiciunt, qui, omni vi legum in ſe tranſlatâ, contra earum ſanctimoniam, in ſuos impotenter dominantur, & regno non tanquam procuratione à Deo creditâ, ſed prædâ potius ſibi oblatâ utuntur Quoniam itaque diuturnitatis imperii vim malam cuſtodem eſſe, & fundatam legibus rempublicam legibus facillime everti poſſe arbitrantur, ideoque legiſlatorum animos blanditiis aut largitionibus ſolicitare ſolent, ut res alioquin nefariæ eorum ſuffragatione licitæ & honeſtæ eſſe videantur. Rex noſter ad hujuſmodi dolos ſe convertit, atque ut impotentem dominatum ſuum contra ſeditionum omnium fluctus velut anchoris ſtabiliret, factas legibus noſtris injurias legum ſanctimoniâ contegere nitebatur. Gnarus etenim quam difficile eſſet ſubditos in officio retinere, quos per ſummam vim & injuriam libertate fraudâſſet, poſtquam legum ad noſtræ reipublicæ ſtabilimen

bilimen factarum, usurpatâ dispensandi potestate, vincula relaxâsset, in id maximopere studuit, ut Senatum cooptaret, qui non solùm leges priùs ab ipso relaxatas senatus-consulto penitus abrogaret, atque ita rerum ab illo contra leges gestarum invidiam extingueret, verum novis etiam statutis Anglorum libertatem libidini ejus gratificaretur. Ut hujus injuriæ atrocitatem, & insidias affabrè hoc pacto libertati nostræ factas lector nostrarum rerum imperitus perspecta habeat, de nostrâ legum ferendarum ratione ante omnia paucis admonendus est. Leges istæ, quarum ad præscripta respublica nostra gubernatur, non ex Principum placitis, verùm ex Comitiis Parlamentariis, *In quibus omnis Augustæ absolutæque potestatis vis posita est* *, authoritatem suam mutuantur. Comitia ista majores nostri, qui Anglorum Rempublicam condidere, ex tribus regni ordinibus constari voluerunt. Principem locum Rex obtinet, cujus suffragatio Animam & Colophonem quasi decretis addit. Proximus est Dynastarum trabeatorum ordo, quorum augustissima concio a majorum gentium Nobilibus, & Ecclesiæ Præsulibus coagmentatur. Tertius ordo est *Plebeiorum*, qui in Senaculo inferiori, sive *Communium domo*, ut vocatur, in quo maximarum rerum advocationes fiunt, libera suffragia ferunt. Inferius hoc senaculum, *Equites Provinciales* †, & Senatores *Municipales* ‖ componunt. Equites *provinciales*, quorum duo in singulis Angliæ provinciis, causas provinciarum procurant, à Nobilibus & Plebeiis designantur. Plebeios * voco, quos leges nostræ homines *legales* voce in formulis & inquisitionibus tritissimâ appellant, qui statim ut nascuntur

* Vid. Thom. Smithum de repub. Anglic. Lib I. c 2.

† *Knights of the Shire.*

‖ *Burgesses of Parliament.*

* *Frecholders.*

tur ingenui ſunt, quique ex fundis ſuis quotannis ſummam 40 ſolidorum ſterlingorum poſſunt erogare. Senatores municipales ſunt quibus oppida urbeſque ſingulæ, quæ antiquitus *Municipes* ad Parlamentum emittebant, Senatorium munus delegant. In comitiis hiſce Parlamentariis ſuprema poteſtas conſiſtit, quod ab illis geſtum eſt per utriuſque Senaculi calculum & Regis aſſenſum, principis & univerſi regni factum interpretamur: hos penes eſt veteres leges abolere, & novas condere; jus in regno ſuccedendi præſcribere; cenſum agere; capitationes & vectigalia inducere; delictorum gratiam facere; afflictas & majorum ſceleribus perditas familias erigere; vitæ neciſque poteſtatem in eos exercere quos ad hujuſmodi diſquiſitiones Princeps avocaverit; atque ut Thomæ Smithi nobilis Angli verbis concludam, quicquid in *Centuriatis Comitiis* aut in *Tribunitiis* populus Romanus efficere potuiſſet id omne in Comitiis Anglicanis, tanquam in cœtu principem populumque repræſentante, commode tranſigitur *. Ut auguſtiſſimi hujuſce ſenatûs decreta authoritatem apud populum obtineant, ratio politiæ Anglicanæ poſtulat ut *plebeiorum* delegati liberis provinciarum & municipiorum aſſenſionibus in Senatorum numerum cooptentur. Si quando verò rerum noſtrarum gubernatores contra conſuetudinem iſtam peccant, &, extortis per vim aut pretium populi ſuffragiis, aut aliâ quavis fraude adhibitâ, ſine pleno electorum omnium conſenſu viros in ſenatum legendos curant; tunc municipale vulgus, pronum ſemper ad ſuſpiciones, atque ipſimet Senatores, ordinem hunc prava electione Senatûs deformatum eſſe clamitant, neque, ſi modo metus abſit, legibus ab ipſis latis reverentiam deberi fatentur.

* Thom. Smith. de repub. Angl. lib. I. c. 2.

Longum eſt referre quàm multiplici inſidiarum ambage authoritas hujus ordinis à Rege noſtro afflicta erat.

erat. Tot ille machinationibus ſenatorum delectum in provinciarum & municipiorum conventu liberè fieri conſuetum invertere nitebatur. ut nemini non manifeſtò compertum eſſet, ipſum non orbis terræ ſanctiſſimum graviſſimumque concilium tantum, verum leges & libertatem Anglorum evertere ſtatuiſſe. Statuiſſe dixi? imo ex querelis quæ nunc prolaturus ſum, manifeſtum eſt ipſum politiam noſtram reipsà evertiſſe: quo pacto hoc factum erat pauciſſimis expediam.

Apud me quidem fidem illud obtinet quod ab authore ingenioſo ſcriptis traditum reperio, eam primariam & fundamentalem legem poſitivam eſſe in omni republicâ quæ legiſlativam poteſtatem ſancit *. Atque illud etiam ipſi valde aſſentior *poteſtatem legiſlativam immutari.*

* Vid. Diatrib. de orig. civilis regim. cujus author Lockius vir ingenioſiſſimus vulgo perhibetur, c. 11. p. 353.

Primò, cùm unus quiſpiam poſtulat, ut voluntas ſua pro lege habeatur quæ univerſitatis voluntatem complectitur.

Secundò, cum Princeps haud temporibus à lege ſtatutis conventus ſuos celebrandi legiſlatoribus copiam facit.

Tertiò, cum electoribus haud liberum relinquitur pro more & inſtituto majorum legiſlatorum delectum agere †.

† Vid. Diatrib. de civili regim. c. 19. p. 440.

Atqui ſi hæc ita ſe habeant tunc res omnibus confeſſa & manifeſta erit, Regem noſtrum pro virili, & quantum temporis anguſtiæ patiebantur, liberæ noſtræ reipublicæ formam in alienum ſtatum, & imperium plane tyrannicum convertiſſe. Ille etenim tribus hiſce rationibus vim politiæ Anglicanæ fecit.

Primò ex ſilentio legibus indicto palam eſt ipſum arbitrium ſuum pro lege habuiſſe.

Secundò etiam conſtat ſenatorum conventus non ab illo celebratos fuiſſe, prout forma politiæ noſtræ poſtulat. Erant ſtatuta ſub Imperio *Edvardi Tertii* lata *, quæ jubent ut comitia parlamentaria quotannis convocentur. Robertus Atkins vir nobilis, Regis ſifci Baro capitalis, rationem priùs à Chillingwortho ſubtili theologo notatam, iterandi ſæpius comitia parlamentaria reddit, *Ut ſi difficiliorem legis nodum expedire opus fuerit ad legiſlatorum ſententias facilis habeatur recurſus, & legum interpretatio penes ſit idoneos interpretes* †. Alter luculentus ſcriptor, & diligens rerum noſtrarum obſervator dicit, *politiam noſtram peſſime conſtitutam fore ſi ſoluta Principi eſſet eligendi optio utrum ſenatum vocaret necne* ‖. Majores noſtri qui longe futuros caſus proſpexerunt, ut periculum omne hujuſmodi à nobis amolirentur in ſingulos annos auguſtiſſimum illud concilium indixerunt. Jacobus Rex, qui omnia commoda, beneficia, jura, ſenatûs populique Anglicani poſt libidinem ſuam habuit, patrum noſtrorum conſulta & modum habendi ſenatûs invertit. Ille jampridem ſub fratris imperio à comitiis parlamentariis averſus deſtinendi ſenatûs author continuus erat. Et poſteaquam rerum potitus eſt, nunquam poſt primum imperii ſui annum clariſſimorum regni *Ordinum* conventui diem indixit. Conſilium illud à Petreio Jeſuitâ inter reliquos cepit, ille Regi hortator erat ut non antea ſenatum cogeret quam ſenatorum omnium ſtudia explorata haberet, veritus nimirum ne, ſi Regis expectationem ſemel deciperent, impoſſibile ipſi in poſterum eſſet ea perficere, quæ animo deſtinaverat. Inde eſt quod Rex & miniſtri ejus arti-

* Vid. 4 Edv. 3. cap. 14— 36 Edv. 3. c. 10.

† Vid Roberti Atkins examen poteſtat. diſpenſ. pag. 18.

‖ Vid Juſt. & modeſt. vindic. rerum à duob. parlam. geſtar. in tract. polit. par. I. pag. 165.

artificioſe operam dedere civium primores è ſtudio reipublicæ meretriciis quaſi artibus, & lenociniis ad partes ſuas trahere; ut quaſcunque vellent leges veteres irritas eſſe juberent, & novas inducerent. Ex hiſce dolis graviſſima in Regem querela naſcitur.

Nos iſtam proferentes tertiò demonſtrabimus, Regem noſtrum haud pro more & inſtituto majorum ſenatorum electoribus jus electionis liberum reliquiſſe.

Longum eſt particulatim referre quibus modis, quam illicitis quidem & Magnæ Britanniæ Rege prorſus indignis, in jura Anglorum involaverit, quæ ad ſenatorum delectus faciendos ſpectant.

Caput hujuſce conſilii quod in imperu iſto delendi noſtri imperii aſtruebat, erat vis municipiis noſtris illata. *Municipia*, quorum nunc mentionem neceſſariam facio, maximæ ſunt civitates & oppida Britanniæ in quibus fertilitas ſoli aut ſitus loci, aut alia commoditas aliqua utilitaſve communis majorem hominum frequentiam conciliavit. Oppida & municipia iſta ſunt collegia civium, quibus vetera diplomata, ſeu *chartæ*, ut vocantur, privilegiis multis ſeorſim à vagâ multitudine cumulaverint. Inter alia privilegia corporum hujuſmodi politicorum proprium eſt duos è municipibus ſuis, aut alios ſi fortè maluerint, in ſenatorum numerum referre; horum municipiorum delegati totum fermè ſenatum componunt, reliqua etenim membra non ultra quintam ſenatorum partem habenda ſunt. Regi noſtro difficillimum erat tantam virorum multitudinem pretio aut blanditiis in ſtudia ſua trahere. Illi verò nunc obſtinatum erat ſenatum in ſui obſequium flectere, atque illorum ope efficere ut Angli nunquam in poſterum ad aram legum, præſidiumque ſenatûs, publico conſilio confugerent. Quo pacto verò hoc effectum daret, cui tot ſenatores, tam præclara reipublicæ lumina iter ad inanem iſtam gloriam obſepere? methodum in promptu habuit, Gor-

dianum nimirum nodum cujus lora ſingula quærendo inveſtigare atque ita diſſuere nequiverat, Alexandri magni ad inſtar uno grandi ictu diſcindere ſtatuit. Ille municipia regni, quorum è collegio, haud ſecus quàm flumina è fontibus ſuis, ſenatores prodeunt, uno delere impetu, atque in illorum locum perditiſſimorum civium numerum ſelectum, & in illius verba juratorum, ſufficere decrevit. In hunc finem litem municipiis intendit per breve illud quod, vocabulo tribunalibus Anglicis notiſſimo, *Quo Warranto* dicitur. De judicum ſententiis hauquaquam dubitavit, qui ingenium, laborem, fidem ſuam ipſi promptam expoſitamque ſatis præbuerant. Illi Oxonium, & *ventam Belgarum* * claras antiquaſque civitates, & cum his *Totoneſium* † antiquum oppidum non aliâ ſanè ratione quàm quod Regis voluntati obſecundare, & delegatos in parlamentum mittere recuſârent, qui omnia voluptati ipſius gratificarentur municipiorum jure & privilegiis omnibus excidiſſe pronunciârunt ‖. Fecerunt illud in terrorem aliorum municipiorum, atque ut terror iſte latiùs ſerperet, miſit qui magiſtratus paſſim monerent, quantam invidiam atque offenſionem apud ipſum ſuſcepturi eſſent, ſi fori experiri aleam, & litem cum illo pro immunitatum chartis conteſtari vellent *. Quidam itaque municipes pretio corrupti aut pellecti dolis, alii minis pavefacti municipalia ſua jura, quæ per vim ipſum extorquere velle certò ſciebant, Regi ſubmiſerunt. Videbant quam obſtinatus in eo conſilio eſſet, atque veniebant in mentem ſuperioris temporis, cùm ſub Caroli Secundi imperio civitati Londinenſi immunitatum *charta*, & privilegia omnia, quæ à *Magnâ Chartâ*

* *Wincheſter.*

† *Totneſs.*

‖ Vid Libel. memor. pag 2.

* Vid. Libel. memor. pag. 3.

Chartâ Angliæ, *& jure communi* indulta mille per annos integra & illibata retinuerant, iniquiſſimo judicio abrepta erant. Dux Eboracenſis, cujus in nutu authoritas omnis reſidebat, perimendæ tunc Londinenſium libertatis primarius author erat *. Atque iſto facinore miniſtri ejus fraudibus proluſerunt quæ ſub imperio ejus maturitatem aſſecutæ ſunt, quibus nimirum effecit, ut pauciſſimis *corporibus politicis* vetus forma conſtaret, atque municipiorum & oppidorum res eò redactæ erant ut magiſtratus & officiales omnes ab arbitrio & voluntate ejus penderent †. Illud pridem, inquam, in vi privilegiis Londinenſium factâ propoſitum habuit, & cùm in mediis tunc civium lamentis comes Shaftsburienſis atque alii, qui poſt fraudem iſtam de Anglorum libertate conclamatum fuiſſe putabant ‖, de conſervandâ repub. conſilium cepiſſent, in conjurationem, quæ *fanatica* vulgo audit, incidiſſe arguebantur; Rex lætitiam inde exortam apertè tulit, & dixit ſe gaudium ex iſtâ conjuratione propterea cepiſſe quod illa in cauſâ fuerit quod plurimæ civitates & politica corpora jura ſua municipalia ipſi in manus tradidiſſent *.

* Vid. Recenſion. animadverſionum factar. in declarat. principis Auriaci inter 18 chart. Doctor. Burnetii, p. 137.

† Vid. Libel. memor. pag. 3.

‖ Vid. Epiſc. Roffenſ. hiſtor. conjurationis, p. 8, 9, 31.

* Vid. Epiſc. Roffenſ. hiſtor. conjurat. pag. 164, 165.

Diſſolutis municipiis, quod meticuloſi legum antiſtites Regi gratum fecere, ne illorum ritu qui *Chartam Londinenſem* judicio condemnare aſpernebantur, judicum albo ſtatim eraderentur; proximè ſuperfuit ut in locum priorum *municipum*, qui parere reipublicæ utilitatibus quàm Regis ſervire ambitioni maluerant, viros ſufficerent, qui ſalutem communem poſt ejus libidinem habituri eſſent. In

In hunc finem Regi & intimioribus ejus ministris visum est nova *municipalium* Collegia instaurare, in ea, tanquam in novas civitates viros ascribere, qui, quodcunque Regis tempus poscaret, libenter facerent. Beneficium quod à senatu in se præcipuè conferri voluit tale erat, quale nulli nisi qui patriæ charitatem omnem abjecissent concedere dignarentur. Postulavit nimirum ut rescinderent *pœnale statutum* vicesimo quinto * *Caroli Secundi*, & legem *scrutinii* sive examinis † tricesimo regni ejusdem anno ‖ latum, quorum illud militiæ & rei civilis munia, hoc verò senatorium munus, illis præcipue interdixit, quos Anglicanum imperium perpetuâ libertate & gloriâ clarum unius libidini gratificaturos, legum nostrarum latores perspexerant. Abrogatis legibus istis, haud difficile erat Regi præter domesticos servitutis procuratores Gallicorum & Hibernicorum militum delectum agere, quibus, ad evertendas Anglorum fortunas sociis uteretur. Illum etiam penes erat, cum quibuscunque vellet supremæ nobilitatis dignationem partiri, & post legis * abrogationem, quæ in extremo rerum discrimine in præsidium reipublicæ lata erat, suffragiis illorum ad libertatem nostram perimendam in procerum senaculo uti.

* Anno 1673.
† *Test Law.*
‖ Anno 1678.

* Legis scrutinii 30°. Caroli Secundi latæ.

In municipiis itaque instaurandis quorum è gremio senatorii ordines prodituri essent, aut è suffragiis saltem penderent Regi & Consultoribus ejus curæ erat neminem conscribere nisi cui religiosum esset voluntati Regis in omnibus obsequi. Quò melius id efficerent, *prætores* & *vicecomites* †, quorum studium & favor in senatoribus eligendis plurimum pollet, nonnullis opidis imposuere, quos statuta regni muniorum

† *Sheriffs.*

muniorum reipub. exortes fecere *. Atque ut municipia ad officium illud faciliori negotio traheret *contra ſuperiorum temporum exempla atque inſtituta omnia ſenatorum electiones intra parvum quendam & præfinitum numerum concluſerunt.* Præter fraudem iſtam legibus noſtris factam in ſodalitiis municipalibus innovandis haud deſuere inſidiatoribus doli alii degeneres, quibus in ſalutarium legum abolitionem allicere & excitare Anglorum ſtudia nitebantur. Rex ipſe primores Anglorum in conclave ſuum clàm ab arbitris omnibus vocatos, circumire & prenſare, & non orare ſolùm precariam opem, ſed pro debità petere occepit. Illos omnes vanâ ſpe lactavit, & quicunque ad abolendas leges fidem ipſi obſtrinxere, his honores, his provincias obtulit: hi amicitiâ ejus, hic judicio floruere. Fidem *Eirenarcharum* & aliorum officialium in hac re per promiſſa & colloquia tentavit. Præſides etiam provinciarum mandata à Rege exceperunt, ut viros Primores ubique convocarent, ipſoſque cogerent vel promiſſorum illecebris delinitos, vel minis & terroribus exanimatos Regis potentiæ libertatem ſuam gratificari. Præter artificia iſta, aliud erat injuriæ malis coarguendum; Rex etenim noſter non multò antequàm rerum habenas reliquit, cum conſilia ejus maturitatem prope aſſecuta eſſent novos & inauditos antea legatos per totam Angliam emiſit erubeſcendis quidem mandatis inſtructos. Illud ipſis munus injunctum erat ut *electores* paſſim ſpe largitionum palpantes, aut metu territantes, ſenatum cooptare ſubigerent, qui promitterent ac ſponderent ſe in Regis gratiam pœnales omnes leges antiquare voluiſſe in quarum incolumitate ſalus reipublicæ unice fermè nitebatur †.

* Vid. Diſquiſit. in modum obſequii in 2. chartar. collect.

† Vid. Libel. memor. pag. 4.

Super-

Supervacaneum eſt arbitror clariora oppreſſi ſenatûs, & contra libertatem noſtram cœptæ ſimul & auctæ conjurationis indicia patefacere. Ut rei iſtu fides & veritas manifeſtior conſtaret, regia majeſtas, quarto Calendar. Maii *, edicto in populum ſecundâ vice miſſo proclamavit omnibus, ſe nemini honorem aut munus aliquod publicum accumulaturum, niſi qui conſiliis ejus adeſſet, & viris ad ſenatum ſuffragaretur, qui rebus glorioſe ab illo cœptis exitum quem ipſe optaret, imponere vellet. Huic declarationi res ab illo geſtas conſonare dicit, in eo quod plurimos à ſummo, quem in militiâ aut re civili obtinuiſſent, dignitatis gradu proptera amoviſſet †. Res mehercule ita ſe habuit, ſicuti etenim plurimos, qui priùs neque in honore erant hominum, nec in ore famæ, non aliâ ratione feſtinatis honoribus amplificavit, quàm quòd in pœnalibus legibus reſcindendis, ſingulare ſtudium ipſi pollicerentur: ita viros antiquiſſimæ ſtirpis, quique provincias bene regendo generis claritatem virtute ſuperàrunt, cùm clanculum id officii ipſi renuntiâſſent, de gradu dejecit quem in repub. obtinuerunt. Nec maxima in regiam familiam merita quicquam profecerunt ad redimendam culpam & iram Regis leniendam. Ità nimirum comitem Oxonienſem, qui generis antiquitate in iſto nobilium ordine claſſem conſeſſione ducit, à ſatrapiâ, quam vir honore ſuo & republicâ digniſſimus in Icenorum ‖ gentem obtinuit, ideo dimovit, quod cum reliquis mancipiis regiam fovere amentiam & pœnales leges abdicare recuſaſſet *. Brucius Caſtri Caledony †, & Carneroſius Glaſcuenſis Epiſcopus viri exempli rectiſſimi,

* April. 27. 1688.

† Vid. Libel. memor. pag. 4.

‖ *Lord Lieutenant of* Eſſex.

* Vid. Hiſtor. abdicat. pag. 24.

† *Dunkel.*

simi, Episcopatus suos in Scotiâ quos Lauderdaliæ Ducis iniquitas à Regis arbitrio pendere fecit, propter splendidum illud crimen amiserant. Sed quid singulos consector & colligo? longum esset omnium memorare nomina qui munia sua in repub. perdiderunt, postquam tentatâ fide ipsorum per colloquia & promissa à Conclavi Regis non exorati recesserunt *. Haud mirum sane est præclaram istam obstinationem in tuendis legibus, reipub. nostræ haud dubiis munimentis, Angligenis calamitatem importâsse, cum eadem in causâ fuerit quod Rex noster in exteros Principes jactaverit minas, & pericula intenderit. Tunc etenim temporis Petrei Jesuitæ sententia erat mittendos ad Hagam fuisse qui ex propinquo alloquio *Arausionis* Principum animos tentarent. Cum illi in eandem, quam boni omnes, sententiam locuti sunt, se de tollendis legibus cum Rege consentire noluisse, pervulgatum est omnibus quantopere tunc fremuerit Rex, & iram minacem in nobiles *Principes* evomuerit. Quorsum hæc conamina? nempe ut Rex pro libitu suo imperaret, atque ut fundata legibus respublica legibus everteretur. Ego caput hoc scriptoris ingeniosi verbis concludam, qui dicit Regem Jacobum jampridem, antequam rerum potitus est, dixisse, *Se maluisse uno die Gallici Regis* ad instar liberum & absolutum dominatum, quàm, fratris † sui ritu, impeditum & constrictum legibus imperium toto seculo obtinere.

* Vid. vindic. hujus imperii, pag. 28. Et disquisit. de modo obsequii in 2 Chartar. Collect.

† Caroli Secundi.

Atque inde, inquit, evenit, quòd, cùm Principem Auriacum & tori ejus consortem circumire & prensare, & ad pœnales leges abolendas pellicere nitebatur hoc argumento usus est, quod, si illud effectum darent, prærogativam & authoritatem regi-

am

|| Vid. repræſent. periculor. Mag. Brit. imminent. in tractat. polit. par. II. pag. 397.

am magnopere amplificarent ||.

Ex his videre eſt regem non alio conſilio, quàm ut impotenter dominaret, leges, ad tuendam noſtram omnium ſalutem latas abrogatum iviſſe, & variis modis ſenatum ad illud ſolicitare operam navâſſe. Reliqua hujuſce fraudis indicia in ſequenti capite patefacta erunt.

CAP. VIII.

Carptim perſtringens alias Anglorum querelas.

IN rebus apertiſſimis nimis forem longus ſi res omnes contra leges patratas, & machinationes, quibus *Rex Britanniæ* ad ſuum unius nutum omnia revocare conatus fuerit, ſigillatim memorarem. Quibuſdam incœptis, quæ omnium ferme in ore ſunt, velum obducere, & tramittere illa ſilentio par erit, ne nimia Regiæ Majeſtati invidia confletur.

Ego huic cauſæ & officio noſtro ſatis impræſentiarum mihi facturus videor, ſi, malevolentiâ & livore procul, pluribus exemplis, & indiciis clariſſimis oſtendero, Regem noſtrum, haud ferendæ nobis ambitionis manifeſtum, leges, quæ cupiditates omnium libidineſque moderari debent, pro nihilo habuiſſe; & tam ſine ullo temperamento poteſtatem fortunamque ingentem moderatum fuiſſe, ut nobis impoſſibile eſſet fortunas noſtras ſub illius imperio à ſervitutis calamitate incolumes retinere. Plurima ſunt quæ nobis clariorem adhuc hujuſce rei fidem faciunt.

Primò non aliud oppreſſi per vim Senatûs, & everſarum legum apertius indicium eſſe poteſt, quàm ſi Rex

Rex nullo jure aut legum authoritate, pecuniam è civitatibus in ærarium ſuum coegerit. Solis etenim *Ordinibus* regni pecuniæ imperandæ, quibus legum ferendarum, poteſtas permiſſa eſt. Rex autem noſter cenſum & patrimonium *Populi Anglicani* rapiendo regni ſui auſpicia polluebat. Laudat *Ammianus* Julianum quod *ſub eo æquata fiſci jurgia cum privatis eſſent.* Et dicit Trajano Plinius, *Vetuiſti exigi quod deberi non tuo ſeculo cœperat.* Rex vero Jacobus ſtatim poſt fratris mortem, antequam ipſe inauguraretur, publicanorum miniſterio exigebat, quæ non niſi durante *Caroli Secundi* vitâ ſenatus-conſulto Regi concedebantur *. In eo commiſſo tantopere contra jura civium peccatum erat, ut Regis *Miniſtri*, qui argentarias iſtas coactiones factitabant, bonorum omnium confiſcatione multari deberent †. Neſcio quæ gravior injuria aut libidinis immodicæ majus exemplum à Rege in cives conſtitui poterat. Sub illo etenim Principe quid ſanctum, quid integrum & inviolabile ſperandum erat qui in Subditorum fortunas contra legis præſcriptum involavit?

* Vid. vindic. hujus imperii, pag. 41, 42.

† Vid. Rober. Atkins diſquiſit. de poteſtat. diſpenſ. pag. 57.

Aliud legum everſarum & de introducenda ſervitute initi conſilii clarum illud indicium videtur, cum Rex ſubditos ſuos, ſine imperio & authoritate legum, juramentorum quorundam religione ſolus obſtrinxerit, atque aliorum ipſis gratiam fecerit. Juramenta etenim, ſocietatis humanæ fortiſſima vincula, haud ſecus quam leges publicæ vim ſuam à Senatûs authoritate mutuantur. Horum itaque nexibus ſiquis alios oneraverit, liberaverit alios, perinde facit ac ſi ferendarum & abrogandarum legum poteſtatem ſolus uſurparet ‖. Notum ex omnibus qualiter

‖ Vid. vindic. hujus imperii, pag. 3.

Rex

Rex noſter in hac parte peccaverit. Ille noviſſimo & inaudito prius exemplo, contra legis præſcriptum Scotos Sacramento obligavit, *Ut ſummam authoritatem & abſolutam poteſtatem*, ipſi & hæredibus ejus, *contra vim omnium mortalium propugnarent* *. Hàc juramentorum exactione, quod *Staffordiæ* olim *Comiti*, inter alia, capitale erat, vix aliud gravius piaculum contra legem & rempub. committi poteſt. Rex autem noſter *juramenti fidelitatis*, *primatûs Regii*, & *teſtimonialium ſacramentorum* †, quæ in præſidium reipub. à Senatu injuncta erant, vim omnem etiam diſſolvit, & publicavit omnibus, *Scotos haud religione eorum amplius fore obligatos* ‖. Quorſum hoc, niſi, quemadmodum ſuperiùs animadverſum eſt, ut ſublato juramentorum terriculo, è domeſticis *perduellibus*, & exteris Anglici nominis hoſtibus, exercitum conſcriberet, qui ſe cœptorum ejus ſocios in omnibus præſtarent.

* Vid repræſentat. periculor. nobis imminent. in tract. polit. par. II. pag. 400.— Et animadverſ. in Regis declarat. Febr. 12. 168⅘ in Doctoris Burnetii chart. 18. pag. 16.

† *Teſt Oaths.*

‖ Vid. repræſent. periculor. nobis imminent. ubi ſupra, p. 402.

Sicut autem juramentorum abolitio, ita *pactorum* & datorum *communi ſaluti promiſſorum* violatio, inter querelas civium & certa deſignatæ nobis ſervitutis ſigna numeranda eſt. Reges etenim, qui omnia ad immortalitatem memoriæ glorioſa auſpicari geſtiunt, haud temere committunt, ut fraudis & perfidiæ labe apud genus humanum notentur. Si quando igitur *Charetis pollicitationes*, verbis nimirum ſpecioſas, re inanes & ſubdolas, & quarum fidem mox fallere decreverunt, populo venditent, manifeſtum eſt eos fraudes inſigniores & mala ſervitutis civibus in eo caſu moliri. Tiberius, qui *nullam ex virtutibus ſuis æqua*

æ

& diſſimulationem amavit *, fidem huic rei magnopere firmavit; Initio imperii præclarum ſe moderationis exemplum præſtitit. *Nomen Patris patriæ à populo ſæpius ingeſtum repudiavit* †. Et *talem ſe præbuit, qualem Principes optimi haud imitari dedignarentur* ‖. Promiſitque *ſimilem ſe ſui ſemper futurum: nec unquam mutaturum mores ſuos quamdiu mentis ſanæ fuiſſet.* Haud dubium, arbitror, illis erat, qui vitam ejus & importunam poſtea crudelitatem perſpexere, quæ inſidiæ in iſtâ moderationis & virtutis ſimulatione laterent: grandibus nempe promiſſis ideo cives oneravit, ut eò facilius ſervile jugum credulis mox imponeret. Simili artificio Jacobus Rex gentem Anglorum luſit; cum primum etenim regnum adivit, eâdem nempe horâ qua Carolus Secundus frater ejus, è vitâ migravit, vocatis Proceribus qui Regi erant à *Sanctioribus Conciliis*, Eccleſiæ Anglicanæ optimam & ſpectatiſſimam in Regem fidem laudibus coram illis extulit: leges Angliæ tales fuiſſe dixit, quarum adminiculo Rex ampliſſimum, quod optaret, gloriæ faſtigium obtinere poſſet: Sanctiſſimè itaque promiſit ſe legibus aut Eccleſiæ nullam unquam injuriam illaturum, nec in privati cujuſpiam fortunas unquam invaſurum ‖. Fraudem in iſtis blanditiis populo innexam cernere haud difficile erat; eò nimirum ſpectabant, ut Angli, Regis pollicitationibus inflati, in verborum ejus fide requieſcerent, atque ipſe eos promiſſis & vanâ ſpe lactatos injuriis in poſterum opportunos haberet. Continua iſta malorum ſeries quibus clientelam ſuam vexavit, dolum in eâ, atque alia † blandiſſimâ mox oratione

* Tacit.

† Tacit. Annal. lib. 1.

‖ Vid. multa præclara de eo apud Suetonium in vitâ Tiberii.

* Vid. Regis Orat. tunc temporis habitum in quadrien. Jacobi.

† In Comitiis Parlamentſe Maii anno 1685.

Anglorum libertati ſtructum, mihi apertè indicare videtur. Cum hæc igitur ita ſe haberent, atque Rex noſter eo ſimulandi artificio imbutus fuerit, quibus moribus haud bene cum titulo iſto *Fidei Defenſore* convenit, peſſima & graviſſima quæque ſub illius imperio, ſi modo diutinum fuiſſet, nobis metuenda erant. Princeps etenim, qui populum non aliâ de causâ promiſſis ingentibus onerat, quam ut fidem promiſſorum mox fallere poſſit, graviſſimorum maleficiorum ſuis in iſtâ fraude deſignatorum meritò ſuſpectus eſſe debet. Auxit inſuper iſtam ſuſpicionem conſcriptus exercitus, & armorum nimia in Rege fiducia; haud ignoravit Rex noſter malum diuturnitatis cuſtodem eſſe metum, & fidiſſimam Principis cuſtodiam eſſe ipſius innocentiam; hanc arcem inacceſſam, hoc inexpugnabile munimentum munimento non egere: ipſum fruſtra ſe terrore ſuccingere qui ſeptus charitate non fuerit. Si ambitione itaque vacuus ad rempub. acceſſiſſet,& prout optimum Principem decebat, non aliud ſibi præter commodum & ſalutem ſuorum in imperio ſuo propoſitum habuiſſet, non à robore militum, verùm civium benevolentiâ præſidium ſibi petiiſſet. Ille verò in ſummâ pace poſt Ducis Monumethenſis calamitatem, cùm nullum ſibi à quovis periculum immineret, imminuendas jam potius militum copias non tantùm contra Senatûs voluntatem auxit *, verum ut civibus terrorem incuteret, exercitum in caſtris continuit †: atque eò uſque militum libido iniquitaſque pervaſit, ut, ante Principis Auriaci adventum, cives de inſolentiâ eorum graves ubique querimonias excitarent ‖. At neque permiſſam militibus, pro licentiâ temporis, effrænam libertatem, neque auctiorem illorum numerum populus

* Vid. Orat. ejus in Comitiis Parlam. Octob. 9. 1685.

† Apud Hunſlo-heath anno 1686, 1687.

‖ Vid. Hiſtor. Deſertionis, p. 7.

populus Anglicanus tam ægris aſpexiſſet oculis, niſi conſcriptorum etiam militum genus inviſum animos illorum graviter incendiſſet: Ille etenim non ſolum contra legis præſcriptum, mediâ in pace, copias militares auxit, verùm, quod certiſſimum conjurationis & deſignatæ nobis ſervitutis indicium erat, cohortes Anglicas de legionibus Hibernicis ſupplevit. Et cum vir fortiſſimus Johannes Beaumontius, Tribunus militum atque alii militiæ Præfecti, imperii Anglicani & legum reverentiam haud exuere dignati Hibernicorum ſupplementum à cohorte iſtâ rejeciſſent, quam illi propriis ſumptibus pridem, durante Monumethenſis impetûs ardore, in Regis præſidium conſcripſerant, notum eſt omnibus qualiter illi confeſtim in jus caſtrenſe abrepti fuerint. Et quidem probabile eſt ipſos, propterea quod Hibernicos à militiâ aſpernati fuiſſent patibulis vitam finire coactos fore, niſi Princeps Auriacus tempore non illis ſolùm verum nobis omnibus opportuno, in Angliam appuliſſet *.

* Vid. Hiſt Abdic p 7.

Sed quoniam in Hibernicorum mentionem hic caſu inciderim, graviſſimæ injuriæ, quarum exinde in memoriam redeo, & in quibus inſtar ferme omnium querelarum erat, inter reliquas populi querimonias memorandæ mihi videntur. Si Jacobus Rex nihil in Angliâ contra civium libertatem & publica commoda peccaſſet, res tamen in Hibernià geſtæ, & collata in devictam, in infidam, & rebellem gentem beneficia ſatis erant quæ populum Anglicanum de Regis conſiliis certos facerent. Ut injuriæ hujus atrocitas clarè lectori noteſcat res in *Hibernià* geſtæ perquam breviter perſtringendæ ſunt.

Hiberniam opimam & fertilem inſulam, ubertate agrorum, magnitudine paſtionis, & copiâ earum rerum quæ exportantur multis Europæ regnis excellentem, Angli, lapſis jam pluſquam quingentis annis,

imperante Henrico Secundo, devictam bello ſub imperium ditionemque ſuam redegere. Profuit Hibernicis belli calamitas, nec, ſi ſuis proſpexiſſent commodis Anglorum inquietare victoriam, aut jugum illorum excutere operam unquam navaſſent. Angli etenim immanem olim & barbaram gentem, omnium bonarum artium pœnè rudem, in tuguriis ſine legibus habitantem, aut palantem ſine certis ſedibus, & continuis lanienis cædibuſque ſe mutuo, ferarum ritu, conficientem, agrorum cultum edocuere. Communitati hominum leges, privatis familiis convictûs lautioris atque ædificiorum uſum tradidere. Non mediocre inſuper illud ipſis emolumentum erat, quod Anglorum communionem nacti, quibuſcum legibus & muniis reipublicæ ex æquo fruebantur, non ſolum commercium utilius cum aliis miſcere gentibus, verum fundos etiam, antea in alendis clientibus conſumptos, infructuoſa prædia convertere didicere.

Nihil vero ingens iſte beneficiorum cumulus ex Anglorum conſortio lucrifactus agreſte hominum genus ad gratitudinem commovit. Inſitum eſt illis maximâ ex parte erga Britannicos odium, & quandocunque inſoleſcere incipiunt, nihil inſultatione illorum eſt intolerantius, nihil crudelius; nullum miſericordiæ relinquunt locum, nec illos imbecillitas ſexûs, aut ætatis innocentia reprimere ſolent. Simultatis illorum in Anglos id magno ſatis argumento eſſe debet, quod quidam cum rapinis omnia complèrunt, armenta Anglorum, ex inveterato Anglici nominis odio, telis transfixerunt. Odium illud in causâ etiam fuit, quòd, imperante Elizabethâ, nobiles Hibernicæ ſtirpis, non, niſi inviti, nec, ſine magno faſtidio, eandem cum Proceribus Anglicis trabeam & purpuram in Comitiis Parlamentariis induere dignati fuerint. Et non ſolùm Indigenæ Hibernici infenſo iſto atque inimico animo ire in Anglos ſolent, verùm Anglico etiam ſtemmate

ſtemmate orti, qui pridem ad Hibernienſes ſicarios domandos & extinguendas rebellionum faces ex Angliâ miſſi erant, partim connubio ſociante, partim vitæ conſortio alliciente prælongâ conſuetudine commercioque primævæ originis obliti, in gentilitios mores veſtitu, animo, & corpore tranſierunt.

Dictu incredibile eſt quot rebelliones viri in pace nunquam fidi, quique timent bella, ſed tamen provocant, poſt primum Anglorum adventum in Hiberniam, contra populum Anglicanum concitarunt. Partæ de illis innumeræ victoriæ tot fortium virorum ſanguine, tamque grandi auri argentique pondere ſteterunt, ut ſumma Anglorum clementia, qui per tot ſecula tam gravem & infructuoſam militiam geſſere, quique ſubactos ſæpiùs Hibernos nondum durioribus conditionibus & ſatis firmâ pace devinxerunt, peregrinis gentibus ſtuporem injecerit. Hibernicorum innumeræ conjurationes, qui pacem *Angligenis*, captis, necatis, diſſipatis, fame, morbo, ferro, vaſtitate conſumptis, ſæpius eripuere; quique multis victoriis erant tam diu & triumphis pacati, in cauſâ fuere quod olim ſub *Henrici Septimi* imperio *comitia Parlamentaria* latâ lege jubebant ut omnes *perduellionis* manifeſti haberentur, qui authores erant *Hibernicis* ut ſeditiones contra Anglos concitarent *. Exinde etiam evenit quod vir nobilis † pridem *Proregis* Hiberniæ ampliſſimo honore decoratus, inter cætera mandata illud etiam excepit, ut diligenter exquireret quinam ex Anglis, quibus coloniæ in Hibernia aſſignatæ erant, contra pactorum fidem, fundos Hibernicis colonis locaverant ‖. Qui turbulentas ſeditionum tempeſtates ſæpe ſæpius ab Hibernicis conflatas, atque aſſiduitatem & diligentiam, quibus majores noſtri

* Statut. Henr. Septimi cap. 13.

† *Thomas Lord Burrough.*

‖ Vid. Coxii hiſtor. Hiberniæ vol. I. 413.

ſtri impiis eorum conatibus, vi legum & armorum, obviam ſemper ivere, in animo ſecum conſideraverit, haud opinabitur Jacobum Regem eâ, quam mox memoraturus ſum, benevolentiâ Hibernicos complecti voluiſſe, niſi certò ſciſſet ipſos fore miniſtros cupiditatum ejus in iis cœptis quibus iter ad infinitum imperium moliebatur. Sine tali conſilio cur perfidæ devictæque gentis libidini omnia gratificaretur qui præ malevolentiâ & Anglorum invidiâ, ut ipſi compertum erat, Hiberniam, Anglicâ ditione jampridem ſubactam Principibus exteris ultro obtulerunt *, & quibus, tanquam primariis authoribus, patris ejus præmatura mors vitio erat vertenda †? Communis conjuratorum opinio eſt, Galliarum Regi, qui ſummum Europæ imperium jampridem ſitivit, Hiberniæ regnum prius occupandum eſſe, quam abſolutum maris dominium obtinere poſſit ‖. An credibile itaque eſt, quod Hibernici, fida Galli mancipia, à Rege noſtro licentiam cupiditatum ſuarum, atque ipſum regnum obtinerent, niſi inter noſtrum & Galliarum Regem pacto conveniſſet, ut noſtram omnium libertatem everterent? facile quidem erat clara conſilii hujuſce veſtigia odorari ſingulis in rebus ab ipſo in Hibernia geſtis. Per totum etenim imperii curriculum, à ſuperiorum omnium Regum ſtudiis diſcrepans, niſi qui Hibernicorum ope Anglorum libertatem everſum ibant, ita ex eorum ſententiâ omnia gerebat planè quaſi regnum, quod jure belli majores ejus potiebantur, devictis eâ conditione traditurus eſſet, ut ad arma ſecum venirent quandocunque ad debellandos populares ſuos vires illorum deſideraret.

* Vid. Vindic. Hiberno-Anglic. pag. 35.

† Vid. Increm. Papiſm. in. tract. polit. par I. pag. 73.

‖ Vid. Imperator. & imper. prodit. pag. 78.

Quale conſilium ſtrueret imprimis indicio fuit vir ille

ille cui rerum ſummam in Hibernia tradidit. Nemini non notum eſt *Richardi Talbotti* nomen de effrænatâ iſtâ audaciâ quâ vir moribus inquies, & à *Jacobo Rege* ad perdendam noſtram gentem velut fataliter electus, in gentem Angligenam perbacchatus eſt, nihil ſatis dici poteſt. Ille quaſi contra gentem Anglorum naturale odium gereret, in primâ adoleſcentiâ *Hibernicis* ſe ſocium præbuit in ſcelerato iſto bello, quod, lapſis jam plus quam quinquaginta annis, contra Hiberno-Anglos à perfida rebellione & inauditis lanienis auſpicati ſunt. Ille etiam, Ducis Eboracenſis conſiliis omnibus ſemper intimus, in conjuratione pridem contra libertatem Anglorum inita, primarum partium adeò manifeſtò erat ut comitia parlamentaria ſupplice libello Regem orarent non ſolum ut *Talbottum* muniis omnibus, quibus fruebatur, ſtatim orbaret, verum ut Regis etiam *edicto* aditus ipſi in *Albam Aulam* intercluderetur *. Non tamen populi Anglicani gravis iſta offenſio Regi obſtitit quo minùs in ſinum ejus omnia congereret. Paulò etenim poſt quàm rerum potitus eſt, ipſum, *comitis Tyrconnelliæ* honore decoratum, exercitui Hibernico imperatorem dedit †, idque non aliâ de cauſa quàm ut exercitui veteri ſtipendiis, fidei in Regem & modeſtiæ militaris ſervantiſſimo, & nullius perfidiæ comperto, miſſionem daret; atque illorum loco ex argaſtulis paſſim & aratris legiones *Hibernigenis* ſuppleret, quorum ſtudia expectationi ejus haud defore non ignoravit. Novus imperator, ut viros ad hanc rem idoneos conſcriberet, mirâ celeritate milites Anglicos recinxit ac veſtibus militaribus nudos demiſit, planè quaſi violato in Principem jurejurando, ac manibus civili & imperatorio ſanguine pollutis proditâque fide,

* Vid. Relat. rerum in ſenatu geſtar. in tract. polit. par. I. pag. 32.

† Menſe Decembr. anno 1685.

cuſtodiaque, non exauctorari ſolùm, verum capite etiam pœnas dare meriti eſſent. At non gregarios ſolùm milites injurioſe ita tractavit, verum optimates etiam militiæ, & in iis nonnullos qui paulo antè ſtrenuè pro Rege contra *Ducem Monumethenſem* pugnaverant *, honoribus militaribus ſpoliavit, planè quaſi palmæ & trophæa in rebus contra hoſtem geſtis inter ſcelera eſſent. Non multò poſt idem *Tyrconnelliæ Comes*, ut poteſtate auctior par deſtinatis incœptis redderetur, in *ſanctius concilium* cooptabatur †. Mox ut omnes auctoritatis numeros obtineret, utque omnia patrare potis eſſet ad Angligenarum fortunas evertendas, *Clarendoniæ Comite* domum ab Hibernià revocato, Rex *Proregis* ipſum honore affecit, ex illo tempore quo *cuſtodem ovium*, ut aiunt, *lupum* nacti fuimus, res Anglorum in *Hiberniâ* in pejorem indies ſtatum vergebant. Deinceps etenim haud cautè & pedetentim, verum furenti & violento impetu immania ſua cœpta maturavit. Milites Anglicos catervatim nunc citra commoda emeritorum præmiorum exauctoravit. Atque inde factum eſt quod plurimi ampliſſimis familiis nati, qui bona patria in munia militaria erogaverant in ſummam paupertatem fuere redacti. Horum in locum *ſicarios* iſtos Hibernicos, aut progeniem illorum ſuffecit, qui multo Britannorum ſanguine innocuo *Juvernam* olim infecerant, quique propter inexpiabile illud ſcelus patrimoniis jure optimo ſpoliati erant.

* Vid. Vindic. hujus imperii, pag. 15.

† Febr. 15. 1686.

Phylarchæ nunc haud in minora ſcelera intenti ergaſtula ubique armant, adcurritur ab univerſis, & carcere effracto ſolvunt vincula, & obæratos clienteſque & rerum capitalium damnatos ſibi miſcent. Quo impurior quiſpiam erat & ſceleribus notior eò promptius in ſubitarium exercitum ſcribebatur. *Brennani* ſicarii

ſicarii perditiſſimi, qui ſaltus & itenera frequentioribus latrociniis diu infeſta habuere, qui perfractis ædibus familias ditiſſimas expilaverant, quique cædes etiam perpetraverant, inter *primores* in militiam cooptati erant. Sed quid unicam hanc latronum *familiam* memorem cum in unâ *cohorte* viginti infeſti ſicarii ad minimum ſupra gregariorum militum fortunam evehebantur.

Erubuit mavors, averſaque riſit Enyo
Dedecus Anglorum.

Novitas hujuſce rei terrorem Angligenis omnibus, admirationem nemini movit. Cum viri etenim in ſcelus conjurati bonorum omnium fortunis & legibus inſidias moliuntur, haud mirum eſt ſi partem viliſſimam hominum, qui legibus & virtuti nuncium remiſere, cœptorum ſibi ſocios aſciſcant. Ut Regi ſuorum libertati inſidias ſtruenti neceſſarium erat hujuſmodi auxilia ſibi comparare, ita conſcriptus novus exercitus & ſubitarius iſtiuſmodi delectus inſidiarum certiſſimum mihi indicium eſſe videtur. Rem iſtam ſi nihil aliud at Comitis Tyrconnellenſis verba perſpicuam nobis faciunt. Ille, poſtquàm ad Hibernicorum voluntatem exercitum reformaſſet, Angliam aditurus ut *Jacobum* Regem apud *Ceſtriam* conveniret, hac oratione *ſanctiores* quoſdam *conſiliarios* & militiæ primores excepit. *Ego gladium vobis in manus tradidi quem ſi vobis eripi unquam patiemini, precor ut vos cacodæmon ſempiternis cruciatibus agat* *.

* Vid. Vindic. Hiberno-Anglor. pag. 35.

Prorex iſte noſter non novos ſolummodo Duces militiæ, verum *judices* etiam tribunalibus impoſuit. Quemadmodum etenim, cum rempublicam rectè adminiſtraturus eſt, *Imperatorem*, ut Juſtinianus ait, *non ſolum armis decoratum, ſed etiam legibus oportet eſſe armatum*,

matum, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte gubernare poſſit *: ita cum rerum gubernacula ſoluturus eſt ipſum oportet non rei tantùm militari, verùm civili etiam politiæ vim inferre. Inde eſt, quod viri libertati noſtræ inſidiantes, *Alexandrum Fittonum* virum haud legum peritum, criminis *falſarii* non in Weſtmonaſterienſi & Ceſtrienſi foro tantùm, verùm coram proceribus etiam Regni in *comitiis Parlamentariis* convictum, è *carcere* ſcelerum vindice, in ampliſſimam *ſummi Cancellarii* Hiberniæ dignitatem evexerunt. Eadem de causâ, *utque ſimiles haberent labra lactucas*, *Staffordum*, virum legum noſtrarum & literarum rudem; & *Felicium O Neale*, patre natum † qui in ſuperiori rebellione ‖ Britannorum cædibus infamis erat, Cancellariæ magiſtros fecere. Simili ſtudio *Thomam Nugentium* capitalem Juſtitiarium regio impoſuere tribunali *. Pater ejus propter *perduellionis* crimen, & conflatum contra gentem Anglorum iniquiſſimum bellum patrimonio & honoribus ſpoliatus erat: illius itaque filium, primarium, poſt *Cancellarium*, publicæ juſtitiæ fecere præfectum, quoniam haud ignorabant ipſum Angligenarum perniciali odio flagrantem peſſima quæque in illos conſulturum. Eâdem de cauſâ *Brianum O Neale* virum inter juriſperitos nullius pretii, cujuſque virus in Anglos caput commendationis erat, aſſeſſorem *Nugentio* in eodem tribunali conſtituere. Propter eandem rationem *Stephano Ricio* primarii *Quæſtoris* †, & *Richardo Naglio Procuratoris Regii* ‖ honos tradebatur. Illis inſigne Britannici nominis odium tantam inter populares ſuos

* Vid. Juſtin. inſtit. proœmium de confirmat. inſtitut.

† Turlaco O Neale.

‖ Anno 1641.

* Banco regio ut dicitur.

† *Lord Chief Baron.*

‖ *Attorney General.*

ſuos exiſtimationem peperit, ut in omnium opinione idonei eſſent qui ad evertendas Anglorum fortunas Principes eligerentur. Non illi Hibernicorum expectationem fefellere, illorum libidini omnia fecere grata, atque illis primariò tribuendum eſt, quod Britannorum fortunæ legibus everterentur. Eorum etenim artificio omnia regni *municipia*, ad quæ ſenatorum eligendorum jus pertinet, penitus convulſa erant, atque ſoli Hibernici novi *municipes* creabantur. Inde factum eſt quod legum ferendarum poteſtas eos ſolos penes eſſet, atque Angli fortunis omnibus, per multa ſecula jure belli aut emptione comparatis, iniquiſſimâ lege ſpoliati eſſent.

Mora eſſet ſi illorum omnium nomina memorarem quibus ſumma regni officia eâ potiſſimum de causâ communicata erant, quòd capitali odio ab Anglis diſſiderent. Et quidem voluminis hujuſce moles ſupra modum creſceret ſi atrociora facinora ab iis contra Hiberno-Anglos patrata leviter tantummodo attingerem. Poſtquam etenim ab aratris paſſim & ergaſtulis accerſebantur, quos viri primores in ſubitarium exercitum ſcripſere, non pecuniâ publicâ, non commeatu præparato, ſed ex populatione agrorum rapto in diem frumento, & bonis Anglorum militem aluere. Fides, credo, apud peregrinos me deficeret, ſi furta, rapinas, & omnia doli genera ſigillatim memorarem quibus Anglorum tunc fortunas vexabant. Non ſolum viri primores, citra legis præſcriptum, in domos & hæreditates Anglorum irruerunt; neque milites novi tantùm pro libitu invaſerunt in illorum opes tanquam jure belli captas, verùm reliqua etiam paganorum turba latè populati Anglorum armenta prædas multi domum egerunt. Infanda iſta rapina non in locis deſertioribus tantummodo verum per omnia regni viſcera graſſabantur. Eò uſque vis iſtius pervaſit ut incolæ Britannici per rus amœniſſimum à frequentioribus

ribus oppidis parùm remotius vix uſpiam reperiendi eſſent. Siqui verò reliquis paulò animoſiores in ruri ſe continere auderent, *ficariorum* impetus, pecoribus & reliquis omnibus ad victum & valetudinem neceſſariis ablatis, nihil ipſis præter calamitatem reliquit. *Anglorum* populationem iſtam, cui ſimilem non alibi terrarum poſt natos homines accidiſſe arbitror, *mobile vulgus* ex *primorum* conſilio patrâſſe, *Nugentii* capitalis Hiberniæ Juſtitiarii verba nos certiores faciunt: ille etenim direptionem iſtam & fœdam vaſtitatem in agros Hiberno-Anglorum inductam, tanquam facinus glorioſum, & ſine quo *Hibernicos* votorum potentes fieri nequiviſſe dixit, ſummis laudibus evexit & *Corcagiæ*, in *comitiis provincialibus* *, omnes iſtas prædationes *mala neceſſaria* vocavit †: Ferendum quidem aliquatenus eſſet immanitas iſta, ſi ſoli milites Hibernici noviſſime conſcripti & jam contagione quadam rapto gaudentes, tempore quo nihil inſtituto ac diſciplinâ militari gerebatur, omnia rapinis compleviſſent. Serpebat latiùs malum iſtud poſt Regis adventum in Hiberniam. Helluones etenim, quibus nulla charibdis eſt voracior, tunc, quaſi novi Ducis adventu, novâ inſolentiâ elevati circumjecta vagi populabantur. Et quod noſtrarum miſeriarum molem & cumulum auxit, Rex peſſimi exempli facinora, libidine militum ac plebis licentia patrata patienter inſpexit: & quoniam, ut Nugentius dicebat, ea *mala neceſſaria* eſſent, nihil eorum correxit, neque graſſatores ad jus vocabat. Hoc quidem nemini mirum eſſe debet, cum eadem eſſent Regis quæ Hibernicorum conſilia; atque ærarium regium, haud minùs quam direptorum tuguria, ſpoliarium eſſet civium, & conquæſitarum rapinâ prædarum receptaculum. Anglorum in Hiberniâ vexationem Regi cordi fuiſſe, ſi nihil aliud, nefarium illud Senatuſconſultum abundè

* *Aſſizes.*

† Vid. Vindic. Hiberno-Anglor. pag. 127.

bundè teſtatur quo Anglos *bonæ fidei* poſſeſſores patrimoniis ſpoliavit, eaque Hibernicis *perduellionis* manifeſtis poſſidenda tradidit. Quid hoc ſibi velit, ut lectori noteſcat, res geſta pauciſſimis referenda eſt. Hibernicorum gens, ut ſuperiùs innui, præter varias conjurationes ante patrum noſtrorum memoriam initas, lapſis jam plus quam quinquaginta annis *, truculentam rebellionem excitarunt.

* Anno 1641.

In occultâ iſtâ inſurrectione Hibernienſes ſicarii plus quam centum & quinquaginta millia Britannicæ ſtirpis in brevi ſpatio improviſâ & inopinatâ cæde peremerunt. Tandem poſt aliquot annos, & varia præliorum diſcrimina Angli ſuperiores extitere. Quemadmodum itaque jus Cæſareum rebellium hæreditates non ipſis ſolùm, verùm hæredibus, etiam abripi, & in regium fiſcum deportari præcipit, idque ne bonorum patriorum ope penes ſit filios patres ulciſci: ita Angli victoriam in ſubditos rebelles adepti Hibernicos *perduellionis* plane convictos hæreditatibus ſpoliârunt, eaſque proprias fecere militum Anglicorum, qui pro miſeris Hiberno-Anglis capitis adiere pericula, atque aliorum divitum Anglorum, qui in ſumptus belli atque incertam ejus aleam pecunias erogaverant. Fundorum iſtorum poſſeſſionem perpetuam Senatus Hibernicus duobus ſtatutis validiſſimis victoribus Anglis confirmavit. Quamprimum verò Hibernici, ſubverſis ſub Jacobo Rege antiquis municipiis, & mutato rerum ſtatu, Parlamentaria habuere *comitia*, legem rogavere, quâ, pulſis Angligenis, paternas iterum poſſeſſiones recuperarent. Fruſtraneum erat in eo Senatu, quem *Tyrconnellenſis* comitis induſtria, ex veteribus *poſſeſſoribus*, aut eorum filiis aut conſanguineis totum ferme conſtare fecit, in contrariam partem aliquid afferre, atque *rogationi* iſti oppugnatum ire. Epiſcopus nihilominus Midenſis, venerabilis iſte

Præſul,

Præſul, cujus nomen ſuos inter Hiberno-Anglos diu celebrabitur, comptâ & miti pro more ſuo, forti tamen oratione Regi è regione in ſenaculo ſedenti audaciter oſtendit, ipſum non contra privatam juſtitiam tantùm, verum *bonum* etiam *publicum*, & ſuum ipſius commodum peccaturum, ſi, prioribus legibus abrogatis, latâ novâ lege committeret, ut Hibernici in Anglorum poſſeſſiones irruerent *. Non tamen ſanctiſſimi viri & aliorum quorundam orationes quod debuere, pondus apud Regem habebant. Ille etenim non ſtatuta tantùm ſub fratris ejus imperio, poſt quinque annorum maturam deliberationem lata, verùm aliud etiam ſub patris ejus regno conditum, in Hibernicorum gratiam reſcidit; atque perduellium natis paternos fundos in tanti temporis curriculo ſæpius à pluribus emptos iterum injurioſe reſtituit. Hoc ſtatuto atque alio iſto quo non ſolum fœminis, verùm infantulis etiam, à lanienæ Hibernienſis periculo in Angliam abreptis fortunæ omnes abjudicatæ erant; neſcio an crudelior aliqua & injuſtior lex, poſt natos homines, ſancita fuerit. Singula quæ paſſi ſumus, neque ego exſequi poſſim nec lectori operæ eſt audire, communiter omnia complectar. Nemo domum ullam Hiberno-Anglis, nego quemquam hominem expertem injuriæ fuiſſe, niſi qui Hibernicorum partes fovebant: nego ullum genus ſceleris, libidinis, avaritiæ, ſuperfuiſſe, quod in ullo, qui pati potuerit, prætermiſſum fuerit. Omnia, quæ captæ urbes patiuntur, paſſi ſumus. Epiſcopus Derenſis (ut vulgo fertur) vir propter impenſam curam animarum, gentis Britannicæ ſtudium, & in reformandâ Chriſti Eccleſiâ zelum fervidiſſimum, encomiis omnibus digniſſimus, querimonias Hiberno-Anglorum, reſque contra illos in Hibernià geſtas libro grandiuſculo

* Vid. Epiſc. Midenſ. Orat. iſtam in vindic. Hiberno-Anglor. pag. 389.

grandiuſculo complexus eſt. Librum iſtum ſermone Anglico conſcriptum, quem neſcio quis famoſus libellio fruſtrà refutare conatus eſt, ſiquis perlegerit, fabricatas libertati noſtræ inſidias clarè perſpiciet. Inter Regem & Hibernicos etenim, quemadmodum ille refert & vulgò notum eſt, pacto conveniebat, *Ut amiſſa per rebellionem patrimonia Rex ipſis in integrum reſtitueret, ipſi vero fida regis mancipia eſſent, & cupiditati ejus in omnibus ſervirent* *.

* Hiberno-Angl. vindic. pag. 34.

Poſt mentionem rerum in Hibernia geſtarum ſupervacaneum eſt recenſere fraudes alias contra leges & ſalutem Anglorum factas. Ego, niſi ſcriptis compendium facere magnopere ſtuderem, plurima alia indicia & veſtigia ſervitutis nobis deſignatæ in rebus ab inſidiatoribus geſtis plane inveſtigare poſſem. Res atrociores de quibus uno ferme ore conſentiunt qui Jacobo Regi adverſantur, ſilentio ex induſtriâ prætermiſi, ne nimiam Regi calamitoſo invidiam conflarem: nullæ etiam privatis illatæ injuriæ, niſi quæ ad reipublicæ interitum ſpectârunt, apud me querelam habent; illi etenim perpetuis ſeditionibus materiam mihi conflare videntur qui res omnes à Regibus geſtas ad leges & inſtituta regni ſemper exigunt. Satis mihi viſum eſt prima conſiliorum & inſidiarum elenchum aperire quibus dolorum artifices libertatem noſtram everſum ibant. Nullus etenim dubitavi quin *Ordines* Angliæ rerum contra Regem in extremo reipublicæ tempore geſtarum æquum apud lectorem veniam invenirent ſi multis clariſſimis indiciis oſtenderem, Regem obſtinâſſe animo convellere politiam noſtram, & miſerrimam ſervitutem in Angliam invehere. Id omnia à Rege geſta adeo fecere perſpicuum, ut populo Anglicano libertatis ſub imperio ejus retinendæ non minima quidem ſpes effulſerit. Ille contra ſuorum ſtudia cum Gallo Societatem inivit ut illius amicitia

amicitiâ & auxilio fretus vexaret clientelam ſuam & quamcunque vellet vim legibus inferret. Eadem de causâ contra ſuperiorum temporum & exterarum gentium exempla *Hibernicos* rerum in Hibernià potentes fecit. *Tyrconnelliæ* etenim Comes fidem Regi obſtrinxerat, ſe quadraginta millia militum in Angliam miſſurum qui omnia voluntati ejus grata facerent, ſi modo, deturbatis Anglis, munia reipublicæ & rerum ſummam penes Hibernicos eſſe permitteret. Eadem de causâ, ut ſuperius retuli, cepit diutinum conſilium Batavorum reipublicæ diruendæ, ut, quandocunque nos injuriis omnibus opportunos eſſet habiturus, nulla gens eſſet quæ fortunam noſtram miſeraretur. Præter clariſſima hæc deſignatæ nobis ſervitutis indicia ex iis quæ in ore atque oculis omnium geſta fuere, palàm eſt omnibus nos, ante *Arauſionenſis* exſcenſum, nullam fermè rempublicam reliquam habuiſſe. Iſtane etenim reſpublica habenda eſt in quâ, indicto legibus ſilentio, arbitrium principis pro lege habetur? Sub Jacobo Rege ita ſe res noſtræ habuere: ille legum omnium vincula relaxandi jus ſibimet uſurpavit, & juris Antiſtites qui licentiam iſtam ipſi abjudicarunt, è judicum albo ſtatim eraſit. In edicto in *Scotiam* miſſo de *Regiâ Prærogativâ* & *abſolutâ poteſtate*, ſtilo Regibus Angliæ non anteà uſurpato, mentionem fecit, dixitque plane ſe *legibus non obſtantibus* voluntati ſuæ obſecundare velle. Quid hoc aliud eſt quàm legibus nuntium remittere atque ità plane politiæ formam invertere? hoc quandocunque fit de jure & poteſtate regiâ actum eſſe quis inficiabitur? cum poteſtati inſuper legiſlativæ ratio invertitur inverti omnia, nihil civibus integrum mihi relinqui videtur. Omnia quæ in hoc genere committi poterant à Rege noſtro fuere patrata; factarum ad reipublicæ ſalutem vincula legum diſſolvit, quod perinde erat ac ſi ſolus leges ſanxiſſet; populo Anglicano

cano non eam quam leges jubent, *Comitiorum Parlamentariorum* copiam fecit, &, quod graviſſimas in Anglià tragœdias excitavit, involavit in jura *Municipiorum* & *Senatorum* electoribus liberam ita ſuffragiorum poteſtatem ademit. Neſcio quodnam jus ſub illius imperio ſanctum nobis atque integrum manſit. Projecta erat Senatûs authoritas; Jeſuita *Sanctioris Concilii*, & quidem reipublicæ gubernacula tenuit; res & *conſultos* religionis inimicorum inſolentia injuriis omnibus affecit; militares copiæ, contra legis præceptum, & quidem ex illorum numero conſcribebantur, qui militare ſacramentum detrectarunt; munia reipublicæ viris tradebantur quos leges regni ab honoribus iſtis aſpernatæ ſunt; juſtitiæ tribunalibus iſti judices ſoli præficiebantur qui muniorum reipub. exortes erant, aut qui in Principis verba per fas nefaſque jurabant. Quid ſingula conſector? hæc atque alia hujuſmodi proluſere tantùm gravioribus iſtis malis, quæ, eversà Batavorum republicà & Regis noſtri conſiliis ad maturitatem ita perductis, mox à nobis ferenda erant, cum miſeram ſervire ſervitutem neceſſe haberemus.

Ut res ità novatæ manerent conſtanter in ſtatu ſuo, & nobis recuperandæ libertatis ſpes nulla relinqueretur, inſidiarum Architecti aliam fraudem excogitarunt. Nemo rerum adeo eſt imperitus, qui non primo intuitu videat, nihil à viris contra noſtram & Europæ libertatem conjuratis tunc utilius fieri potuiſſe, quam ſi populo Anglicano & Univerſis Europæ gentibus penitus perſuaderent Reginam maſculam prolem peperiſſe. Sine tali commento inſidiarum omnium & futuri temporis exitus incertos fore haud ignorabant. Videbant etenim poſt *Jacobi* fatum *Mariam* filiam ejus, quam Princeps Auriacus matrimonio tenuit, heroinam in quâ omnia ſumma erant,

regnum jure ſucceſſionis adituram. Jeſuitæ etiam clare perſpiciebant, in eo caſu *Principem Auriacum*, virum imperatoriis omnibus virtutibus inſtructiſſimum & Gallici Regis infeſtiſſimum hoſtem, ſtatim viribus omnibus elaboraturum, ut Galli nervos incideret & labefactaret omnia, quæ Jacobus Rex in ipſorum & Galli favorem contra populi Anglicani & Europæ libertatem, patrâſſet. Ut exteri Principes igitur, *Arauſionenſis* imperio in Anglos deſperato, deſponderent animos, ſeque in Galli ditionem permitterent; utque viri Eccleſiæ Anglicanæ imperia detrectantes & cives *omnibus ſcenis ſervientes*, dubiâ mente inter incertos adhuc eventus labantes, in regias partes lubentes deſcenderent; Jeſuitæ *ſuppoſititio* Cambriæ Principe, ex ſuo ipſorum cerebro prognato, *Principi Auriacæ* ſpem ſucceſſionis præreptum ivere. Facinus iſtud, quod Jeſuitæ non aliâ de cauſâ excogitârunt, quam ut cœpta ſua neſanda ſtabilirent, ut inter Anglorum querelas meritò recenſendum eſt, ita Principi Auriaco maximum incitamentum erat expeditionem in Angliam faciendi. Hujuſmodi facinoribus & rebus à Jacobo Rege poſt Arauſionis exſcenſum patratis quæ mox inſecuta eſt rerum mutatio tribuenda eſt. Jeſuitæ linguis veneno ſuffuſis ſummopere conati ſunt ut res iſta probro & crimini eſſet populo Anglicano. Contrarium mox innoteſcet, & videbit lector haud ſacrilegas civium manus ſacroſanctum diadema temporibus Regis diripuiſſe, verùm ipſummet ſponte ſuâ, aut ſaltem non coactum regnum deſeruiſſe. Ille etenim poſtquam aciem in *planitiem Sarisburienſem* poſt *Arauſionenſis* exſcenſum, eduxerat, prælii committendi ſpe depoſitâ, & *Senatum*, cujus decreta toties luſerat, convocare abnuens, fugam in Galliarum regnum non aliâ de causâ capeſſivit quàm quia ſperavit, illo abſente, cives mutuis diſcordiis rempublicam laceraturos,

ipſum-

ipſumque in eo caſu anſam obtenturum domum redeundi ad ſedandos civium tumultus, & in ſuos pro libitu ſæviendi. Spem vero Regis populus fefellit, illi *extremo* rerum diſcrimine ſubacti præfecerunt regno *Arauſionis* Principem, unicum ruentis Angliæ, & pœne dixerim Europæ, ſubſidium. Qualiter hoc geſtum fuerit in ſequenti libello fuſe memoraturus ſum.

Finis Prioris Libri.

Liber Secundus.

CAP. I.

In quo Anglorum facinus in accerſendo Principe Auriaco continetur.

QUis rerum Populi Anglicani fuerit ſtatus quamquè atrocibus injuriis ſubacti capeſſendæ libertatis conſilium ceperint, dilucidè cuipiam innoteſcet, qui priorem libellum æquo animo perlegerit. Memoriæ etenim ibi proditum eſt, idque, ut ſpero, ſine ullâ ſimultatis vel gratiæ ſuſpicione, in quæ diſcrimina, res Anglorum, à viris contra fas patriæ, & libertatem avitam conjuratis, adductæ fuere; dum inſcia veræ majeſtatis ambitio, animum Regis incendit, altiúsque ad faſtigium evexit, quàm vel publica ſalus, vel æquabile imperii noſtri temperamentum ferret. Gravia quidem, & penè dixerim infinita mala, popularis invidiæ & furoris irritamenta, latè per omnia Britannicæ ditionis regna graſſabantur, priuſquam afflictis rebus & morienti libertati ſuppetias orare animos induxerint. Viderunt omnia humana divinaque jura conculcata, & Regem ad impotentem dominatum aſpirantem. Nullus apud illos legum honos manſit, nulla reverentia æquitatis publicæ, nulla religio promiſſorum

pro imperii & religionis incolumitate populo datorum. Monarcha noſter ſatis gloriæ ſuæ litatum iri exiſtimavit, *ſi* * *ſuperbum dominum* Europæ imponendi Author eſſet; ſi vexare Gentem & Clientelam ſuam; ſi de legibus ſubditiſque triumphos agere poſſet. Ea erat populi calamitas ante expeditionem Belgicam, ſerpebat in inſulis noſtris intolerabile malum, idque latiùs, graveſcentibus indies injuriis, manabat: nullus erat locus querendi apud Senatum, nullus invocandi leges, quarum auxilia vi, ambitu, & judicum perfidiâ turbata, prorſus invalida erant. Nulla mali facies deerat, nullus ordo metu & periculo vacuus, poſtquam viderunt regni Primores, nec cohortationes nec preces ſuas exaudiri, neque aliud ſubſidium miſeris, intra regnorum viſcera, quam miſericordiam Principis fuiſſe.

* Galliarum Regem.

Tunc igitur optimus quiſque curâ reipublicæ mœrebat, nec amplius ignaviâ, & torpore vetere ceſſaverunt, neque terror & metus, & miſera illa ex periculis non ita pridem facta prudentia amplius monebat, ut à republicâ (erat autem ferme nulla reſpublica) oculos, aures, animos averterent.

Poſt cladem Ducis Monmuthenſis.

In tot igitur tantiſque rerum anguſtiis optimates regni, ſummi diſcriminis non incurioſi, opportunum ingruentibus malis remedium expoſcebant; & viſum eſt tandem omnia clam conſilia circumſpectantibus, ad Principem Arauſionenſem, virum militari peritiâ virtuteque clarum, & funeſto quondam in bello Batavorum reipublicæ Statorem, confugere, & illius ſuppetias orare.

Hoc capite rerum ſeriem mihi propoſitum eſt exponere, à primis molitionibus, ad illud uſque tempus, quo non ſine gemitu maris & ventorum labore,

re, *Belgica classis Arausionis* Principem litori Britannico incolumem dedit.

Primò, rerum novarum studii deferuntur Angli, atque illud omnium insequentium cœptorum auspicium illis vitio vertitur, quod contrà morem obsequii vim meditantes, exteros in caput salutemque Regis concitaverint, quale sit illud populi factum summâ, quâ potero, fide, hic referam, de atrocitate facinoris penes lectorem judicium mox esto.

In extremâ rerum Britannicarum calamitate, quam superius recensui, Angligenæ, legum beneficio, & verâ administratione regiâ fraudati, concidisse rempublicam, & conclamatum de Angliâ putantes, in *Principis Auriaci* sinum, unicum in urgentibus malis Asylum, & ruentis imperii columen, confugerunt, codicillos ad illum exararunt, pericula & querelas Anglorum commemorantes. Supplices istos libellos, quibus demissis precibus auxilia Principem orabant, composuere non vitâ probrosi & infamiâ operti, non homines humanitatis & vitæ communis expertes, non alienarum fortunarum helluones, non qui bona patria manu aut ventre laceraverant, atque ideo quæstus spem in turbato rerum statu haberent: verum (ut Princeps ipse in edicto suo, causam profectionis in Angliam complectenti, propalavit) *multi ex Ecclesiæ Præsulibus, è majorum gentium nobilibus, & civibus melioris notæ opem illius invocarunt.*

Fatemur itaque Principem Auriacum, populo exoratum, in Angliam cum militari manu venisse. At quorsum accersitus est? non ad abrogandum Regi imperium, sed ad compescendam indomitam illius licentiam, ad restaurandas leges, Regemque ad ordinem redigendum. Quæ omnia ex supplici Anglorum libello, innotescent.

Arausionensium igitur Princeps, calamitatibus

Anglorum & querelis motus, certior etiam factus, Jeſuitas ſuppoſititio Principe *Walliæ*, Sereniſſimæ *Mariæ*, tori ejus conſortis, ſuumque ipſius hæreditarium in regno jus, eluſum iviſſe, tot facibus admotis tantæ cauſæ non amplius indormivit, aurem ſupplicibus Anglis facilem præbuit, tandemque vir triumphalibus majoribus oriundus, & ipſe etiam bellicis laudibus innutritus, miſeris decrevit ſuccurrere, & venire in Angliam, candidatus non regni, ſed immortalitatis & gloriæ, & exempli quod ſequerentur boni principes, mali mirarentur. Communicato itaque cum pauciſſimis intimiori conſilio, Ordinibus fœderatis (ut nos accepimus) palam fecit, ſe præclarum facinus, quodque è commodo reipublicæ foret, animo concipere, dari ergo ſibi claſſem, copiaſque militares, ad cœptum illud auſpicandum, poſtulavit. Batavi, rerum utilium ſagaces, & ſuis ſemper invigilantes commodis, votis Principis annuerunt. Summâ ſtatim, quâ poſſunt, induſtriâ & feſtinatione, adornant claſſem, exercitum conſcribunt, commeatus atque omnium generum *impedimenta* bellica conquirunt. Tenebat vicinas gentes & vulgus Batavorum opinio (quæ quidem vera erat) idque ſedulò in illos ſparſum eſt, tantos apparatus ideo fieri, ut ſubveniatur Clementi Bavario, in *Colonienſem Electoratum* cooptato, quem Galliarum Rex tanto faſtigio prohibiturus erat ut in illius locum *Furſtemburgi* Cardinalem ſuis infidum, & Gallo turpiter addictum, ſufficeret. Hoc modo Principis Arauſionenſis conſilium, cujus auſpicia ſilentium ſemper commendare dicitur, omnes fefellit, donec tandem *Comiti d'Avaux* Legato Gallico pluſquam ſuſpectum eſſe cœpit. Vir ille erat rerum Belgicarum peritiſſimus, utpote qui Legati illic diu & *Delegati* etiam munere in *Tractatu* Neomagenſi diu fungebatur; gnarus ille quæ pericula appa-

apparatus Belgici Galliarum Regi intentarent, *memorialem libellum* * fœderatis Ordinibus ad Hagam exhibuit, quo palàm illud Orbi Christiano factum erat, quod quibusdam antea in dubio erat, clandestinum nempe fœdus Europæ mox exitiale futurum, inter Britanniæ Galliarúmque Reges ictum fuisse, id expressis illius verbis liquidò constat. *Plurimæ*, inquit, *sunt rationes, quæ Domino meo fidem faciunt, arma vestra in Angliam intendi: quapropter Regia majestas in mandatis mihi dedit ut vobis commemorarem, eas inter illum & Magnæ Britanniæ Regem amicitiarum fœderumque necessitudines intercedere quæ subigant illum, non opem tantùm ferre, verum & primam vim, à cohortibus aut classe vestrâ, Regi Britannico illatam, pro violatæ pacis, & rupti cum illo fœderis crimine habere.* In consultore hoc an callido consilio dictum fuerit illis in dubio erit, qui nôrunt *Galliarum* Regem, non uberiorem gloriæ segetem, posteriori hoc seculo, è Regum nostrorum amicitiâ, quam ex Anglorum & Regum mutuis simultatibus, sibi quæsivisse.

* Memor. libellus, Sept. 9. 1688.

Eodem tempore Marchio Albæ Viliæ, Regis Britannici ad Hagam ablegatus extraordinarius, memoriali etiam codicillo fœderatis ordinibus dato, *à Domino Rege sibi præceptum fuisse dixit, consiliorum rationem exposcere, quibus tantos terrâ marique bellorum apparatus, non sine Europæ stupore adornarent, idque incommodâ tempestate, vergente jam ad hyemem anno, quo tempore militares copiæ ad hiberna se recipere consuescunt.* Illi sine verborum ambagibus respondérunt, SE ARMA *sumendo Britannicæ Regis & aliorum Principum exempla secutos. Se id agentes tempore, quo à reliquis omnibus principibus ad arma sit conclamatum, nullam offensionibus causam dedisse: se fœderis à Domino illius & Gallo initi, ea-*

Juſque mentionem Legatus Gallicus fecit, jam pridem fuiſſe monitos.

Ex hoc reſponſo primùm pro comperto habuere omnes Belgarum molitiones eò tendere, ut Anglorum Rempublicam à Jacobi Regis injuriis, & ingruente ſervitute vindicarent. Illos liberatores dedignatus eſt olim Germanicus. Neque enim *dii ſinant*, inquiebat ille, *ut Belgarum quanquam offerentium decus iſtud & claritudo ſit, ſubveniſſe Romano nomini compreſſiſſe Germaniæ populos.* Talis vero non erat Anglorum faſtus, nec pudebat nobilem gentem auxilium orare, quod immitis Regis dominatio neceſſarium fecit. Reddidit Anglis grata Batavorum reſpublica humanitatis officium, quod in ſuperioris belli procellâ, Senatus Anglicanus, in illis, contra vim potentiſſimorum Regum, conſervandis, exhibuit. Hoc inſuper cœpto, ſuis rebus, æquè ac ſaluti Anglorum provide conſuluerunt. Ingens quippe in illos bellum † inſtruebat Rex Britanniæ, cohortes, quos ſub fœderis religione illorum Reipublicæ tutelæ debuit, domum revocavit. Varia ſtruebantur crimina, & pro more veteri, frivola bellorum prætexta, & diſſidii cauſæ in vulgus ſerebantur, vitio illis vertebatur nimia in *Ducem Monmuthenſem*, & *Argatheliæ Comitem* humanitas: Mercatorum querelæ deferebantur, eratque Muſilipitanum ‖ nunc quod Surinamum olim —— Ad hæc Britanniæ & Galliarum Regibus, pro fœdere inito, ſtatutum erat, Batavorum rempublicam diruere, omnemque ſpem ſucceſſionis in Regno Angliæ, Principibus Auriacis præripere. His malis ut occurrerent, & Anglorum querelis adeſſent, non vincendi Re-

* Tacit. Annal. lib. 1. Sect. 43.

† Conſt. rediviv. pag. 110. & Epiſt. Jeſuitæ Leodic.

‖ *i. e.* belli prætextum.

Regem illumque ſolio dejiciendi ſtudio incenſi adornari copias, Princeps Arauſionis & fœderati † ordines ſcriptis à ſe vulgatis declararunt.

† Vid. declar. Princ. Arauſ & Reſolut. fœder. Ordin. die Jovis Octob. 28. 1688.

Interea temporis, dum hæc in Belgio geruntur, Rex Britanniæ, Gallici Legati indicio certior factus, coactam apud Batavos belli tempeſtatem mox in Angliam magno cum impetu tranſituram, terrore inſtanti, amicos accerſivit ad conſultandum quonam modo obviàm irruentibus malis iretur. Suadebat alius aliud, prout cujuſque affectus & libido ferebant: *Quæ etenim volumus, inquit Cæſar, credimus libenter, & quæ ſentimus reliquos ſentire putamus.* Barillonius Galli in Angliâ Legatus Author Regi erat auxilia è Galliis repetendi, quoniam id è re domini ſui fore exiſtimavit; alii è contrà, veriti ne auxiliares Galli odium populi in Regem traherent, illorum opem declinandam eſſe arbitrabantur, qui vero Regis regnique rebus melius ſtudebant, nihil ipſum reliqui habere dicebant præter converſa ad lenitatem ſtudia, & repentinum à malis conſiliis receptum Angebant Jeſuitas & libidinis regiæ mancipia & Satellites, iſtæ cohortationes: nihil illi immutandum cenſebant, verum omnia aut belli diſcrimini, aut futuris eventibus & fortunæ Regiæ permittenda eſſe.

Rex animi incertus, & infidis obnoxius conſiliis, quid optimum factu eſſet, haud facilè percepit. Tandem vero, poſtquam omnia quæ in utramque partem aut metus aut ſpes ſubjiceret, ſecretâ æſtimatione penſaſſet, conſultiſſimum ratus eſt, & lenioribus conſiliis popularium promereri benevolentiam, & exercitum quam poterat maximum, ad ſuſtinendos hoſtium impetus, comparare.

Nova igitur nunc rerum facies in Anglia cerni-

tur, nec erant ludibria rerum humanarum aliàs magis conſpicua, quàm ubi Jacobi Regis ingenium, quod paulò ante ſævum & inexorabile cenſebatur, tam ſubito miteſcere cœpit, & benevolentiæ ſpeciem præ ſe ferre. Et ſane inter prodigia ſeculi converſa jam Regis ſtudia cenſenda ſunt: nec major antea ſtupor inceſſit Anglos, qui inter inſanabiles principis morbos obſtinatam illius incœptis perſeverantiam ſemper numeraverant, quàm cùm viderent ipſum, Penelopes ad inſtar, priorum operum telam retexentem; cumque ingens iſta cœptorum moles, quæ non ſine improbo labore, & majore invidiâ auſpicatus erat, Siſyphii ad inſtar Saxi, magno & repentino cum impetu rueret. Quæ fecerint iſta Regis in promerendo populo ſtudia, quæ ferè jam in pœnitentiâ melioris indolis documenta, fidus referam, ne Regiis partibus parùm fortaſſe æquus videar.

Septem. 28. Primùm, in extremo rerum ſuarum articulo, in edicto iſto, quo populo proclamavit ſe irruentis in Angliam è Batavia ingentis belli nuncium certiſſimum accepiſſe, profeſſus eſt, *exterorum auxilia ſe reſpuiſſe, & elegiſſe potius, in popularium ſuorum, quibuſcum vitæ diſcrimina toties adierat, verâ priſcâque virtute, fide, obſequio, fiduciam collocare.*

† Octob. 3. Paulo poſt † in *Sanctiori concilio* edixit ſe *Chartam immunitatum* Civitati Londino reſtituere voluiſſe. Inclinante igitur ad veſperem die, Prætore, Senatoribus, & Vicecomitibus civitatis coram Rege in Albâ Aulâ ſe ſiſtentibus, hac oratione illos excepit: *Se animo ſecum ſtatuiſſe, pro curâ quam incolumitatis civitatis illorum haberet, & pro Symbolo fiduciæ quam ingruente jam bello in ipſis collocaret, Chartam veterem & privilegia illis relintegrare, ut eo pacto meliori in ſta-*

tu

tu res illorum eſſent, iſtique in illum officio facilius adeſſent, cujus fidem, tum erga fratrem tum ſemetipſum, ſæpius variis indiciis fecerunt, & in quo ipſemet jam fiduciam reponeret. Hujus ſponſionis fidem religioſius quam pro more ſuo Rex conſeſtim liberavit, intra triduum etenim * præclaram iſtam *chartam*, ſummâ cum injuriâ & pravo judicio direptam Londinenſibus in integrum reſtituit.

* Octob. 6.

Eodem ferme tempore †, cogente rerum neceſſitate, ſtimulante metu, viciniorum provinciarum Epiſcopos ad ſe vocavit, ut illorum, in re dubiâ, conſilio uteretur. Ad hæc, ſtuporem hominibus fecerunt variantis fortunæ mæandri, & abditi mentis humanæ receſſus, cum Regem nempe viderunt ad illos tanquam ad Aſylum confugientem in quos paulo ante, etſi nullius flagitii compertos, ſeverius animadverterat. At hoc in rebus humanis uſitatiſſimum eſt, ut quos incolumes, propter ſolam fidem & virtutem odimus, anguſtiis gravioribus incluſi, illorum auxilia imploremus.

† Septemb. 24.

In primo illorum ad Regem ‖ aditu, nulli inter illos ſermones ſerebantur, niſi qui communiora & mutua officia, inculpatæ nimirum tutelæ, & obſequii Regi debiti, continerent.

‖ Septemb. 28.

Non multò itaque poſt † omnes ſimul Regem denuo petière, & tunc Archiepiſcopus Cantuarienſis, impetratâ prius à Rege venia, conſilia illi ſuggerendi, quæ, pro temporum vice, rebus ejus commoda cenſerent, reliquorum nomine conſilium Regi datum decem capitibus breviter complexus eſt.

† Octob. 3.

" 1. Animis demiſſiſſimis Authores Regi erant, " ut in ſingulis regni provinciis, rerum adminiſtra-

" tionem

" tionem non aliis proceribus civibuſve traderet,
" quam quibus legitima authoritas competeret.

" 2. Ut Commiſſariorum regiorum auctoritatem
" aboleret, nec ſimili curiæ in poſterùm diplomata
" indulgeret.

" 3. Ut *Diſpenſationis* gratiam, nemini faceret,
" cujus beneficio Legum exſortes munia reipublicæ
" obirent, verum ut Collegii Stæ. *Mariæ Magda-*
" *lenæ* Oxonienſis Præſes Sociique poſtliminio ad
" dignitates ſuas reſtituerentur.

" 4. Ut diplomata iſta, quibus Jeſuitis Scholares
" publice inſtituendi copia data eſt, penitùs reſcin-
" deret, neve alia in poſterum concederet.

" 5. Ut judicium de poteſtate diſpenſandi Parla-
" mentariis comitiis permitteret.

" 6. Ut non amplius veniam indulgeret exteris
" iſtis quatuor Epiſcopis, qui Vicarii Apoſtolici au-
" diunt, in juriſdictionem Eccleſiaſticam invaden-
" di, quæ per Leges regni ſolos Eccleſiæ Antiſtites
" penes eſt.

" 7. Ut in vacantes Epiſcopatus, & beneficia
" Eccleſiaſtica, præſertim vero in Archiepiſcopatum
" Eboracenſem, viros cooptaret, eruditione & pie-
" tate inſignes, *&c.*

" 8. Ut non amplius municipiis litem intenderet,
" per breve illud quod nos *Quo Warranto* appella-
" mus, verum *Chartarum Veterum*, & immunitatum
" omnium, copiam illis ex templo faceret.

" 9. Ut Reſcripta quam citiſſime emitteret, qui-
" bus comitia Parlamentaria indicantur, ut Eccle-
" ſiæ Anglicanæ incolumitati, & libertati civium,
" quam opportune conſultum ſit——

" 10. Ut liceret illis Argumenta proferre quæ
" ſubigerent Regem pedem retro ferre, & Eccleſiæ
" Anglicanæ doctrinam rurſus amplecti.

Tales

Tales erant Eccleſiæ Antiſtitum adhortationes, quæ Jeſuitarum & ejus farinæ hominum non indignatione ſolum, verum & ſiniſtrâ interpretatione exceptæ ſunt. Fraudem etenim ſubeſſe conſilio, nec aliud pravos conſultores, & Regi infenſos, ſibi propoſitum habere, dicebant † quam ſuſpiciones mentibus hominum ingerere, eaſque à Rege alienare. Contrarium verò eventus docuit, ubi nimis obſtinata Archiepiſcopi Cantuarienſis & aliorum quorundam fides in illum emicuit——

† Anatom. expedit. Belg. p. 29.

Angebat Regem iſtud Epiſcoporum conſilium: ille vero, vultu tunc & ſermone in omnes ſatis erat placato; concidit ferocia animi, & quoniam id rebus ſuis conſultius arbitrabatur, illorum non aſpernatus eſt conſilia. Etſi enim eadem illa die variis cohortium præfectis diplomata conceſſit, quibus poteſtatem illis fecit novos milites conſcribendi, tamen biduum * poſt profeſſus eſt apud *Sanctioris Conſilii* Senatum, ſe animo ſtatuiſſe, pro tutelâ quam Eccleſiæ Anglicanæ præſtiturus erat, poteſtatem commiſſariis Eccleſiaſticis abrogare. Nec promiſſis fides defuit, ſupremo etenim regni Cancellario præcepit, ut iſtud ſine morâ perficeretur. Hoc Regis factum etſi populo pergratum erat, Anſam tamen querelis dedit, quoniam neque contrà jus curiæ iſtius Eccleſiaſticæ pronunciatum eſt, neque Rex fidem ſponſionemque interpoſuit, ſe iſtiuſmodi curiæ authoritatem in poſterum non conceſſurum; quorum tamen utrumque Præſules demiſſis precibus obſecrarunt.

* Octob. 5.

Dum hæc in Anglia lentè geruntur, Belgarum molimina, utpote è longinquo acta, in majus ferebantur. Auxit fama non terreſtres ſolum *Principis Auriaci* copias, verum & Claſſis etiam robur. Eadem retulit, Principem, quamprimum vento, mari-

que

que ſecundo uteretur, cum cohortibus ſuis navim conſcendere ſtatuiſſe. Ad hæc optimi cives expectatione erectâ ſtabant: viros autem Legibus obnoxios non mediocris formido inceſſit. Rex ipſe in tanto diſcrimine incertus trepidavit. Placuit igitur delectus raptim in urbe agriſque haberi, mittere ad vocanda Hibernicorum Scotorumque agmina, præſidio munire urbes, frumentum convehere, arma parare, inſtruere naves, & mittere Baronem Dartmuthienſem adverſus *Belgicam Claſſem.* Nec major erat nunc ardor Regis in conquirendis ſubſidiis bellicis, quam in conciliandis ſuorum ſtudiis; & nunc primum in rebus anguſtis (quæ homines ſæpiſſime utilia docent) illud mihi videtur didiciſſe, quod Principes ignorare non debent, *Regem nempè benevolentiâ civium magis quam armis ſeptum eſſe oportere.* Illorum etenim favori velificatus populo proclamavit * ſe municipiis chartas, jura, & immunitates reſtituere. Præfectos provinciarum, ob reipublicæ ſtudium, & averſam à ſervitute mentem, Satrapiis ſummotos, ſuis iterum præfecturis ornavit; Eirenarchas capite diminutos, eò quod Legum & Libertatum Angliæ cuſtodes eſſe mallent, quam libidinis Regiæ mancipia, ad priſtinum in regno gradum iterum promovit; Collegii Mariæ Magdalenæ Oxonienſis Præſidem Socioſque, pro fidâ ſtatutorum obſervantiâ proſcriptos ad ſuos iterum Lares & prædia revocare decrevit †. Non omnem Populum prioribus injuriis graviter laceſſitum converſa Regis ſtudia lenibant, timori non benevolentiæ ea vertenda eſſe, nec dolo vacare tam gratuitam Principis Clementiam aiebant. Ferebantur in deterius omnia nunc Principis acta, & vagante per regnum Siniſtra fama tot rumores in vulgus

* Vid. Proclamat. Octob. 17.

† Octob. 24.

gus ſpargebantur, ut neceſſe haberent Aulici, ad obſtruenda maledicorum ora, & premendos vulgi ſermones, promulgare edictum * & probroſa adverſus Regem dictitantibus pœnam indicere.

* Vid Proclamat. Octob. 26.

Eo in Statu Res Anglorum erant iſto intervallo, quo apparatus Belgici matureſcere jam, & ingentibus auſpiciis ſatis expediti eſſe cœperunt. Videre ubique erat fluxam populi fidem, & averſa à rege ſtudia, odia & minas, in voluntatis Regiæ adminiſtros, querelas in milites inſtituta militaria non ſervantes; Arrectam verò plurimorum in Principem Auriacum expectationem, votaque pro ſecundâ illius in Angliam profectione Deo maris & ventorum potenti nuncupata. Res peregrinæ etiam, propitio ita procurante Deo, ampliſſimum tunc campum Principi Auriaco ad gloriam, Anglis ad libertatem, aperuere. Rex etenim Galliarum, ruptis turpiter viginti annorum induciis, omnia late in Palatinatu cæde, rapinis, incendiis miſcuerat, & *Philippopolim* ad Rhenum obſidione cinxerat. Eo facinore *Cæſaris Germanici* & Electoralium Imperii Principum odia ſibi concitavit. *Innocentius* XI. Pontifex ſane multis encomiis dignus, propter varias injurias Gallo erat infenſiſſimus. Hiſpaniarum Rex omnibus infeſtior nihil æque concupiſcebat, ac injurias ulciſci. Hi igitur omnes non ignari Jacobum Regem Gallo fuiſſe amiciſſimum, & illius ambitioni voluntatem ſuam in omnibus adſcripſiſſe, † Auriaci cœptis pluſquam annuerunt. Princeps igitur Auriacus, Anglorum votis expetitus, & exterorum benevolentiâ animo confirmatus, idoneum nactus ventum è portu ‖ ſolvit; &

† Vid. Epiſt. Imperat. Germ. ad Jac. Reg.

‖ Octob. 19.

pro-

profectionem auſpicatus eſt omnis ævi famâ illuſtrem, & poſteris Anglorum memorandam. Militum numerus, ſi Britannicis copiis comparentur, contemnendus ſane erat*. At magna pars exercitûs plurimorum ſtipendiorum milites, ſub *Principe* in ſuperiori bello militaverant. Illis optimâ diſciplinâ inſtitutis, peritiſſimi & exercitatiſſimi Duces præerant. Illorum Caput *Schombergus* erat, vir multâ militari peritiâ, & militarem coronam apud Gallias meritus, de quo idem fama refert, quod de Suetonio Paulino olim dictum erat, *Cunctator naturâ, & cui cauta potius conſilia cum ratione, quam proſpera ex caſu* † *placerent*. Batavi ex terrâ naves molientes, ſecundâ primùm navigatione vehebantur, poſtea vero converſo maris & ventorum munere, & difficilioribus uſi tempeſtatibus, portum ‖ iterum tenere cogebantur. Nunc ad eludendum Britanniæ Regem, ad ſecuritatem, & apparatuum bellicorum remiſſionem illi ingerendam damna Batavorum in Literis * novellis *Harlemi* & *Amſtelodami* exaratis ſupra verum ferebantur: nec caruit ſucceſſu dolus. Jeſuitæ etenim ubique ovantes dixerunt, Beatam virginem maris & ventorum arbitram illorum exoratam precibus, tam funeſtum hæreticis naufragium intuliſſe. Fama inſuper amiſſæ claſſis ad ſpem veterem Jacobum Regem ſtatim erexit: Miſerat ille Oxonium Epiſcopum Wintonienſem Collegii Magdalenæ *Curatorem honorificum*, ut Præſidem & Socios Laribus ſuis non ita pridem à Rege expulſos, ad ſua iterum munia in Collegio reſtitueret. Accepto verò naufragii nuncio, pedem illum retro ferre & domum re infecta reverti juſſit. Vidit tum popu-

* 14352 numero.

† Tacit. hiſt. lib. 2. ſect. 25.

‖ Apud Helvoetſluys.

* Gazettes.

populus, & pro comperto habuit, quod ſi ſpatium ad ſua, ut vellet, componenda, Regi daretur, nihil eum ſincerâ fide cum popularibus ſuis acturum. Tum quod Tacitus * refert apud Anglos fidem obtinuit, (*Molles nimirum in calamitate eſſe mortalium animos*) illos cum metus abeſt, ad priorem indolem reverti.

* Annal. l. 4. ſect. 68.

Princeps, paucis diebus reficiendæ Claſſi inſumptis, anchoram iterum ſolvit, & ſecundâ jam navigatione vectus, tertia Novembris die quæ Genethliacam Principis lucem immediate præceſſit, jam claſſe medium mare inter Dubrim & Caletum inſedit. Biduum poſt, poſitis anchoris & applicatis ad Terram navibus, in Sinu *Torbaiæ*, peregrina claſſis exoptatur Anglis, exercitum, in Agro Devonienſi, occiduâ Angliæ regione, non procul ab iſta arenâ, quæ Duci Monmuthenſi fatalis erat, tandem expoſuit. Quæ contra Regem poſt in Angliâ geſta ſunt, ſequentibus capitibus dicetur.

CAP. II.

Complectens res contra Regem geſtas à Principis Auriaci in Angliam appulſu, uſque ad tempus illud quo Rex exercitum deſeruit.

IN ſuperiori Capite *Crimen illorum*, ut dicitur, in Regiam Majeſtatem à me commemoratum eſt, qui in ſummâ libidine hominum nocentiſſimorum, qui in populi Anglicani quotidianâ querimoniâ, judiciorum infamiâ, & extremo religionis diſcrimine, ad Principis Auriaci fidem & miſericordiam con-

confugerunt; ipſumque defenſorem calamitatum ſuarum, cognitorem juris ſui, vindicem injuriarum, & ruentis reipublicæ Statorem adoptaverunt.

Novus nunc ordo rerum aperitur, & Regiæ cauſæ patronis uberior in ferendis criminibus campus pateſcit, cùm agente in regni viſceribus peregrino exercitu Regis ſubditi, hic fidem & officium, illic vexilla deſerentes, ad alienas partes ubique transfugiant. In hoc capite omnia ego in Regem patrata ab Arauſionenſis *excenſu* ad tempus illud, quo Rex Britanniæ, ſuis diffiſus rebus, & ſequiori uſus conſilio, pedem è *Sorbioduno* retro tulit, fidus referam, & veritati pro virili litans? Veritatis enim ſtudium mihi ad hoc opus aggrediendum, ut ſolus ſtimulus ita & ſcopus unicus, *quam hiſtoriæ detrahere nihil aliud eſt* † *quam pulcherrimo animanti oculos effodere, & pro ſalubri ſucco lectorum animus venenum propinare.*

Salisbury.

† Vid. Polyb. lib. 1. Sect. 4.

In recenſendis igitur Regis querelis quæ popularium onerant crimina, ne minima rerum momenta pertranſire videar, ab illo plebeculæ delicto mihi luber exordiri, qui, ut primum Arauſionenſis ab alto in litus pervenit compleverunt portum & proxima maris, & lætis exultantium ſtudiis gratulationi ejus ſemet obtulerunt. Incitavit plebem ad feſtivos plauſus, & prima hæc officii in Arauſionenſem libamina, præter ſpem libertatis recuperandæ, etiam temporis Articulus, quo libertatis Anglorum vindices litori ſemet applicuerunt: Nonis etenim novembribus ‖ quas Anglia Deo Votas habet, pro incolumitate Regis & Auguſtiſſimi Senatûs, ab horrendâ olim *Jeſuitarum* conjuratione, primùm in terram è ratibus diſſiluerunt, qui Angliam nunc petierunt ad

‖ Novemb. 5.

ad eludendas Jeſuitarum inſidias. Auxit inſuper vulgi lætitiam aliud uberioris gaudii incitamentum, percrebuerat fama, Regem in Occidentali tunc Angliæ plagâ Gallorum expectaſſe ſubſidia; quare cùm è longinquo conſpiciebantur naves, nonnullis haud dubio erat, quin Gallorum ea claſſis erat, contrarium verò poſtquàm deprehenſum eſt, & viderunt Angli liberatores fuiſſe, quos hoſtes infeſtiſſimos metuerant, tum ſuperfundenti ſe lætitiæ vix temperatum eſt. Nec rumor iſte de Gallorum adventu inanis erat, & qualem, dubiis in rebus, metus quorundam, & aliorum vana ſpes, vulgare ſolent; verùm optimâ ratione nitebatur: Etſi etenim Rex Britanniæ popularibus ſuis proclamaverat (quemadmodum ſuperiùs commemoravi) ſe Gallo auxilia oſferenti nuncium remiſiſſe; poſtea tamen, idque Arauſionenſis ante adventum, illorum imploratam fuiſſe opem, pluſquam dubiis conjecturis deprendimus. Non ignoravit quàm ſuſpecta eſſet Anglis Gallorum fides, ne Regi per amicitiam intra regnum recepti, violatâ fœderis fide ingentem impetum facerent, *Campanorum* olim & *Romanorum* ritu, quorum illi in Meſſanam, hi in Rhegium * auxilio vocati, urbium ſplendorem atque opulentiam admirati, cives alios depulerunt, interfecerunt alios. Ne igitur Gallos in ſubſidium accerſendo, ſuorum odia ſibimet arceſſerer, ſummâ quâ poterat induſtriâ conſilium occultavit, attamen id ab eo factum fuiſſe procul omni dubio habemus. Novimus etenim apud quem † *Baro Dartmuthienſis* tunc Claſſis præfectus in Prætorii nave infortunium ſuum hoc modo deploraverit: *Quocunque*, inquiebat, *hujus belli fortuna inclinaverit, me calamitoſum eſſe neceſſe*

* Polyb. lib. 2.

† Dominum Columbinum cohortis ſtructorem.

neceſſe eſt, ſi Arauſionenſis etenim ſuperior evadat, tunc officii erga Regem pœnas illi daturus ſum; ſin Rex Principem devicerit, actum tum erit de Anglorum libertate, & meâ etiam ſalute, quod illi morem gerere, & exercitum Gallicum in Angliam invehere recuſaverim. His Dartmuthienſis verbis fidem apud me non dubiam conciliat, quod eodem tempore accidit. Eſt in conſpectu portûs, in quo claſſis Belgica anchoras poſuit, Domini * *Carii* domus, equeſtris in Anglia Ordinis viri, & Romano-catholicæ religionis cæremonis innutriti, ibi ſacrorum miniſter ex editiori ſpeculo perſpicilli operâ naves intuitus, conſpectis albis inſignibus feſtâ ſtatim acclamatione pronunciavit Gallorum appuliſſe claſſem: Ille ſine morâ concione ſacrâ vocatâ pro opportuno Gallorum adventu *Te Deum* in ſacello cecinit. Novit nimirum qui Jeſuitarum conſilii particeps erat, Regem decreviſſe Gallorum auxilia accerſere, quis verò Regis ſpem fefellit prorſus ignorare videbatur. Atque hæc ideo ego commemoro, ut videant homines quam juſtam exultandi cauſam tum Belgarum adventus Anglis fecerat, quamque fiduciam in Gallorum ſubſidiis habuerant.

* Vide Epiſt. ab Exoniâ conſcriptam.

Sed ut majora rerum momenta ſequamur. Expoſitis in terram omnibus copiis, Princeps Auriacus intimiora in regni viſcera ſtatim penetrare decrevit. Primum iter *Exoniam* verſus illi ſuſcipiendum erat, Urbs illa eſt in Devoniæ provinciâ, inter celeberrimas Angliæ civitates meritò numeranda.

Sexto Idus † Novembris Arauſionenſis magno Procerum globo comitatus, triumphali pompâ Urbem ingreſſus eſt. Poſtridie *Gilbertus Burnetius* pro authoritate iſta, quâ inter Eccleſiaſticos eſſe meritò cenſebatur, ad Eccleſiæ Cathedralis *Curiones* à *Principe* miſſus erat, ut

† Novem. 8.

ut munus illis à Rege injunctum pro *Cambriæ* Principe in precum formulis publice orandi, interdiceret.

Eadiem die*, poſt hymnum laudis & gratulationis *Arauſionenſis* * Novem. 9.

DECLARATIO, ipſo coram ſtante, vivâ voce in eccleſiâ publicè promulgata erat. Non omnis iſta malorum Ilias in eâ continebatur, quæ Jacobi Regis quadriennium dehoneſtarunt, verùm inſigniora tantum injuriarum capita, in brevi quaſi tabellâ exarata erant. Poſt commemoratas in eâ populi Anglicani & Arauſionenſis querimonias, fides religiosè facta eſt, Principem Auriacum cum exercitu deſcendiſſe, non ut quenquam quietum violaret, Regémve devinceret, & regnum ſibi peregrinum moliretur, verùm ut turbantes regni otium coerceret: Non ille cum barbaris olim Sexonibus, *Se in armis jus ferre, & omnia eſſe fortium virorum*, ferociter dixit †, verùm querelarum omnium cognitionem ad *Senatum* retulit. † Liv. lib. 5. ſect. 36—

Poſt hanc alia Principis Auriaci Declaratio ad Hagam nono calendarum Novembris typis mandata, ſtatim in vulgus edebatur. Hujus tam citò poſt aliam promulgandæ ratio hæc erat? Poſt acceptum apparatuum Belgicorum nuncium, Rex Britanniæ (ut ſupra commemoravimus) ad concilianda civium ſtudia, ſerâ quaſi pœnitentiâ ductus, multa ſtatim gravamina ſuſtulit. Eodem inſuper tempore, perduelles & mancipia Regia, ſcriptis in vulgus editis propalârant, *Principem Auriacum* profectionem in Angliam adornaſſe, non libertatis & religionis Anglorum ſtudio conſervandæ, verùm ut devicto Rege ipſemet rerum in Anglia potiretur. Arauſionenſis igitur horum monitus, verituſque ne retroacta Regis ſtudia Anglorum delinirent animos,

& veneno reipublicæ pernicioſo imbuerent, alteram iſtam declarationem in publicum miſit. In eâ mutati Regis conſilii dolum expoſuit, *Omniaque pro tempore & re natâ & ad ludificandos homines mutata eſſe ex eo collegit, quod non Regis libidini in leges & impotenti dominatui renunciatum ſit: quod nihil ſit Anglorum votis poſtulatiſque datum, quod vaga & inſolens libido iterum non uſurpare poſſit. Declaravit inſuper ut in priori edicto, ſe non victoriam animo concepiſſe, cujus ſuſpicionem*, inquit, *& impares tanto facinori copiæ, & procerum Anglicorum multitudo, quos cæptorum hortatores & ſocios habeo, à me amoliri debent. Nihil aliud ſibi in cæptis deſtinatum eſſe* dicit, *quàm ſacra & civilia Anglorum jura eò ſtabilitatis perducere, ut gens in poſterum ſit extra omnium periculorum aleam.* Tandemque coronidis loco addidit, *Quoniam opportuna civium calamitatibus remedia, ex comitiis Parlamentariis, quorum violati ſubditorum juris cognitio eſt, non ex ſubitaneâ iſtâ regis gratiâ, quam timor exprimit, petenda ſint; ſe omnium querelarum judicium frequenti Anglorum conventui in comitiis Parlamentariis permiſſurum.*

Ex his edictis ante omnia rerum auſpicia promulgatis, fidem moderationis ſuæ animique ad pacis magis quam belli conſilia propenſi populo Anglicano fecit; nec tam potiundi imperii, quàm libertatis reſtaurandæ cupidus videbatur, cum abdicato belli diſcrimine ad Senatus & legum ſententiam ſemper provocaret. Regis vero ingenium longe diverſum emicuit, ille effrænâ ſuâ ipſius animi libidine, & Jeſuitarum cohortationibus inſtinctus, quorum unicum illud ſtudium erat Gallo omnia grata facere, & Britanniam tumultu & diſſidiis miſcere animum à pacificis conſiliis & civili litium diſceptatione procul habuit. Graves mihi videntur rationes iſtæ, quibus in rerum initio ad ſenatum convocandum

candum urgebatur, antequam vis peregrina impetum in regnum fecit. Id Arauſionenſis, cujus edictum Regi pridem communicatum erat, unice efflagitavit; Id Epiſcopi tanquam malorum omnium unicum remedium ſuaſerunt; id nonnulli ex Regiis *aſſeſſoribus* & *conciliorum participibus* in ſanctiori concilio, qui nondum Gallorum & Jeſuitarum venena hauſerant, ſæpius adhortati ſunt. Ille vero temporis importunitatem cauſatus, poſthabitâ Senatûs authoritate prælii diſcrimen inire ſtatuit. Ne tamen popularibus ſuis belli nimis appetens, & averſus à Senatûs authoritate videretur, eodem tempore quo Arauſionenſis copias ſuas in littus * expoſuit, populo *proclamavit ſe ſupremo Regni Senatui diem conveniendi edicturum, quamprimum Anglia exterarum copiarum hoſpitium eſſe deſineret, juſtiſque ſubditorum querelis ſe remedia adhibiturum; interea verò graſſanti in regni viſceribus hoſtili exercitu, Senatum non poſſe convocari* dixit. Utinam in iſtâ tunc eſſet ſententiâ cum Anglia profugus Hibernicorum cœptis ſe patronum dedit; ibi enim in medio belli ardore, cum *Angli* rerum in Hibernia Domini, maximâ ex parte, vel gravi obſidione urgerentur vel malâ manſione premerentur, vel ſalutem in exteris gentibus, à famoſis Hibernicorum inſidiis peterent, regni ſenatum convocavit. Senatum dixi, date veniam catachreſi quicunque per terrarum orbem ſenatorio munere funginini, non ſenatus erat, verùm (ſi paucos excipias) ingens latronum cœtus, qui, Rege unâ ſuffragante, atque acta calculo ſuo comprobante, iniquiſſimis decretis non ſolum publicum regni jus ſubverterunt, verùm infantes fœminaſque bonis ſuis non aliâ de causâ ſpoliarunt, quam quod in Angliam ab inhumano illorum furore abrepti eſſent.

* Novem. 6. proclam.

Angli Regis mentem ſeciùs interpretati ſunt, quam ille expreſſis verbis in edicto ſuo profitebatur, illúmque temporis occaſione & gliſcenti in regno diſcordiâ pro prætextu tantum, non verâ diſtinendi Senatûs causâ uſum fuiſſe crediderunt. Perſpectum illi ingenium ejus diu habuerunt, nec dubium illis erat, quin ſi Auriaci copias debellaret, tyrannidem graviſſimam, ſibimet ſtatim vendicaret, & per omnes ordines victoris crudelitas ſtatim vagaretur. Quapropter cum in illo ingenium parum civile, animúmque ad dimicationem magis propenſum quàm ad Senatûs judicium conſpicati ſunt, ex eo favor hominum in Arauſionenſem inclinavit, ſimultates in Regem gliſcebant: Fons illud atque origo erat inſequentium omnium ſeditionum, & tranſitionum populi, quas ego non minori fide referam, quàm perfidiâ geſtas fuiſſe, perfugæ & nefarii cives autumant.

Triduum Arauſionenſis Exoniæ egit, antequam melioris exiſtimationis quiſquam ad ejus partes ſe contulit, quod nonnihil ſtuporis exercitui injecit, qui magis fiduciâ Britannorum amicitiæ, quam potentiæ ſuæ in Angliam venerunt. Id verò pleriſque mortalium, quorum cœpta ſupremum numen auſpicari geſtit, ſæpius contingere videmus, diverſis animorum motibus aguntur, & dubiâ aliquandiu utuntur fortunâ, ut pavor iſte inſequentis felicitatis gratiam commendet. Dominus Burringtonius qui *centurio* audit, primus omnium fortunam & vexilla principis ſecutus eſt, cujus officium, tanquam melioris fortunæ primitiæ, comiter & benevole erat exceptum; poſt illum alii generoſi ex variis agri *Devonienſis* & aliarum provinciarum plagis, prout locorum intervalla paterentur, ad principem quaſi ad *tutelarem* regni genium confluxerunt.

Illorum

Illorum ex numero nonnulli erant è primoribus Angliæ, quos majorum gentium nobilitatis insignia decorant. Dominus Colcestrienſis * Henrico Whartono viro nobili proſapiâ oriundo & parvâ voluntariorum manu comitatus ex agro Buckingamienſi † per Oxonium iter dirigens, nemine vim aut moram faciente, ad Arauſionenſis caſtra ſoſpes pervenit. Idem charitatis in patriam documentum dedit ex agro Oxonienſi Abendoniæ Comes. Lovelacius, qui antea magnum antiquitatis ſpecimen ſe comprobaverat, cum integris adhuc Jacobi rebus, *feudatariis* ſuis autor erat contra perduellium acta non legitima pronunciandi, nunc irritas leges & rempublicam in præcipiti cernens, maturior ferme reliquis Vindices libertatis ſecutus eſt. Is collecto popularium Manipulo, ad ſeptuaginta ferme equitum numerum, ex agro etiam Oxonienſi, verſus Auriaca caſtra proficiſcens è uſus eſt fortunâ quæ non mediocrem illis mœrorem fecit, qui pro libertate jam votis & expectatione erectâ ſtabant: Ruris etenim militia, juſſu Ducis Beilocaſtri ‖, qui Satrapiam in illis plagis obtinuerat, impetum in illum fecit, apud Durocornovium *, quod Dobunorum oppidum eſt: Lovelacius, ſtrenuè prius navatâ operâ, interfectiſque Loregio ſtructore cohortis, Loregii filio, capitaneo uno, cum Pro-centurione & ſex è plebe militibus, captus tandem cum tredecim aliis cuſtodiæ traditus erat, & Claudiis Caſtris † in carcere detentus, donec gliſcentibus paulò pòſt Anglorum defectionibus, acer-

* Antiquitus Camulodunenſis.

† Sive Neomagenſi.

‖ *Beaufort.*

* *Cirenceſter.*

† *Glocestria.*

rimus Juvenis, & Genti'itiis inſignis in ea regione conſpicuus, ſumptis, pro patriæ legibus & immunitatibus civium, armis, illum ſui iterum juris fecit.

Auditâ Love'acii Idibus Novembribus * calamitate, magna in Albâ Aulâ Ovatio inter Jeſuitas & illos omnes cernebatur, qui patriæ pietatem, & tempora reipublicæ, poſt ſua commoda & regiam libidinem habuerunt.

* Nov. 13.

Quod verò poſtridie è Sorbioduno † ad Regem perlatum erat de *Cornburienſis* tranſitione, pridianam lætitiam non a'iter ſuſtulit, quam improviſa & ſubitanea tempeſtas omnem prælucentis ſolis gratiam in momento temporis tollere conſueſcit. Dominus Cornburienſis Clarendoniæ Comitis filius eſt, & in patrimonium ejus honoremque unicus ſucceſſor, Is Dimacharum ‖ Prætoriæ cohortis in exercitu regio tribunus, ad Arauſionenſem hoc modo tranſivit. Simulato a Rege mandato imperavit ſuis Dimachis, & binis aliis cohortibus, quarum alia Prætorianorum equitum erat, altera Ducis *Fani* Sancti Albani * ſub Langſtono Protribuno equeſtris cohors, ut ſub illius auſpiciis Dorceſtriam * proficiſcerentur. Illic aliquantum temporis ad equos reficiendos commorati, alio itinere *Bridportum* verſus ire jubentur: Ex eo facto *Cornburienſis* quibuſdam ducibus doli cœpit eſſe ſuſpectus, quapropter illi, contra morem militiæ, Præfectum Phalangis interrogarunt, quonam iter facturi eſſent, reſpondit *Cornburienſis* ſe Honitonium proficiſci, ut hoſtes ſtativa illic habentes caſtris exueret. Paulò poſt *Cornburienſis*, cum Prætoriæ cohortis augeri ſuſpicionem perſenſit conſilium ſuum omnibus

† Saresberia, *Salisbury.*

‖ *Dragoons.*

* Sive Salinarum, St. *Albans.*

† Dunium olim.

nibus aperuit, & datâ equitibus qui regias partes deſerere noluerant, revertendi veniâ, ipſe cum reliquis ad Arauſionenſem tranſivit. *Langſtonus* qui inſidiarum particeps erat, cum totâ equitum cohorte, quam ipſe duxit, ad hoſtes transfugit; Franciſcus vero Comptonus, Epiſcopi Londinenſis frater, Vir ingenio æque ac natalibus clarus, Equites Prætorianos quibus ipſe præfuit, neceſſitate credo potius coactus, quam ſponte ſuâ ad vexilla regia reduxit. Inito poſtridie apud *Sorbiodunum* illorum numero, non ultra decem inter transfugas abfuiſſe, plurimos etiam è Scloperariis * equitibus ad Regis caſtra rediiſſe literis novellis paſſim relatum erat. Ex quo videre erat, quam fida militibus in maximo adhuc periculo fides eſſet, cum tot Regii Satellites, in eo manſerunt officio, quod reipublicæ exitio fore non ignorabant, ſi illorum Marte *Auriaci* exercitus interiiſſet. Id transfugientibus non dubium erat, quare illi charitate patriæ moti, magnitudinémque mali ferre non tolerantes, ad Auriacas partes non vincendi Regis ſtudio, verùm ad repetendam per Seceſſionem libertatem deſciverunt. Eo *Cornburienſem* Principem defectionis, animo transfugiſſe, hodierna illius fortuna abunde mihi teſtari videtur. Angebat Regem fluxa Servitiorum militarium fides, atque eò magis quod verebatur ne matura illorum defectio populares dubios adhuc neque ſatis confirmatos, non exempli tantum contagione, verùm & novi roboris fiduciâ ad ſimile facinus concitaret.

* *Dragoons.*

Rex, iſti malo ut occurreret, Exonienſibus & vicinorum pagorum incolis, nundinarum uſum edicto publico † interdixit, ne coactâ in illis hominum frequenti multitudine, gregatim

† Vid. Proclam. Novem. 16.

ad

ad Arauſionenſis caſtra tranſirent. Nec feſellit Regem male ominantis animi augurium, plures etenim, quos timor & rerum ſuarum reſpectus à periculis revocavit, nunc facinoris præclari ſplendor & virtutis pulchritudo dejectos erexit: Et illorum animos ita *Militum* exemplum accendit, ut frequentes ad *Arauſionenſem* libertatum ſuarum propugnatorem confluerent

Secuta eſt ſtatim *Cornburienſis* tranſitionem, quorundam primæ Claſſis è Durotrigibus * & Somerſettenſibus generoſorum defectio. Illis, oratione habitâ, *Arauſionenſis* inter alia commemorat, *Se illorum votis poſtulatum, pro pietate quâ Deo, & charitate quâ generi humano obſtrictus tenebatur, religioni afflictæ, & oppreſſis legibus opem tuliſſe; Se illorum neceſſitudinem ſociatam prius expectaſſe, quorum domicilia portui, in quo exercitum expoſuit, adeo vicina erant; Se Dei favore, & cauſæ juſtitiâ, magis quam virorum robore fretum, cœptum illud ſuſcepiſſe: Quoniam vero,* inquit, *ſic voluntas divina tulit, ut humanis viribus impræſentiarum in recuperandâ felicitate uteremur, non miraculorum niteremur ſubſidio, idcirco rerum occaſionem captantes, ſuſcepta à nobis non ſine gloriâ facinora fortiter ſtatim & prudenter exequamur. Ad me quod attinet, glorioſius ſemper duxi pro bonâ cauſâ animam profundere, quam per dedecus vivere; novi etenim virtutem ſuam ipſius in ſe continere præmium, nec aliud nobis in hoc vitæ curriculo æque deſtinandum eſſe, ac humani Generis felicitatem.*

* Viris Somerſetiæ Provinciæ & Dorſetiæ.

Arauſionenſi facile jam negotium erat Anglos tot Regis injuriis laceſſitos, verbis demereri. Illius amore perciti, & ſuadente jam noviſſimâ rerum neceſſitate, Primores Anglorum & Generoſi ad Exoniam congregati, & cœptorum *Arauſionenſis* periculorúmque

culorúmque participes facti, cum eò robur ac fidelitatem ſuam religioſo fœdere conſociarunt. Quemadmodum hoc geſtum ſit, & quibus incitamentis, æquum eſt referre, quoniam inſignis iſta obſequii detrectatio, & in fraudem conſenſus & conjuratio (ut dicitur) ab illis facta, qui juramenti religione in Regem obſtricti tenebantur, inter inſigniora Anglorum crimina numeratur.

Viderunt nobiles iſti, non libertatem ſolam agi, quæ virorum fortium tantum pectora acuit, ſed res religionis periclitari, omnemque Europam ferme in magno verſari diſcrimine; viderunt cœptum illud aut recuperandæ libertatis aut ſempiternæ ſervitutis initium fore; viderunt Arauſionenſem, præclarum Ducem, & illis priſcis & veteribus ſimilem quibus *Imperatorium* nomen addebant contecti cædibus campi, caput atque arcem tantorum auſpiciorum fuiſſe, & in ejus ſalute non Britanniæ tantum, verùm & Europæ ſalutem contineri, & ex ejus unius vitam pendere omnium; viderunt non caſus duntaxat humanos, & incertos eventus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem, verùm & ſceleris etiam inſidiarúmque conſenſionem fuiſſe extimeſcendam: Ut igitur omnem ſpem nefariis hominibus præriperent, quæ præmaturo ex fato Arauſionenſis eluceſcere videretur; ut improbos convincerent quam fruſtraneum eſſet aut venenum illi miſcere, aut percuſſores in vitam illius ſubornare. Ante omnia, Proceres, Equites, & Generoſi, ſolenne fœdus inierunt, fidemque Deo & Arauſionenſi ſanctiſſime obligarunt, " Se " * cauſam iſtam non prius " deſerturos quam religio, " leges regni, & civium im- " munitates id ſtabilimenti " ex Senatus authoritate obtinerent, ut non am-

* Vid. Conſœder. procerum, &c. apud Exoniam, in tractat. polit. part. II. pag. 434—

" plius

" plius in aliquod diſcrimen adduci poſſent; Et ſi " forte *Arauſionenſis* ſanguineis impiorum manibus " dolo interiret, ſe non ſolum interfectores, verum " & ſocios illorum, omneſque arma gerentes, ad " ultimum ſupplicium interitúmque poſtulaturos, " neque poſt tale facinus perpetratum ſe velle re- " ceptui canere, verum acrius ſe cœpta perſecutu- " ros, religioſiſſime profeſſi ſunt. Fœdus illud ut pro rei præſentis neceſſitudine, & in ſceleratorum terriculum conciliatum erat, ita effectum deſtinatum mihi viſum eſt quàm feliciſſime ſortitum fuiſſe. Erant enim in Hibernia, qui vim ſceleratam meditati ſunt, nec ſuſpicari parum humanum eſt, Jeſuitas, quibus Arauſionenſis longe optatior erat, quàm Henrici quarti proavi ejus interitus * plures in Anglia tunc *Revaillacos* ſubornaſſe. Illis vero magnum à ſceleribus avocamentum erat conſpicere viros optimates tantâ animi obſtinatione in legum vindiciis & ſuppliciis proditorum conjuratos. Si cui tamen iſta conjuratio durior quam par eſt, viſa fuerit, velim ut tempora reipublicæ conſideret, tunc enim boni omnes eadem oratione uti poterant, quâ in Latinorum Campanorumque defectione L. Annius Setinus uſus eſt; *Si quando unquam conſociandi imperii,* † *uſurpandæ libertatis, tempus optaſtis: En hoc tempus adeſt, & virtute veſtrâ, & Deûm benignitate vobis datum.* Quæ cùm ita ſe habeant, quid eſt quod in iſtâ confœderatione optimo civi vitio verti poſſit? Quidni potius cum Marco Tullio Cicerone in ſimili causâ dicat? *In hujus conſilii* ‖ *ſocietatem, tanquam in equum Trojanum, includi cum principibus non recuſo—*

* Vid Thuan. hiſt. tom. 4. pag. 71,78,79. ad annum 1610.

† Vide T. Liv. lib. 8. ſect. 4.

‖ Contra M. Anton.

Dum

Dum hæc Exoniæ fiunt, & lætæ multorum acclamationes, & tumultuaria officia circa Arauſionenſem conſpiciuntur, rari adhuc tumultus & ſeditiones erant in remotioribus Angliæ partibus, donec Rex *actum agens*, & recenti exemplo alienus à pace & Senatûs authoritate, avidus vero repetendæ è prælio tyrannidis compertus, atque ex eo majori in offenſâ apud ſuos factus, in nova diſſidia & defectiones populum irritavit.

Bathoniæ Comes, ut nomini ac familiæ ſuæ debitum præſtaret reipublicæ patrocinium, & ſin ili virtute patriam nunc è Galli inſidiis tutaretur, quâ *Richardus Greenvillus*, poſt res præclarè contra turcam geſtas, in obruendâ Hiſpani claſſe ſub Elizabethâ olim inclaruit; civilis militiæ robore inſtructus, illorum præſidiis *Plimuthum* occupavit. Munimenti iſtius Huntingtoniæ comes præfectus erat, eo, cum reliquis militum ducibus legibus obnoxiis, cuſtodiæ tradito, *Bathonienſis* edixit ſe non contra Regem verum pro legibus inſurgere, & propugnaculum illud pignori accipere, quo Regem obligaret, pactam Angligenis fidem ſanctius liberare. Occupato *Plimutho* Maritima *Cornubiæ* oppida, quæ maximè occidentalis Angliæ regio eſt, Regis obſequium pro eâ vice detrectarunt, & exauctoratis militibus qui cum *Perduellibus* ſtabant nova præſidia caſtris impoſuerunt. Notum erat defectionis iſtius autoribus, *Arauſionenſem* ideo claſſem ſuam ad occiduas oras Angliæ appuliſſe, ut præſidiariæ ejus naves pro portubus ibi excubantes Gallos ab omni in Angliam invadendi propoſito deterrerent: Eâdem de causâ & illi maritima propugnacula novo ſtationario milite complerunt, ut res illorum meliori in ſtatu eſſent ad arcendam vim Gallorum.

Circa idem tempus quo Dannonii provido Gallorum metu concitati arma in occidente ſumpſe-

runt,

runt, *Delamerus*, inſtigantibus Hibernicis, qui furoris Regii præcipui cum Gallis & Jeſuitis erant incendiarii, in remoto regni *nomo* ſe alterius defectionis Auſpicem præbuit. Unus ille erat è majorum gentium nobilibus in iſtâ Angliæ regione quæ ad Hiberniam ſpectat; illic domicilium habens, videt *Hibernicos*, infeſta Britannis nomina, qui Angligenas per totum Jacobi quadriennium omni furoris & rapinæ genere domi vexaverant, frequentes in Angliam ad vexilla Regis concurrentes, & miſerrima quæque Anglicis intentantes. Urebat nobilem virum gentis contemptæ inſolentia, & indignè ferebat victori populo devictos Servitutem interminari. Ratus ille eſt, ſe tunc reipublicæ defuturum, ni in ultimo periculo moveret lacertos, & populares dubios adhuc & *Monumethenſis* calamitatis memores admoneret, in re non maximâ tunc infortunium accidiſſe, quia incondita multitudo & ſubitaneus exercitus eſſet. Collectâ igitur quinquaginta equitum manu *, *Mancunium* † primo itinere petiit. Ibi habitâ concione ſocios defectionis commonefecit, id *quod nemini illorum ignotum fuiſſe*, dixit, *religionem & rempublicam in extremo verſari diſcrimine, & quod tempus*, inquiebat ille, *vindicandæ libertatis opportunius illo poteſtis ſperare quo anſam nacti eſtis vires cum Arauſionenſi conſociandi, cujus ea in his cœptis conſilia ſunt, quæ omnium votis reſpondeant, qui religionis & libertatis deſiderio tanguntur.* " Nulla ego ad cœpta vel pericula vos vocabo quo- " rum ipſemet non ſim particeps, neque munus " hoc vobis ut Clientibus & feuda à me tenentibus, " verum tanquam amicis & Anglis injungo. Ne- " minem eſſe arbitror qui dimicationem, ſolâ illius " dulcedine captus, concupiſcat, aut cui pericula " voluptati

* Novem. 16.

† Mancheſter.

" voluptati ſint. Facilè credetis me, quod reliquum
" mihi vitæ eſt libenter in otio tranſigere velle, cum
" abundè calamitatum antea perſenſerim. Video
" tamen omnia nunc agi, quæ civibus ſunt chariſſi-
" ma, atque ea tandem mihi optio datur, utro frui
" malim eâ quâ nunc utor religione, unà cum li-
" bertate, an alienâ religione cum ſervitute miſe-
" râ. Cum igitur res ita ſe habeant reipublicæ me
" defuturum credidi, ſi hâc tempeſtate procul à
" reipublicæ curis otioſus domi manerem. In eâ
" quidem ego ſententiâ ſum quandocunque gens
" noſtra in priſtinam libertatem aſſeratur, id vi
" apertâ, aut miraculi adminiculo effectum iri;
" miraculis vero ſubniti nimiæ *arrogantiæ* eſſet;
" quapropter vis adhibenda eſt: atque tempus
" illud nunc adeſt ſummi numinis benignitate nobis
" conceſſum, quod ſi periculorum ſecuri præterire
" ſinemus, nobiſmet ipſis noſter interitus imputa-
" bitur & futuræ noſtræ calamitates Deo erunt
" ludibrio. Si victoria penes Regem ſit actum
" erit de libertate *conſcientiæ*, cujus *indulgentiam*
" non veſtrî gratiâ vobis hactenus effecit. Videtis quid
" vobis expectandum ſit ſi modo ſuperior evadat,
" & nupero exemplo oppidi hujus incolas edocuit
" quâ ratione copiis alimenta ſuppeditaturus eſt.
" Sanctiſſimè ego unicuique veſtrûm feuda à me
" tenenti, interpoſitâ fidei & honoris ſponſione,
" promitto, quòd, ſiquis in acie ceciderit, feuda
" familiis veſtris manebunt in eodem ſtatu quo tunc
" erant cùm noſtris ſub auſpiciis domo proficiſcere-
" mini. Quod ego igitur comprecor, quod patria à
" vobis flagitat, illud eſt; ut unuſquiſque veſtrûm
" cui equus ſuppetit idoneus, craſtino die mihi
" apud Bodeno dunum * præ-
" ſto ſit, eò etenim loci co-
" piarum luſtrum conditu-

* Bodendowns.

" rus

" rus ſum; ſin verò ætatis, aut alia excuſatio vos " vendicat à labore, tunc idoneo cuipiam equum " & quinque libras ſuppeditare velitis.

Eâ oratione in longius protractâ confirmatis populariorum animis, Delamerus patre ortus * qui Regiæ olim familiæ ab exilio domum revocandi cum primis autor erat, & ipſe etiam veteribus comparandus, proximo die † Bodeno dunum ſe contulit, ibi inito *voluntariorum* numero, & copias ſuas ad centum & quinquaginta auctas eſſe perſentiens, eorum robore fretus *Nottingamiam* proficiſcebatur, ibi conſpirantibus aliis poſtquam novis ſeceſſionibus (quemadmodum commemoraturi ſumus) Rex cauſam dedit, majus incendium erupit, quod latè per Septentrionales Angliæ plagas graſſabatur. Inter has ſeditiones Epiſcopi & Proceres regni Londini tunc agentes, Salutis communis & dignitatis Regiæ juxta ſtudioſi, à belli diſcrimine abhorrebant, cujus eventum aut Regi aut reipublicæ fatalem fore non ignorabant: nec fuit recuſandum, in tanto bello, tantoque animorum ardore, & armorum, quin quaſſata reſpublica, quicunque belli eventus fuiſſet, multa perderet & ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ. Ut laboranti igitur patriæ & Cæſaris rebus ſimul conſulerent, viri Optimates, quorum conſilia ſemper pacis & tegæ ſocia ſunt, in eâ erant ſententiâ, quâ hactenus boni & Sapientes omnes, *ad Senatûs nimirum authoritatem, unicum jam patriæ ruentis & regis etiam columen recurrendum eſſe.* Quapropter Archiepiſcopus Cantuarienſis, nominatus Archiepiſcopus Eboracenſis, cum Epiſcopo Elienſi, & Roffenſi, rogati à Proceribus, & aliis Eccleſiæ Præſulibus, in quibus ſumma erat ratio reipublicæ, religio

* Georgio Boothio in Ceſtrienſi provincia.

† Nov. 17.

ligio privati officii & ſtudium retinendæ voluntatis bonorum omnium, ſupplicem hunc libellum, undeviginti Nobilium & Epiſcoporum nominibus quorum omnium voluntates Regi erant addictiſſimæ, ſubſignatum, Regi in manus * tradiderunt. * Novem. 17.

Quod felix fauſtúmque ſit veſtræ Majeſtati! " Nos Majeſtatis veſtræ ſubditi fideliſſimi animis " contemplantes belli calamitates nunc in gremio " Regni erumpentis, & pericula in eo Sacroſanctæ " veſtræ Majeſtati ſubeunda, necnon & ſeditiones " populi ex offenſionibus in præſentiâ coortas, noſ- " met teneri arbitramur pro officio iſto quod Deo, " quod Religioni, quod veſtræ Majeſtati & patriæ " debemus humillime apud Majeſtatem veſtram " profiteri perſuaſiſſimum nos habere, non aliam " nobis expediendæ ſalutis publicæ & majeſtatis " veſtræ conſervandæ rationem reliquam eſſe, quam " è libero & frequenti Senatûs conventu.

" Quapropter majeſtatem veſtram enixe obteſta- " mur, ut conſeſtim ejuſmodi ſenatum ad concili- " andam populi gratiam convenire dignemini: " in eo ſummâ nos diligentiâ operam dabimus ea " inire conſilia in religionis & civilis politiæ ſtabi- " litate procurandâ, quæ in majeſtatis veſtræ decus " & columen & ad ſanandas civium mentes plurimum conducere arbitrabimur.

" Humillime inſuper majeſtatem veſtram com- " precamur, ut interea temporis eâ uti methodo " velitis in occurrendâ mutuâ Chriſtianorum inter- " necione, quæ vobis conſultiſſima videbitur.

Etſi hac poſtulatione nihil dici poterat æquius, efferatum tamen Regis animum graviter incendit. Nihil aliud viri præſtantiſſimi & eximia reipublicæ lumina, in eâ ſibi propoſitum habebant, poſt civium ſalutem & reipublicæ firmitatem, niſi ſalutem &

decus Regis tueri: ita tamen animum illius inflammarûnt ut conſpirantium ſcelus & audaciam graviter increparet, quoniam verò è re ſuâ non viſum eſt in illos eo tempore animadverti, abſtinuit ſuppliciis & gravioris iracundiæ ſenſum ad ulciſcendi tempora reſervans verbis ſolum caſtigatos dimiſit: tantúmque aberat ut illorum poſtulatis obſecundaret, ut eâdem iſtâ die * quâ Epiſcopi, interpoſitis ſupplicationibus pacis petendæ oratores ſe præbuerint, Rex plenus minarum & cædem anhelans è Londino iter auſpicaretur Sorbiodunum verſus eò etenim loci, præmiſſis infeſtis ſignis ſe caſtrametaturum dixit in planitie ingenti & copiis explicandis idoneâ.

* Novem. 17.

Deflexerunt animum Regis à pacis conſiliis & ſenatus autoritate, præter ſuam ipſius libidinem, etiam Jeſuitæ & reliqua turba, quorum unica ferme religio eſt inſervire ſuis commodis & imperantis cupiditati obſequi. Illi etenim in aurem ejus perpetuo inſuſurrabant ſupremum regni Senatum ſi conventum illorum ageret, illum durioribus legum nexibus implicitum ab iis cœptis pedem retrò ferre coacturum, quibus ad abſolutum imperium & ſempiternam gloriam aſſurgeret. Monebant igitur ut miſſo Senatûs indicendi ſtudio tanquam ſuis rebus infeſtiſſimo, aut belli expectaret eventum, aut de fugâ in Galliam cogitaret: Si enim implorata militum fide & illorum robore ſubnixus hoſtes in fugam verteret, tunc ſe votorum omnium potentem fore: Sin verò fluxam militum fidem reperiret nec illis credere ſatis tutum arbitraretur, in eo caſu ſi in Gallias transfugeret, inſecuturas in Angliâ turbas dixerunt, ad quas ſedandas paulo poſt imploratus popularium precibus & accitus foret ut duces olim magni in Romanorum & Græcorum republicâ à peregrinis gentibus ad opem patriæ

patriæ ferendam revocari ſolebant. Id ſi contingeret, quod haud dubio populi conſenſu eventurum dicebant, tunc liceret illi pro arbitrio imperium tenere & vin cula ſubditis tanquam jure belli victis imponere.

Rex talibus verbis (*currentem*, ut aiunt, *Stimulantibus*, & palpum animo facilè obtrudentibus, quem ambitio innata ad immodicum rerum faſtigium prius evexerat,) ad majorem ſpem erectus, poſthabita ſenatûs authoritate & judicio, manum cum hoſte conſerere ſtatuit. Ut igitur ſpem & fiduciam amicis ſuis, adverſariis vero & defectionem meditantibus terrorem injiceret, eadem die quâ Sorbiodunum verſus profectionem cœpit, Auriaci copiarum numerum iſtum, quem ego in prioti capite recenſui, & ſuis pluſquam dimidio minorem, in publicum miſit.

Dato à Proceribus ad Regem ſupplici libello confeſtim plurimi ex illis, qui per omne fas ac nefas in ſummis Regis obſequiis erant, quique veniam *reſcribendi principi*, quod natura vendicat, quod jus civile ſuis clientibus indulget, afflictis civibus denegant, ſecreto rumore ſiniſtram famam de illo in vulgus diſſeminabant.

Biduum itaque pòſt * Proceres illi, ut crimen illud diluerent, & pravam de ſe opinionem eximerent omnium mentibus, Supplicem iſtum libellum expreſſis verbis quæ nos ſuprà commemoravimus, in lucem ediderunt. Bilem commovit Jeſuitis iſtud optimatum factum, non neſcii etenim erant tam æquam poſtulationem, tam officio in Regem & in patriam pietate refertam novas offenſiones in Cæſarem à ſenatûs authoritate penitus averſum Civium mentibus inditurâm. Huic malo ut tempeſtivo remedio obviam irent Jeſuitæ editis animadverſioni-

* Novem. 19.

bus * in libellum ſupplicem ſummo quo poterant artificio Præſulum licentiam proſcindebant & adhibitis verborum præſtigiis & inani fuco, prætexebant culpam Regis, cujus apud populum manifeſtus habebatur ob projectam comitiorum Parlamentariorum authoritatem. " Epiſcoporum muneris eſſe, aiunt, nuperorum beneficiorum gratiam Regi potius habere, quam ex injuriarum commemoratione irritatis civium animis ſubdere ignem & materiam ſeditioni. In præſentiâ liberi & frequentis Senatûs conventum agi non poſſe, inquiunt, propter varios populi motus & partium ſtudia. Addunt etiam, quod ſi cupido iſta, quam ſimulant Chriſtianorum, clades antevertendi, nobilium animos inceſſiſſet, officii illorum magis ſuiſſet, interpoſitâ iſtâ autoritate quâ apud Arauſionenſem valebant, hortatores illi eſſe, ut domi cum exercitu maneret, & illi remedium expectarent, quod Rex proximis Comitiis Parlamentariis quiritationibus civium ſponte ſuâ adhibiturus erat. Illud quidem feciſſent, ſi induxiſſent animos Jeſuitarum & Gallorum magis quam ſuis rebus conſulere. At ab hoſte Jeſuitâ fas doceri non putabant, aut neglectâ rerum occaſione, tempus illud Regi permittere quod ſibi ad perficienda deſtinata ſua, ad leges & immunitates Civium ſubruendas exoptavit. Novimus enim quid à Rege jactitatum ſit, *Si cæptis Anglicis fortuna tres menſes amplius Arauſionenſem abſtinuiſſet, res ſuas tunc extra omnia pericula fore.*

* Vide in hiſtor. deſert. pag. 47, &c.

Vana hæc verborum pigmenta, quibus Regis conſilia, *tanquam pallio cadaver*, operire conantur, ſimilem apud Anglos ſortiantur effectum, quem reliqua Jeſuitarum cœpta, quorum omnia craſſi ingenii molimina nihil aliud parturire ſolent, præter majeſtatis

majeſtatis diminutionem Regibus, quorum gloriæ & ambitioni ſerviunt, infamiam religioni Catholicæ, legum ſeveriorum pœnas neceſſarias devotis ejus cultoribus, & ſibimetipſis debitam ſceleribus & conjurationibus nefariis perniciem. Nunc etenim vel imæ Anglorum plebi perſpectum erat, ſupremum regni Senatum, ad cujus arbitrium *Arauſionenſi* & Anglorum Primores provocârunt, eâ de causâ diſtineri, ut Rex, hoſtium viribus ſuperior, de Auriaco & legibus ſimul triumpharet.

Ex eo igitur tempore quo optimates inefficaces fuderunt preces, & per Angliam ubique vulgatum erat, Regem ad fortunam prælii experiundam animum appuliſſe, videre erat populum longe majori contagione inſanientem; & quia iſtius rei fama ultimæ neceſſitatis index erat, Angli ubique fermè variis incitamentis & partium ſtudiis adſtrepunt. Multi dubitabant quid optimum eſſet: multi quid ſibi expediret: multi quid deceret: quamplurimi quid liceret. Nonnulli, quibus vel malorum Regum Sacroſancta eſt poteſtas, quique piaculare crimen eſſe ducunt illorum obſequia detrectare licèt legibus contraria, & reipublicæ pernicioſa imperantium, non ſuo ſolum marte regias juvare partes ſtatuerunt, verum & alios *ire præcipites & occupare pericula* adhortati ſunt. Alii erant, qui quamvis ſuperſtitioſi Regum ſint cultores, ſui tamen non eſſe officii putârunt armatam vim cum illo ſociare, quoniam ſi adverſa pugna Arauſionenſi eveniret, noverant quam acerbiſſimo luctu victoria in legum interitu redundaret. Illi igitur deſides domi ſederunt, ſequeſtrorum potius quàm civium vel ſubditorum munere fungentes. Aliud erat genus hominum, qui in votis pro libertate, pro honeſto, pro incolumitate ſtabant, quique ſuffragiis ſuis militum civiúmque tranſitiones comprobarunt, qui tamen diverſis ſtudiis

& vario meticuloſi animi & fluctuantis turbæ motu agebantur; nonnullos etenim Regiæ inclementiæ terror, & Jeſuitarum minæ, qui proditionis ſupplicia illis comminati ſunt, qui domi ſedentes in auxilia Regis venire negligerent * ad Regis vexilla compulerunt, etſi populi partibus longe proniores eſſent. Alii etſi non ignorarent quid licitum & æquum eſſet, & de ſalute populi Anglicani extimeſcerent, in qua ſuam etiam incluſam videbant, honeſtis tamen periculis quietem incertam prætulerunt, & ſpeculati fortunam, & in eventûs expectatione animo ſuſpenſi, ita compoſuerunt conſilia ut fortunam partium non cauſam ſequerentur.

* Vid. anatom. expedit. Belg. p. 39—

Præter illos vero alius ordo virorum erat quibus ſervitus viſa eſt malorum omnium poſtremum, non bello modo, ſed morte etiam repellendum: qui cum Cicerone viſi ſunt confiteri, *ſe, niſi populi liberatores, conſervatoreſque reipublicæ ſint, pluſquam ſicarios, pluſquam homicidas, pluſquam parricidas eſſe:* Et qui cum illo, *corpus libenter obtulerint, dummodo repræſentari morte ſuâ libertas civitatis poſſit.* Apud eos illi ſoli pro civibus habentur, qui legibus parent, ſocietatem hominum tuentur, qui labores omnes, omnia pericula malunt pro ſuorum ſalute obire, quam in otio ab honeſtate ſejuncto per ignaviam conſeneſcere. Hi non plurimos alios luxuria ſæculi deſides, ſed illos veteres & antiquos æmulantes, ut rempublicam libertati vindicarent ſtrenuam navandam eſſe operam crediderunt: idque eo præſertim ſæculo, in quo ſtudium armorum à manibus ad oculos, ad voluptatem à labore tranſlatum erat. Quo, non animos ſolum ſed & corpora ipſa langueſcere, gladios etiam incuriâ hebetari retundíque viderunt: Sæculo, quo Reges ipſi pro virili

virili nitebantur, ut pauci reperirentur quos corona muralis aut civica decoraret, multi vero quos venalis patriæ ſpolia dehoneſtarent. Illi igitur populares ſuos ubique adhortati ſunt reſumere libertatem, capeſſere quaſi communis imperii curas, invigilare publicis libertatibus & inſurgere. Nemo, inquiunt, tam ſtolidus eſt, qui non intelligat, ſi indormièrimus huic tempori non modo crudelem ſuperbámque dominationem nobis, ſed ignominioſam etiam & flagitioſam eſſe ferendam. Si ſocordiâ etenim & incuriâ noſtrâ committamus, ut Arauſionenſis, qui nos in libertatem nunc aſſerere conatur, virorum multitudine Regi impar iniquam prælii fortunam expertus fuerit, tum nos, libertatis vindice ſublato, & omni in poſterum ſpe auxilii ademptâ, pro Jeſuitarum libitu & arbitrio victoris, plurimi morte, reliqui ſempiternâ ſervitute multabimur. Non ignorabant quodnam eſſet Regis ingenium, quam diverſum à Cn. Pompeii moribus, de quo C. Velleius Paterculus refert, quod *Potentiâ ſuâ nunquam, aut raro ad impotentiam uſus* *; *experientia* etenim, *quæ optima eſt ad veram vitam inſtitutio* † alterius in Rege animi fidem illis fecerat, ipſúmque ad *Sullæ* naturam propius acceſſiſſe, de quo idem Velleius ‖ nobis autor eſt *quod poſt victoriam audito fuerit crudelior*. Notum viris ſapientibus erat, quod in illo Sullæ iſtius conſilium inerat, qui cum Cinnanæ Marianæque partes Italiam obſiderent, exiſtimavit, *Ante frangendum hoſtem* quàm *ulciſcendum civem, repulſóque extremo metu ubi, quod alienum eſſet, viciſſet, ſuperaret quod erat domeſticum* *. Illud de

* C. Vell. Pat. lib. 2. ſect. 29.

† Polyb. lib. 1. ſect. 11.

‖ Lib. 2. ſect. 25.

* C. Vell. Pat. lib. 2. ſect. 24.

Rege Jacobo ut defectionis principes populo perſuaderent, orabant, ut animis contemplari vellent immodicam iſtam licentiam, quâ, poſt Ducis Monumethenſis calamitatem, omnia legum præſidia, & publicæ ſalutis propugnacula expugnavit: quomodo optimum iſtum Senatum tractavit, qui autoritate & ſubſidiis omnibus *Argathelienſis* & *Monumethenſis* rebellionis incendia extinguere conatus eſt: quam inexorabilem etiam tunc in devictos animum gerebat, de quo nos illud non poſſumus dicere quod Cæſari dictum erat, *Vidimus tuam victoriam prælio-rum exitu terminatam: gladi-um in urbe vaginâ vacuum non vidimus* *. At de Rege Jacobo id dici non poterat, plures etenim ille cives, victoriâ iſtâ potitus, poſt martis vim atque iram victoriæ peremit, quam omnes Anglorum Reges ex primâ Normannorum victoriâ ſexcentos ferme per annos vitis ſpoliarunt. Nec viros ſolum ſed fœminas etiam, quæ occupandæ reipublicæ argui non poterant, & quibus captis urbibus parcitur, ſævâ crudelitate patibulis affixas exanimavit. Hæc omnia viri animoſi, & non novandarum rerum, verum priſci moris redintegrandi ſtudio correpti, orationibus ſuis ultimâ neceſſitate expreſſis ad concitandos homines inter ſpem metúmque animi ſuſpenſos ſedulò commemorarunt.

* Pro Marcello.

Haud difficile eſt populum ad arma conciere quos immitis dominatio obſequii impatientes reddidit. Cum Friſiis Tranſrhenanis tributum difficilius, quam pro anguſtiâ rerum, Romani juſſerant: ac primò boves, mox agros, poſtremò corpora conjugum, aut liberorum, ſervitio tradebant. Hinc ira & queſtus, & poſtquam non ſubveniebatur, remedium ex bello, rapti qui tributo aderant milites & patibulo

patibulo affixi * non illud crudelitatis exemplum Angli ſecuti, nec bellum conciverunt, verum cum ſuas non exaudiri querelas, nec calamitatibus ſubveniri conſpicati ſunt, propriâ ſtimulati rabie, & ductorum orationibus concitati, arma ſumpſerunt, non ut vincerent, verum ut vincendi poteſtatem Regi præriperent, eúmque, vi hoſtili, & furore eluſo, ad ſtudia pacis adigerent.

* Vid. Tacit. annal. lib 4. ſect. 72.

Maximum Civilis diſſentionis incendium Septentrionales Angliæ populi, viris Primoribus *frigidam ſuffundentibus*, poſt projectam Senatûs autoritatem excitarunt.

Devoniæ Comes † generis nobilitate, opibus, & clientelis conſpicuus, qui injuriam ſibi illatam cum reipublicæ querelis miſcere poterat, cum primis ad Aquilonem poſt rejectas *nobilium* preces defectionem movit. Cum ille Derventionem ‖ cum comitatu perveniſſet, Prætori urbano chartulam tradidit * cauſas complectentem, quibus ſeptentrionalium provinciarum nobiles † & generoſi, ſe regni calamitatibus ſubvenire ultimâ neceſſitate coactos eſſe dicunt. " Divina humanáque omnia jura violari queruntur, cúmque nullum malorum levamentum niſi è " Parlamentariis comitiis liberè conventis, ſperandum videant ſui eſſe officii dicunt, pro virili opera navare, ut iſtiuſmodi ſenatum concilient, " atque eò magis, quod Princeps Auriacus (quemadmodum ex illius edicto patet) juris ſui, & reliquorum omnium cognitionem illorum diſceptationi permiſſurus eſt: Ex animis (inquiunt) ex-

† Dux nunc Devoniæ.

‖ *Darby.*

* Novem. 21.

† Vid. tract. polit. part. II. pag. 438.

" optamus,

" optamus, & enixè comprecamur, ut Rex iſti con-
" ſilio aſſentiatur: ſperamus etiam eam moderati-
" onem rebus adhibitam fore, ut militares copiæ
" in gremio regni nunc ſtativa habentes, nihil mo-
" leſtiarum Senatui creare poſſint: Sin aliter con-
" ſultum fuerit, quàm nos precamur, profitemur
" quòd acerrimâ qua poſſumus contentione, reli-
" gionem reformatam, leges regni, jura & immu-
" nitates civium propugnabimus.

Eodem tempore inſignis apud *Nottingamiam* factus eſt concurſus civium, pro communi ſalute ſe noviſſimis periculis libenter offerentium. Decimo calendarum decembris* voluntariorum ibi numerum inierunt, & eadem die *Nobiles*, *generoſi*, & *plebeii*, *borealium Angliæ provinciarum*, (illorum verbis utor) *apud Nottingamiam coacti in tutelam Legum, religionis, & rei familiaris, juxta natalitias libertates, & immunitates ſibi, ut hæreditarium Anglorum jus, à majoribus derivatas:* " Officii ſui eſſe dixerunt in-
" ſurgendi conſilium popularibus ſuis palam facere,
" cujus ſiniſtram famam perduelles per regnum vul-
" gaturos, ſe dubio procul habere dixerunt.

* Novem. 22.

" Commemoratis igitur, in variis capitibus, offen-
" ſionibus populi; Uno ore declarant, ſe tyranni-
" dem iſtam & conſuetudinem ad Regis *arbitrium*
" & nutum ſe fingendi, quam Jeſuitæ introdux-
" erunt, non omnino toleraturos. Nolumus, in-
" quiunt, poſteros noſtros iſti ſervituti mancipare,
" quam, oppreſſis legibus, nobis comminantur;
" verùm pro virili latera noſtra iſti opponemus, &
" vires cum Arauſionenſi ſociantes (quem vindicem
" injuriarum à Deo nobis eſſe datum ſperamus)
" manibus pedibúſque contendemus, leges, liber-
" tates, & religionem, quæ pœne conciderunt, ad
" priſtinum ſtatum reſtituere. Idem reliquos,

" non

" non ſine capitis & fortunarum periculo factu-
" ros ſperamus, nec probroſo *perduellionis* nomine
" deterritos fore, cujus inani terriculo nos à præclaro
" facinore revocare, & in ſervitutem, pellicere
" conantur; Speramus etenim neminem, qui ſatis
" ſit ſanus, & æquus rerum æſtimator, *perduellionis*
" eſſe crimen exiſtimaturum leges & religionem
" tueri, quorum incolumitatem omnes noſtri Reges
" nobis *inaugurationis* die ſub juramenti religione
" pacti ſunt: cujus juramenti fides quam fideliter
" nuper liberata fuerit penes comitia parlamentaria
" judicium eſſe cupimus.

" *Perduellionis* eſſe crimen fatemur Regi reſiſtere
" qui ad Legum normam imperio utitur, ille vero
" in tyrannorum numero ſemper habebatur cui
" *arbitrium* pro lege erat; atque ab hujuſmodi Prin-
" cipe ſeorſum ire, non rebellionem eſſe ducimus,
" verum neceſſariam *noſtri defenſionem.* Quod ad
" nuperam Regis benevolentiam attinet, quâ im-
" munitatum chartas municipiis in integrum reſti-
" tuit, & crudele illud iniquumque judicium re-
" ſcidit quod contra *Collegii Magdalenæ* ſocios pro-
" nunciatum erat, manifeſtum eſt ſimili conſilio ea
" fuiſſe indulta, quo puerulis mellitas placentas dare
" conſueſcimus, ad animos illorum parumper deli-
" niendos; quod ſi iſta delinitio populi furorem eò
" uſque compeſcuerit donec deſævierit temporis
" procella, tunc, rebus in tuto iterum collocatis,
" majori vi in leges inſurgetur ——

Cum viri nobiles, edictum illud ſeceſſionis cauſam neceſſariam complectens in vulgus edidiſſent, frequens ſtatim ad illos illorum civium concurſus fiebat, qui ſervitutem & calamitatem omnem à republica deprecati ſunt. Traxit illorum contagio, unà cum temporis neceſſitate plures ad Aquilonem populos.

Danbiæ

Danbiæ Comes (nunc Dux Leodi) inſigni deſectioni in provinciâ Eboracenſi ſe caput præbuit. Ille, ſumptis in cœpti ſocietatem, Domino *Blanodunenſi* * nunc Carmartheniæ Marchione majori natu filio, Domino Fairfaxio inter primarios nobiles clientelis & amicitiis potenti, cum multis generoſis dignis republicâ, moribuſque priſcis antiquos patriæ liberatores repræſentantibus, *Eboracum* Urbem in primis ſeptentrionalium provinciarum maxime claram, occupavit. Illi quemadmodum & omnes alii à Rege deſciſcentes non aliud ſibi propoſitum habebant, quam ut illius animum ad Senatus authoritatem flecterent. Illorum exemplo confirmati Stationarii milites ad *Hullam* munitiſſimum in Eboracenſis provinciæ boreali nomo † propugnaculum, occupato Domino *Langdalio* urbis præfecto, quem leges regni extra omnium muniorum ſortem poſuerant, unà cum *Montgomerio* viro etiam nobili, & datâ militibus rude, qui legibus obnoxii erant, propalam ad ſenatus authoritatem uno ore provocarunt.

* Lord *Dunblane.*

† *North riding.*

Dum hæc in Aquilone geruntur, in occidente etiam cognito Regis conſilio, *Monumethenſis* incendii cineres pluſquam triennium jam ſopiti, acrius quam hactenus recaluere, occidentales etenim pagani cum vident libertatem non ſine armis eſſe obtinendam, ad alienigenam exercitum plurimi ad reſtinguendum commune incendium, nonnulli forſan ad conſanguineorum manibus in *perduellium* ſupplicio parentandum, adeo furibundi concurrunt, ut metu magis quam fide antea quietos fuiſſe crederes. Creſcebat jam indies illorum adventu exercitus, donec *Schombergus* (cujus memoria, uti & majoris natu ejus filii, præmaturo nuper ſed glorioſo fato in *Taurino-*

rum

rum regione extincti, bonis omnibus ſemper erat ſacratiſſima ſatis, ut aiunt, militum eſſe conſcriptum diceret.

Accepto harum defectionum nuncio, multi & varii timores Regem Sorbioduni cum exercitu agentem, animi diſcruciârunt. Neſcio utrum alibi terrarum ſervitia militaria religioſiùs quam in Anglia Imperantis voluntati obſequi ſtudeant, certè nunc multorum concordia vix ſiſti poſſe videbatur. Viderunt quamplurimi, regem, renunciatâ Senatûs autoritate, illis furoris ſui & indomitæ libidinis ſatellitibus uti: Atque iis venit in mentem ſuis tergis, ſuis cervicibus arma illa imminere, quæ ad aliorum metum præferrent. Suſpicionem iſtam ut in majus augeret, & copiarum fidem magis fluxam redderet, Arauſionenſis literas exaravit ad exercitum in quibus ita milites alloquitur.

" Non poteſtis non videre vos tanquam Machi-
" nas adhiberi ad convellendam reipublicæ liberta-
" tem, & extremum fatum religioni arceſſendum,
" quibus peractis, quid vobis poſtea ſit expectan-
" dum facilè animi conjecturâ colligere poteſtis,
" tum ex eo quod in Hiberniâ non optimates ſo-
" lum militiæ, verum & gregarii milites omnes An-
" glici nominis & religionis, exauctorati fuerint:
" tum quod Hibernici in Angliam ſint allati, ut in
" veſtra loca ſufficerentur, cujus tam recens ex-
" emplum ob oculos habetis, ut fruſtraneum ſit il-
" lud vobis commemorare. Non ignoratis quàm
" multi è primoribus exercitûs contubernales veſtri
" malè multati fuerint propter obſtinatam fidem
" in religionem, & leges Angliæ nec voſmetipſos
" ita poteſtis adulari, ut ſpem concipiatis, ſortem
" veſtram potiorem fore, ſi illi, qui fidem toties fe-
" fellerunt, veſtrâ operâ adjuti, iis, quibus nunc
" premuntur, anguſtiis expediti fuerint. Spera-
" mus

" mus etiam vos falſo honoris nomine non forè lu-
" dificatos, verum cum animis veſtris cogitaturos,
" quid Deo, quid patriæ, quid vobiſmetipſis, quid
" poſteris debeatis; quorum curam habere, veri
" magis honoris eſt, quam privato qualicunque re-
" ſpectu aut officio duci.

Quouſque in militum animos Oratio iſta ſe inſinuaverit, & illorum labefactaverit fidem, difficile eſt conjecturâ conſequi. Diſcors certe exercitus erat, nec ad unum intentus imperium, vario tumultu omnia turbavit. Maxima pars militum animis cœci, & ignari neceſſitudinis, quæ nobis cum republicâ intercedit, ſuum id officium putabant, ſe periculis omnibus pro Rege offerre, cujus ſtipendia meruerant. Alii qui ſe non in perniciem reipublicæ tela ferre arbitrabantur, néque contra Regem, neque pro eo ſe pugnaturos dicebant, verùm ſi è Regis culpâ ad dimicationem ventum foret, ſe arma depoſituros. Alii ſimili oratione inter ſe uſi ſunt quâ M. Val. Corvus in ſeditione militum: *Fugeris honeſtius, tergúmque civi dederis quam pugnaveris contra patriam, nunc ad pacificandum bene atque honeſte inter * primos ſtabis.* Illi igitur glorioſius rati ad exteros tranſire, cum tranſitio iſta reipublicæ pacem & incolumitatem allatura eſſet, quam pro Rege pugnando ſervitutem patriæ arceſſere, de transfugiendo ad hoſtes ſolummodo cogitarunt. Atque tres cohortes peditum, quorum contubernia remotiùs è Sorbioduno verſabantur verſus primorem hoſtium aciem, tranſitionem auſpicantes, deprenſæ, & in officio ab aliis retentæ erant. *Kirkius* Defectionis iſtius princeps, qui cum *Trelaunio* Tribuno Militum & aliis conſpiraverat, non ſatis manifeſtus Seceſſionis, plus vero quàm ſuſpectus Londinum in cuſtodiam relegatus erat.

* Liv. lib. 7. ſect. 40.

Rex

Rex curis ingentibus æger propter militum affectus in quibus gliſcere iracundiam & diſcordiam videbat, varios cratiatus perſentit, interdiu narium Hæmorrhagiâ ſæpius laboravit, & quaſi carnificinam in pectore circumferret, nocturnum tempus (ut aiunt) quod omnibus animantibus ad quietem, hominibus etiam ad curarum laxamentum natura tribuit, illi in horrores & ſupplicia convertitur. Ne latius vero inclinatis ſemel ad defectionem, animis, res ſerperet, utque ad ſua iterum illos officia revocaret, qui in alienas partes deſciverant; promul-
" gavit edictum * quo pro-
" ditionis gratiam profugis. * Novem. 22.
" fecit, & exteris, aut veniam domum revertendi,
" aut ſtipendia militaria promiſit, ſi ſub illo mere-
" ri vellent. At incaſſum hæc & ſurdis locutus eſt, nemo etenim partium ſtudia retractavit, quæ reipublicæ causâ, urgente jam ultimâ neceſſitate non niſi inviti inièrunt; nec illorum cohortationibus in obſequio contineri poterant, qui in crimen transfugiendi perpetuò invehebantur, qui admonebant illos quid facinoris in Regem, quid in Deum ſacramenti militaris teſtem, quid adverſus morem militiæ diſciplinámque majorum, quid adverſus ſummi imperii majeſtatem auſuri eſſent. Vident omnia ſtatim interitura, ſi certaminis avidi in prælium ruant, nec libertatem Anglorum Auriaci calamitati diu ſuperſtitem forè; vident ſibi vel ad hoſtem tranſeundum vel miſerè pereundum eſſe. Auxit indies illorum timorem Regis animus, in ſpe ultimâ (ut ſimulavit) obſtinatus ad dimicandum. Dum Sorbioduni etenim cum exercitu erat, plurimi è Proceribus frequentibus eum precibus orarunt, ut abjecto pugnandi ſtudio rem ad Senatum referret, at cum ille ad ultimum in eâdem ſententiâ perſeveraret, nullam ſibi ad ſalutem viam

viam patere arbitrantur, niſi ad Arauſionenſem tranſeundo. Quapropter primarii nobiles Georgius Cimbriæ Princeps, Ormoniæ & Graftoniæ Duces, Dominus Churchillus cum aliis Proceribus ad Arauſionenſem in *Clariſontis* Caſtro * hoſpitium habentem, clam transfugerunt. Princeps Cimbriæ, & Ormoniæ Dux vir natalibus digniſſimus, non ante Regem deſeruerunt, quam derelicto exercitu Londinum petiturus *Andoverium* pervenit, reliqui è Sorbioduno fugerunt. Princeps Daniæ cui Anna Principiſſa, Regis filia, in matrimonio erat collocata, Epiſtolam ad Regem miſit in quâ tranſitionis culpam honeſtâ excuſatione prætexuit. " Numinis à " ſe favorem deprecatur niſi ab omni pravâ libidine " vacuus iſtud conſilium ſecutus fuerit. Degene- " rem ſe fore & inglorium ait, ni generoſis eorum " conatibus ſe fautorem præberet, quorum jam u- " nicum negotium eſt Regiam majeſtatem ab er- " rore in rectam viam perducere, leges regni ſubla- " tas reſtaurare, & priſtinum revocare rerum mo- " deramen, ſine quibus nec Regis nec Religionis " incolumitas conſiſtere poſſit Id ſibi non fuiſſe " detrectandum, ait, tempore, quo Gallus zelum " erga religionem ſimulans, omnibus ad arma con- " clamandi neceſſitatem imponat.

* *Shirburn-Caſtle.*

Dominus etiam *Churchillus*, miſsâ ad Regem " Epiſtolâ, ſummum erga eum obſequium, & ma- " ximam ob accepta beneficia gratitudinem re- " ferente, religioſe profiterur, ſe, ſtimulante con- " ſcientiâ, cogente rerum diſcrimine, ab illius ob- " ſequio deſciſcere, cujus vitam, & jura omnia ſe " cum capitis & fortunarum periculo ſemper pro- " pugnaturum pollicetur.

Churchillus ſupra alios omnes ferme ob defectionem proditionis arguebatur, propter ſummam Regis

gis in illum munificentiam. Mihi verò glorioſum facinus, non crimen videtur, ſi ille, quemadmodum de Tullio Cimbro dicitur, *Immemor beneficiorum memor patriæ fuit*: Sive, ut de Publio Scipione Mnaſicâ memoriæ traditum eſt, *Patriam cognationi prætulit, & quicquid publicè ſalutare non eſſet, privatim alienum exiſtimavit* *.——

* C. Vell. Pat. lib. 2. ſect 3.

Interea temporis dum omnia regni loca erant tumultûs, timoris, fugæ plena, & novâ contagione non coloni modo, ſed caſtra quoque inſanièrunt; quum milites plerique, quam primum oblata ſibi eſſet occaſio, imperium auſpiciumque Regis abnuere, & militiam detrectare ſtatuiſſent: ingens terror Jeſuitas apud Londinum concuſſit, non conſuetæ jam minæ, non vetus ferocia inter illos cernebatur, ſed attoniti vultus & converſæ ad omnia aures, non tumultus, non quies, quale magni metûs & magnæ iræ ſilentium eſt †. Illi jam cum reliquis perduellibus, partibus illorum amiciſſimis, qui ſe communi ſcelere in reipublicæ perniciem obſtrinxerunt; cum aliquandiu deliberaſſent, quid Regi factu eſſet conſultiſſimum ſtatuerunt tandem abjiciendum dimicationis conſilium, nihilque tutius afflictis rebus receſſu fuiſſe. Extat etiamnum epiſtola ad Regem è Londino *Sorbiodunum* miſſa, in quâ admonetur, amicos omnes unanimiter in eo conſentire, ut è caſtris domum reverteretur, dein fugâ è regno ſe proriperet & relinqueret omnia turbarum & tumultûs plena, namque in eo caſu *Talis rerum perturbatio inſequeretur, ut intra biennium aut minus eo, poſtliminio regnum recuperaret, & pro arbitrio imperare poſſet.* Jeſuitarum iſte, & Gallicæ factionis dolus erat, qui noſtrâ è diſcordiâ aditum ad gloriam ſe Gallo patefacturos arbitrati ſunt. Id

† Vid Tacit. hiſt. lib. ſect. 40.

optimatibus regni ſuboluit, indéque factum eſt quod magis properi conſiliorum poſt Regis ab exercitu receptum, rerum adminiſtrationi conſuluerunt, & induſtriùs vitarunt omnem diſcordiam, & iniqua partium ſtudia, quæ noſtræ reipublicæ exitio forè inſidiatores ſperabant.

Audita Procerum tranſitione, tantus terror Regi inſedit, ut magis jam de fugâ quam caſtrorum defenſione putaret. Mœrebat & angebatur cum ad omnia raptim iſſet, & videret fortunam (ut ipſe putavit) rapientem omnia ex votis eluſiſſe ſpem ſuam. Cùm igitur in prætorium ſe contulit ſummæ rei nimis diffidens, & ſpem in irritum redactam putans, ſubitùs per exercitum & inanis rumor emanavit, neſcio utrùm caſu an induſtriâ vulgatus, Arauſionenſem cum toto exercitu in propinquo adeſſe: quo audito, Rex ſtatim, abjecto prælii concilio ſeptimo Calendarum decembris *, derelicto exercitu, *Andoverium* primâ luce, & inſequenti die Londinum reverſus eſt: exercitus quoque, ſignis converſis, eodem tempore è Sorbioduno retro ad Pontes † pervenit.

* Novem 25.

† Redingam.

‖ Lib. 1. pag. 71— *Optimi*, inquit Polybius ‖, *Ducis officium exiſtimandum eſt, poſſe non ſolùm vincendi, verum etiam cedendi tempora perſpicere.* At neutrum horum Jacobo Regi perſpectum erat, conſtans etenim omnium ferme opinio eſt, qui tunc utriuſque exercitûs ſtatum cognoverunt, plures, ſi ad prælii diſcrimen ventum foret, inani honoris nomine pellectos, firmos in obſequio Regis ad ultimum manſuros, quam Auriaci copiarum & transfugarum numerus eſſet.

CAP.

CAP. III.

Complectens res contra Regem geſtas uſque ad tempus illud quo regno diſceſſit.

QUI res geſtas ſuperiorum temporum hiſtoriarum monumentis conſignârunt, prodiderunt memoriæ noſtræ, copias ingentes, ſine ullâ dimicatione, vel in fugam ſe conjeciſſe, aut ſemetipſos in deditionem hoſtium permiſiſſe. Id videre erat in præclarâ iſtâ honorum contentione, quæ Vitellio cum Veſpaſiano interceſſit, in quâ commemorandâ auctor nobis eſt Tacitus * *huc cecidiſſe Germanici exercitûs gloriam, ut ſine prælio, ſine vulnere vinctas manus & capta traderent arma.* Id minimè ſanè mirandum erat ſæculo iſto, quo nihil publicè ſine auſpiciis nec domi, nec militiæ gerebatur, quo inanis timor hominum mentibus inſidebat, & vel è conſpectu leporum, aut avium garritu & volatu, aut animalium extis fatorum omina colligebant. At nos majus longè prodigium narramus, quod cum in publicis literis poſteris tradetur, laborabit fine dubio Annalium noſtrorum fides. Incredibile illud eſſe dicent, tempore, quo religiones iſtæ inanes, & animorum terricula obſoleverint, Regem Britanniæ, qui fortiſſimum, ampliſſimum, & amantiſſimum Regum exercitum regeret, cujuſque fortitudo, & eximia militaris peritia ſupra omnes fermè plurimarum palmarum Imperatores paraſitorum laudibus cumulata erant, tam animo forè diffidenti, tam falsâ hoſtium adventûs famâ territum, ut priuſquam *Arauſionenſis* legiones à ſtationibus ſuis in remotâ Devoniæ provinciâ ſigna moverent, famæ diſſimilis

* Tacit. hiſt. lib. 3.

ſuæ, conclamaret ſtatim vaſa, receptui caneret, & victoriam incruentam hoſti ſine prælii diſcrimine relinqueret. Ego, quemadmodum ſuperius memoravi, id divinitus contigiſſe arbitror; *Dii*, inquit Polybius *, *virtutem impertiunt non illis qui injuriarum ſunt authores, ſed iis qui ſe contra injuriam defendunt.* Et niſi virtutem à Deo Regi diremptam, injectámque trepidationem confiterer, viderer mihi providentiam illius, *cujus lege* (vel Ethnico † teſte) *immobilis rerum humanarum ordo ſeritur*, ex humanarum rerum vigiliis ſe movere.

* Polyb. lib. 15. ſect. 4.

† Vid. Liv. lib. 25. ſect. 6—

Verùm ne ambagibus lectorem diutius morer, in hoc capite, ſummâ quâ poſſum moderatione animi & æquitate, res contra Regem geſtas intra duo iſta inſignia temporum intervalla, è fuga nimirum Sorbiodunenſi uſque ad tempus illud quo in Gallias profugit, *Rerúmque reliquit habenas.* Virg.

Sexto calendarum Decembris * Rex, poſt vulgatam Auriaci adventûs famam, Londinum ab exercitu revertebatur, eò quam primum perventum eſt, ad deplorandum iſtum mœrorem, quo civium defectio, & tranſitio militum, mentem ejus perculerant, novum malum acceſſit. Regi etenim ſtatim allatum eſt, *Annam Principiſſam*, minorem natu filiam, quam *Georgio Cimbrico* Principi in matrimonio locaverat, in transfugarum numerum ſemetipſam aſcripſiſſe. Illa gnara & prudens impendentium malorum, in tantâ rerum perturbatione, & periculoſorum rata ſe in fidem Societatemque Jeſuitarum & aliorum perduellium committere, tranſitione etiam ſaluti ſuæ conſuluit. Epiſcopus Londinenſis, urgenti jam temporum conditione, ab Anna Regis filiâ oratus, ſe itineris ſocium illi præbuit. Poſt ſecretam illius fugam,

* Novem. 26.

gam, fremebant ſtatim *prætoriani Milites*, qui circa Albam Aulam ſtationes obtinebant; emanavit in illos rumor, *Principiſſam* dolo clàm interemptam fuiſſe, adeò ut illi à perduellibus vix manus abſtinerent. Ad illorum igitur rabiem compeſcendam, neceſſum habuerunt epiſtolam ab eâ ad reginam miſſam, & fugæ cauſam complectentem, in lucem edere, ut illius indicio certiores fierent ipſàm impiorum manibus non interiiſſe. In eâ epiſtolâ * cum omni obſequio officium illud memorat, quod Regi & Reginæ ſe debere profiterur. Dicit *ſe ad ſimultatem & iracundiam Regis vitandam, & ad tuendam illius ſalutem, quod marito etiam ſuo & Principi Auriaco curæ*, dicit, *erit, itineri iſti ſemet-ipſam committere. Se in remotâ regione manſuram, donec motuum compoſitorum, & pacis reconciliatæ lætum nuncium acceperit; Se ſperare id Senatûs auctoritate, cujus obtinendi gratiâ, Proceres tam frequentes à Rege deſciſcunt, ſine ſanguine & vulneribus effectum iri.*

* Quam vide in tract. polit. part. II. pag. 433.

Qui in alieno Orbe, rerum noſtrarum neſcii, hæc omnia Civium, amicorum, generi ſui, ſervitiorum militarium, & filiæ denique à Rege transfugia audiverint, ut infortunium forſitan Regis, ſic cauſam, credo, noſtram miſerabuntur: Nec exiſtimabunt, ſi modo æqui ſint rerum æſtimatores, populum in ea delicta contra morem officii prius irruiſſe, quam graviſſimis injuriis laceſſiti, in ultimo rerum naufragio neceſſitate coacti eſſent. Illud ego Plinio juniori † certè aſſentior, quod *non unquam deceptus eſt Princeps, niſi qui prius ipſe decepit.* Atque ſi non univerſim, & omnibus in terris id verùm eſſet, attamen in Anglià fide dignum videretur; Nuſquam etenim terrarum, acriori animorum ver-

† In panegyr. ad Trajan.

borúmque contentione, homines *perduellionis* crimen, quam Angli hoc poſteriori ſæculo inſectati ſunt. Si cui verò fides mea hæc referentis erit ſuſpecta, ſi quiſpiam parum credulus interrogaverit, *Unde ergo tot obſequentis populi deſectiones*, ego reſponſum adornabo, à Senatu Romano in conſimili causâ factum, *ibi pacem eſſe fidam ubi voluntarii pacati ſunt: Neque eo loco ubi ſervitutem eſſe velint, fidem ſperandam eſſe* *. Rex noſter ſe ope dogmatum Eccleſiæ Anglicanæ, nimis, ut quidam arbitrantur, Regis libidini indulgentium ſtatum reipub. & omnia legum præſidia convulſarum ſperavit. Humani verò ingenii propenſionem non ſatis animo ſecum contemplabatur. Id neutiquam proſpexit, Anglos cum Polybio † cenſere, *Non permittendum cujuſquam principatum in tantum creſcere ut neque de manifeſtâ juſtitiâ apud eum dubitare liceat. Nihil*, inquit ille, *prædatoribus aut iis qui res novas moliuntur, tutum eſt.*

* Liv. lib. 8. ſect. 21.

† Polyb. lib. 1. ſect. 23.

Rex, cui ſemper, cum reliquo mortalium genere, moris erat, miteſcere in adverſis, videns fortunam ſpem ſuam fruſtrari, ad molliora iterum viſus eſt redire conſilia, atque omnia ſuis gratificari; & quemadmodum de Agrippinâ dicitur, *quod ne malis tantum facinoribus noteſceret, veniam exſilii pro Annæo Seneca, ſimul præturam impetrat, lætum in publicum rata, ob claritudinem ſtudiorum ejus* ‖. Ita Princeps noſter, gnarus ſe ob malè adminiſtratam rempublicam inſigne odium civium meruiſſe in anguſtias conjectus popularium benevolentiam captare cœpit. Principio rerum omnium, poſtquam Londinum è Sorbioduno rediit favori civium ſelificaturus, *Edwardum Haleſium*, Militem, qui Arcis

‖ Tacit. annal lib. 12. ſect. 8.

cis Londinenſis cuſtodiæ præerat, à præfecturâ iſtâ, cujus per ſtatuta regni exors erat, ſtatim ſubmovit, & in locum ejus *Bevillum Skeltonum* ſuffecit, virum inter equites Anglicanos etiam nobilem; &, ſi non legibus, ſimultati tamen civium & ſuſpicioni aliquatenus obnoxium. *Haleſius* iſte Tribunus ille militum erat, de quo in ſuperiori libello mentionem feci, quem Jacobus Rex in regni initio, contra *legum pœnalium* ſanctionem in locum iſtum coopravit, & in quem, leges provocaturus, & illorum robur omne relaxaturus, in fictâ perſona litem intendi curavit. Ille diſpoſitis, in terrorem civium, cuſtodibus perduellibus, & tormentis bellicis, in mœnibus arcis, adeò Londinenſium animos inflammaverat, ut Regi compertum eſſet, ſe nullis verborum blanditiis, aut lenociniis factorum, civium benevolentiam ſibi conciliaturum, donec *Haleſius* iſte de gradu iſto dejiceretur. Illius ergo diminutionem iracundiæ Londinenſium indulſit, & in locum ejus ut dixi, *Skeltonum* ſucceſſorem dedit, conſiliorum non Angliæ ſolùm, verum & univerſæ Europæ, perniciioſorum *, ut multi credunt, cum illo participem.

* Clandeſtinum fœdus innuit cum Galliarum Rege initum.

Poſt abrogatam *Haleſio* Turris Londinenſis præfecturam, quod, ad conciliandos illorum animos, oppidanorum querelis indultum erat, alio confeſtim promerito majoris benevolentiæ ſpeciem præ ſe tulit; ſimulavitque ſe id facturum, quod, ad ſanandas popularium mentes & tumultus regni ſedandos, omnes Anglorum Ordines votis omnibus fieri comprecati ſunt. Vocata etenim illorum Concione, qui ſunt aſſeſſores regii, & conſiliorum ſecretiorum participes, quarto calendas Novembris † in *Sanctiori Concilio* ſupremo regni cancellario in mandatis dedit,

† Novem. 28.

ut emitteret rescripta & Comitiis Parlamentariis Westmonasterium decimum octavum Calendarum Februarii diem ad conveniendum ediceret.

* Januar. 15.

Si Rex seriò jam quamvis serâ sapientiâ, qualem Phryges, quibus Angli se oriundos gloriantur, in rebus gerendis adhibere solebant, pacem cogitasset, & ad Senatûs auctoritatem appulisset animum, imperio à majoribus relicto incolumi etiamnum sine dubio frueretur. Crediderunt vero viri sagaces, quorum opinionem mox eventus confirmavit, ipsum sincerâ tum fide non egisse; verum suadentibus perduellibus omnium aliorum dolorum artificibus, consilium istud ad credulos ludificandos simulavisse, cujus subterfugiendi facile mox prætextum reperiret. Et sane quod Appius Claudius in Tribunitiâ olim seditione questus est, *Quicquid patres faciunt displicet: sive illud pro plebe, sive contra plebem est* *. De Rege Britanniæ plurimorum simultatis ratione habitâ, jam aliquatenùs dici poterat. Ille etenim promissorum toties fidem fefellerat, & Anglorum luserat vota, ut ad saniora jam consilia rerum suarum iniquitate necessariò conversus, in iis cœptis quibus promereri populum studuit apud plurimos doli suspectus erat. Credo equidem magnam hominum partem ità à naturâ imbui, ut, si repetitis injuriis gravius in illos consultum fuerit, ingenium illorum contemplante cum Polybio fateri cogamur, *Nullum ex reliquis animalibus homine atrocius atque efferatius esse: cui si interdum veniam aut impunitatem aliquam concesseris aut aliter eum benignitate fueris prosecutus, id omne dolum fraudemque existimans deterior fit, & erga beneficum magis infidus* †. Anglorum vero pars maxima talis ingenii speciem præ se non

* Liv. lib. 5. sect. 3.

* Polyb. lib. 1. sect. 23.

non tulerunt, etsi etenim fidem Regis in consilii istius novitate, à quo semper antea alienus erat, jam suspicarentur: plurimi tamen, tanquam reipublicæ Cæsarisque incolumitati jam satis prospectum esset, singulari gratulatione beneficium commemorarunt; tantoque gaudio Senatûs mox conveniendi gratia omnium animos affecit ut Classiarii milites, cujus generis hominum ingenium maximâ ex parte, ad tempestuosi maris naturam proxime accedit, læti nuncium acceperunt. Baro Dartmuthiensis Classis Præfectus, cum Domino Berkleio, & Rogero Stricklando equite Anglicano, navium vexillariarum Præfectis, & duo de quadraginta aliis Classiariorum militum optimatibus audito Regem diem comitiis Parlamentariis indixisse Calendis Decembribus * nuncium ad eum ablegarunt cum supplice libello, in quo gratias egerunt Regi, *Quod, tempore quo sacrosancta ejus majestas in maximo vitæ discrimine versaretur, & belli fortuna multi Christiani sanguinis effusionem intentaret, dignatus esset senatum convocare, præter quem nihil jam reliqui haberent ad simultates civium tollendas.*

* Decem. 1.

Eodem tempore † quo Rex Britanniæ post reditum e Sorbioduno administris suis in sanctiori concilio propalàm edixit, se acturum Senatûs conventum, prodiit in publicum tertia Arausionensis declaratio (ut titulus præ se tulit) in eâ nescio quæ ficta persona Arausionensis nomine, populo edixit, " Se perdu-
" elles omnes, quos contra legum præscriptum, aut
" aperto in campo aut in suis ædibus cum armis
" deprehenderent, aut civilis militarisve officii mu-
" nere fungentes, non eâ tractaturum humanitate,
" quæ militibus generosisve debeatur, verum in
" sicariorum latronúmque numero habiturum, &
" libidini militum permissurum, &c.

† Novem. 28.

Decla-

Declaratio ista ab audaci aliquo ardelione, nescio Principe Auriaco, quemadmodum ipse palam profitebatur, Londini in vulgus missa, terrorem non mediocrem incussit illis omnibus qui per omne fas ac nefas Regiam tueri causam contra communem utilitatem animis secum statuerant; illis verò, qui ex adversâ parte patriam in libertatem vindicaverunt, augescebant animi, & contra legum eversores acrius insurgebant. Quibusdam in locis (verum illud non subterfugiam reticendo) immane Vulgus furori non temperans, quem Sceleratorum hominum injuriæ in pectoribus illorum accendebant, ædium ruinâ publico gaudio litaverunt; quasi instar ultionis videretur cernere eversas illorum domos, qui rempublicam subvertere perfidam navârant operam. Imo longius adhuc furor iste processit, & nonnulla Jesuitarum sacella à plebe lymphatica, reclamantibus licet melioris existimationis civibus, iis in locis complanata sunt, in quibus Jesuitæ, dum res suæ sub Jacobo integræ erant populum sceleribus suis vexârunt. Hæc ego quando commemorem, & furibundæ nunc, plebeculæ rabiem cum ignaviâ istâ comparem, quâ, non ità pridem Jesuitarum audaciam pertulerunt, illud mihi occurrit quod Livius * dicit, *Hæc natura multitudinis est: aut servit humiliter aut superbe dominatur: libertatem quæ media est nec spernere modice, nec habere sciunt.* Ut ego vim istam contra privatorum lares atque ædes Deo sacratas perpetratam ex animo detestor, ita crimen nullâ excusatione prætexendum censerem, si viri exempli recti & primi ordinis, qui optimo animo, summo consilio, & bonis artibus in vulgus grati erant, & non colluvies & quisquiliæ populi, quorum delicta & decori ignoratione semper proveniunt, illius auctores extitissent.

* Liv. lib. 24. sect 25.

Eadem

Eadem tempeſtate, quâ tumultus iſti in Angliâ graſſabantur, Scoti quoque, nunc ad ſpem libertatis ſub Arauſionenſi erecti, motus domi conciverunt, miſerúntque in Angliam oratores liberi & frequentis Senatûs conventum à Rege oratum, ut comitiorum iſtorum adminiculo, non in præſentiâ tantùm, verùm in perpetuum etiam, ſummâ tranquillitate, & ſuis libertatibus fruerentur. Ad Senatum ubique tanquam ad malorum omnium levamentum ab omnibus provocatum eſt, & ad ejus conventum obtinendum, præter eas, quas ſuperius recenſui, plures adhuc Anglorum defectiones inſecutæ ſunt.

Dux Norfolciæ, priuſquam ad Icenos * de conſilio Regis allatum eſſet, ipſum nimirum ad ſenatum animum adjeciſſe, coacto frequenti Icenorum multitudine, quos gentilitia inſignia decorant, in *Norfolciæ* provinciâ, cujus Satrapiam Dux ille *Mareſchallus* Angliæ obtinuit; palam omnibus vulgavit, ſe in Senatûs & religionis vindicias cum reliquis conjuraſſe. Norwicus caput iſtius provinciæ eſt, eò Norfolciæ Dux armatâ manu ſtipatus, ſummâ feſtinatione pervenit, & Calendis Decembribus † comitum ſuorum & civium frequenti coronâ cinctus, in foro nundinario brevi oratione *Prætorem* Urbanum reliquorum nomine compellavit.

* Norfolciæ populos.

† Decem. 1.

" *Animis*, inquit, *noſtris penitus perſuaſimus, nihil* " *in publicis calamitatibus, quibuſcum in præſentiâ con-* " *flictamur, præter liberum ſenatum* excogitari poſſe, " ex quo legum, libertatum & religionis columen " ſit ſperandum. *Huc igitur eo ſolum animo conve-* " *nimus ut propalàm omnibus ediceremus* nobis ſtatu- " tum eſſe ſummâ ope niti, ut comitiorum iſtorum " adminiculo incolumitati rerum noſtrarum conſu- " lamus. Et quoniam Regiæ majeſtati viſum eſt

" (quem-

" (quemadmodum hodierno nuncio certiores facti
" ſumus) emiſſis reſcriptis, decimum octavum Ca-
" lendarum Februarii die n Senatui ad convenien-
" dum edicere, nihil ergo ſupereſt, quin ut meo,
" & horum omnium nomine, dicam, nos ſemper
" fore paratos, ut omni ope noſtrâ, legibus, liber-
" tatibus Civium, & religioni ſubveniamus.

Auditâ Ducis oratione, ſtatim Prætor, Senatores Urbani *, municipes † omnes cum frequenti hominum multitudine ſententiam ejus ſuis ſuffragiis comprobarunt. Dux ipſe ut moderationis ſuæ omnibus documentum faceret, oſtenderétque non tam res novas quam reipublicæ utilitatem ſibi cordi fuiſſe, cum videret temerariam plebem magnâ multitudine ſe illic in unum conglobaſſe, præcepit omnibus ut nullos concierent tumultus, verum quieti domum irent. Rex etenim, inquiebat ille, jam ſenatum convocare decrevit, atque ita veſtra omnium voluntati tandem obſequi dignatus eſt.

* Aldermanni.
† Burgenſes.

Paulò poſt eadem declaratio ad *Garienis* oſtium ‖, portum oppidúmque elegantiſſimum in agro etiam Norfolcienſi, cum ſummo civium conſenſu iterata erat. *Lumen Regis* etiam *Dux Norfolciæ* eodem generoſorum præſidio munitus pervenit. Ibi Prætor & Seniores Civitatis cum multis incolarum Centuriis dato ſupplici libello in foro mercatorio, *Ducem patronum*, ut aiunt, *ſuum, periculorum admonuerunt*, quæ non à domeſticis ſolum, verum & externis etiam hoſtibus * ſibimet obverſarentur: illum etiam comprecati ſunt ut ille res illorum ità in eo articulo diſponeret, *ut non minori fiducià & zelo, quam reliqui Anglorum, ſe legum, religionis, & priſci rerum in Anglià moderaminis vindices præſtare auſint.* Votis illorum

‖ *Yarmouth.*

* *Gallis.*

lorum Dux ſtatim annuit, & in illorum præſidia equitum peditúmque militiam accerſens, profitebatur neminem illo alacriorem omnia vitæ & fortunarum diſcrimina pro iis omnibus adituruм *. Auſtrales etiam *Iceni*, Suffolciæ nimirum provinciæ populi, Norfolcienſium cœpta comprobarunt, verùm quia Præfectus provinciæ illis deſuit, quem caput cœptorum ſibimet aſciſcerent, non illi catervatim, & in ordinem digeſti, quemadmodum alii, pro ſalute publicâ in unum coiverunt. Etſi etenim Angli nobiles ſuos non eodem ſervili obſequio colunt, quo *Hibernici*, & occidentales *Scoti* illis oriundi *Phylarchas* ſuos; nec eodem cultu nunc eos proſequuntur, quo non ita pridem ſolebant, priuſquam jura *Servitii* & *feudarum Militarium*, ſub Carolo primo, lege erant abolita; omnia tamen inſigniora facinora ſub illorum auſpiciis ſuſcipere geſtiunt, & apud Anglos fidem obtinet quod à Cicerone dictum eſt, *homines nobiles, ſeu recte ſeu perperam facere cœperunt ita in utroque excellunt, ut nemo noſtro loco natus aſſequi poſſit* †.

* Vid. tract. polit. part. II. pag. 438, 439.

† Cicero pro P. Quinctio.

Eodem tempore quo *Iceni* iſti, perditis jam ferme rebus, & cum prope deſperatum de republicâ eſſet, arma ſumpſerunt ut *Britanniam* è manibus hoſtium eriperent, matréſque Anglicanas & liberos parvos inviolatos ſervarent, quibus quid natura nobis jucundius quid carius eſſe voluit? *Cornaviorum* & Silurum nonnulli, quos ſub immiti Jacobi Regis imperio eadem ingruit fortuna, quæ alios afflixit, aliorum animos in republicâ adjuvandâ æmulati ſunt. Hujus ſeceſſionis capita erant Dominus *Herbertus Cherburienſis* majorum gentium nobilis, *Edwardus Harleius* & *Gualterus Blunt*, viri Equeſtres, *Thomas Foleius* nullo honoris titulo inſignitus, verum ingen-

tibus

tibus divitiis, inter primarios Anglos recenſendus, cum magna parte Generoſorum ex *Wigornienſi* & *Herefordienſi* agro confluentium. Illi Branogenium * præcipuam Wigornienſis provinciæ urbem, vetuſtate venuſtatéque ſpectabilem, cum ingenti virorum comitatu intrantes, aliorum ritu ſe incœpta Arauſionenſis in Senatu conveniendo enixiùs adjuvare velle, palam † profeſſi ſunt. Dominus Herbertus & Gualterus Blunt, *Ludlovii* Caſtrum ‖ eodem tempore in deditionem ceperunt.

* Wigorniam, *Worceſter.*

† Decem. 5.

‖ *Ludlow-Caſtle.*

Neque hi ſoli concitatores populi fuere, verum aliis in locis ſtrenuos quoſdam fortéſque viros expirantis jam libertatis, legúmque interitûs miſertum eſt. Carolus Talbottus, tunc Salopiæ Comes (nunc Ducis titulo inſignitus) quique in iſta comitum amplitudine ſecundas in Angliâ poſt Oxfordiæ comitem ferebat, vir ſummo officio ſpectatiſſimus, & illuſtribus Talbottorum imaginibus dignus, qui cum *Arauſionenſi* è Belgio venit patriam in libertatem aſſerturus, Johanne Guiſio, viro Equeſtri, unà conſpiranti, Briſtoliam inſignem urbem, partim in Somerſettenſi poſitam agro, partim in Gloceſtrienſi, quæque inter Britanniæ urbes primas à Londino & Eboraco facilè ſibi vendicat, in pignus Senatûs conciliandi cepit.

Dobunorum etiam Generoſi nonnulli in agro Gloceſtrienſi pro libertate lacertos moverunt, & Dominum Lovelacium, quem ad Arauſionenſem tranſeuntem à ruris militiâ captum ſuperius memoravi, è carcere, quo Gloverniæ * conſtringebatur, ſtatim liberaverunt. Novi-caſtri † in-

* Gloceſtriæ.

† *New-Caſtle.*

colæ

colæ in Domini Lumleii ſe fidem commiſerunt, atque omnes unâ voce ſe ad Senatûs auctoritatem recurrere proclamaverunt.

Dum iſti tumultus, quos neque popularis ambitio neque odium Regis, aut aliena ab illius dignitate libido, verum publicæ utilitatis ſtudium concitavit in variis regni provinciis graſſantur; Princeps Auriacus multorum indicio certior factus Regem & univerſum exercitum, relicta ſtatione & ſignis converſis verſus Londinum profugiſſe, caſtra ſtatim movit, & non citato agmine verum expenſo gradu & parvis itineribus, propter anni tempeſtatem pergens, poſt multa caſtra pridie nonarum * Decembris Sorbiodunum pervenit. Ibi tormenta bellica, & varia genera commeatus reperit propter inopinatum diſceſſum & ingentem trepidationem; à Rege poſt tergum derelicta. Inſequenti die †Auberius de Vere Oxonii Comes qui amplitudinis illius initium ad Henricum Primum refert, Jacobi Regis tyrannidem pertæſus, ſub quâ indigna tanti generis ſplendore perpeſſus erat, ad Arauſionenſis vexilla ſe contulit, & ſub illis etiamnum licèt obſitus & ferme confectus annis magis quam pro ætate ſtrenuus militat.

* Decem. 4.

† Decem. 5.

Biduum poſt ‖ *Arauſionenſis* Hungerſordiam contendit, oppidulum tenue & humido ſitu in Attrebatiorum * regione. Dum hujus loci hoſpitio utebatur eò pervenerunt tres viri nobiles, marchio nimirum Hallifaxiæ, Nottingamiæ Comes, & Dominus Godolphinus, à Rege & Sanctiori concilio ad Arauſionenſem miſſi, ut colloquia cum illo ſererent, & tranſigerent negotia omnia, quæ neceſſaria proœmia eſſent, ad Senatum conveniendum. Sexto Idus

‖ Decem. 7.

* Bercheria, ſive *Barkſhire.*

Idus * Decembris præcepta ſibimet à Rege inſequenti libello cum Arauſionenſi participaverunt. * Decem 8.

Domine,

" IN mandatis à Rege habemus, ut vobis indicare-
" mus ipſum obſervare diſſidia omnia, & queri-
" monias à celſitude veſtrâ commemoratas ad libe-
" rum Senatum referri. Sacroſancta ejus Majeſtas
" cum animo ſuo ſtatuit, quemadmodum omnibus
" proclamavit, hodiernum ante diem Senatûs con-
" ventum agere, at conſultius ratus eſt in præſenti
" rerum ſtatu, eum in aliud tempus differre, uſque
" dum rerum turbæ componentur. Quoniam vero
" ſubditi ejus in eadem ſententiâ perſiſtunt, & co-
" mitia Parlamentaria ſibimet indulgeri flagitant,
" idcirco in eum finem Edictum pervulgavit, &
" *brevia* emiſit, quibus comitiis diem præſtituit. Et
" nequa illorum interpellatio fiat, iis omnibus lu-
" bens aſſentietur, quæ ab illo fieri æquitas poſtu-
" laverit, ut Senatores omnes ſecuros præſtet.
" Regia ergo Majeſtas nos ad Celſitudinem veſtram
" ablegavit ut vobiſcum negotia omnia tranſigere-
" mus, quæ ad electionis liberæ jura, & ad ſecuri-
" tatem conſeſsûs pertinere videbuntur; & ſuper ea
" re ſe continuò *tractatum* vobiſcum inire paratum
" eſſe dicit. Id etiam Regia Majeſtas proponit ut
" interea temporis veſter utriuſque exercitus certis
" contineatur limitibus, atque eo ab Urbe *Londini*
" intervallo, ut militum arma nulla Senatui perí-
" cula denuncient: nec aliam comitiis moram fa-
" cere exoptat, quam uſitatæ & neceſſariæ formulæ
" exigere ſolent.

Arau-

Arauſionenſis hanc reſponſionem, ſummam æquitatem & moderationem animi præ ſe ferentem, ad Regem remiſit. " Nos, Procerum & generoſorum " nobiſcum conſociatorum conſiliis uſi, in reſponſum " iſta proponimus.

" Primò, ut iſti omnes qui legum ſunt exſortes " armis ſpolientur, rudi militari donentur, & belli " pacíſque muniis omnibus priventur.

" Secundò, ut edicta omnia reſcindantur, quæ " dignitatem noſtram, aut illorum qui jam in no- " ſtrâ ſunt amicitiâ, quique ſua cum noſtris peri- " cula communicârunt, famam lædunt; & ſiqui " propterea quod nobis auxilia ferebant cuſtodiæ " fuerint traditi, ſtatim carcere laxentur.

" Tertiò ut in Civitatis Londini incolumitatem " arcis præfectura in manus civium tradatur.

" Quartò, ut ſi tempore Comitiorum Regiæ ma- " jeſtati Londini commorari viſum fuerit, nos etiam " eodem hoſpitio utamur, æquali ſatellitum nume- " ro ſtipati: Sin Regi complacitum fuerit remo- " tiùs ab urbe agere, ut nos eodem intervallo ab " eâ diſtemus; ut uterque noſtrùm cohortes ad " quadrageſimum ab urbe lapidem amoliamur; " ut non plura auxilia in regnum invehantur.

" Quintò, ut in Londini tutelam & commercii in- " bi emolumentum; Caſtrum " Tileburgenſe * Londinen- " ſium Cuſtodiæ permittatur.

* *Tilbury-Fort* in quo Hibernici ſtationem tunc habebant.

" Sextò, ut vectigalis publici pars juſta nobis ſup- " peditetur ad milites noſtros ſuſtinendos uſque " dum tempus Comitiorum venerit.

" Septimò, ut *Portus Ma-* " *gnus* † iis militibus præ- " ſidiariis occupetur, de qui- " bus inter nos & Regem " conventum fuerit, quo melius Gallorum, & alio- " rum

† *Portſmouth*, quem Hibernici & alii perduelles tunc occuparunt.

" rum exterorum in Angliam appulſui obviam eatur.

* Decem. 9.

Quinto Idus Decembris * Arauſionenſis reſponſum illud Delegatis Regiis dedit. Illi ſine morâ ablegato ad Albam Aulam nuncio Conſilii Arauſionenſis Regem participem fecerunt. Ille inſequenti die †, reſponſo accepto, tanquam genio aliquo verum eliciente, apertè profeſſus eſt, *Conditiones iſtas ab Arauſionenſi propoſitas æquiores longe fuiſſe quam aut ipſe expectavit aut ſperare quidem debuerat* ‖ Et quidem à multis accepi id quod facilè apud me fidem obtinet, Regem non ſine inſigni ægritudine animi & ſuſpiriis lamentiſque multis miſſas, à legatis ſuis tabulas perlegiſſe, quod Arauſionenſis nimirum ſpem ſuam fefelliſſet, nec iniquiores ad eum miſiſſet conditiones, quas cum ingenti animo & faſtu Rege digno aſpernari poſſet; atque ita inſequenti fugæ, quam ante animo meditabatur, honeſtam apud populares ſuos excuſationem obtendere. At perduellium nonnulli qui ſuorum conſilia mitiorem in partem interpretari, adverſariorum omnia rapere in pejorem conſuetſunt, dicunt Regem iniquis Arauſionenſis poſtulatis animo diſcruciatum, Senatum repudiaſſe ad quem ſerio animum adjeciſſet, & inopinatam fugam in Galliam adornaſſe. Contrarium vero nos certiſſimis indiciis comperimus, lapſis etenim duabus ſeptimanis antè, Inſidiatores iſti (quemadmodum ſuprà commemoravimus) qui Galliarum Regis partes fovebant, atque ideò nihil ſtudebant æque ac rempublicam noſtram tumultu & diſcordiis miſcere, literas ad Regem miſerunt *Sorbioduni* cum exercitu commorantem, in quibus illum adhortati ſunt ut nihil aliud quàm de fugâ in Gallias capeſſendâ cogitaret;

† Decem. 10.

‖ Vid. Epiſt. ad Epiſcopum, pag. 14. & hiſtor. deſert. pag. 94.

ret; ita etenim forè ut brevi illinc ad ſedandos regni tumultus revocaretur. Regionem iſtam illi periculorum omnium forè perfugium, & melioris fortunæ portum, *Dubrienſis* Dominus, & *Brentius* Regis familiariſſimi, & conſiliorum ejus potentes, ſæpius in multorum auribus dixerant, priuſquam ille è Sorbioduno gradum retro flectebat.

Regem verò ad fugam tunc animum adhibuiſſe cùm ad Senatum ſe omnia rejeciſſe ſimulavit, apertè inde videre eſt, quod Reginæ fidem obligavit, ſe illam in Gallias euntem inſequi voluiſſe, priuſquam à legatis ſuis Arauſionenſis reſponſum de Comitiis Parlamentariis accepiſſet *. Quartò etenim Idus Decembris † Regina & *Cambriæ* Princeps (quem Jeſuitas noſtro & Galliarum Regi peperiſſe compertiſſimum eſt) horâ tertiâ antelucano tempore ex *Albâ Aulâ* diſceſſerunt, poſtea verò cum ſerum diei eſſet, è ſuis *Ablegatis* de Arauſionenſis conſilio nuncius Regi afferebatur. Ex quo videre eſt Regem tum ſincerâ fide non egiſſe, cum rerum controverſias ad *Senatum* rejiciendi ſtudium ſimulavit. Præterea Regem à Senatu fuiſſe alienum, cujus ad auctoritatem tunc gravioribus anguſtiis incluſus omnia rejicere videbatur, præter multa alia, præproperum ejus ſervidúmque ingenium, poſt Reginæ diſceſſum, & præceps iſta fuga, cui ſe ſtatim mandavit, abunde mihi teſtantur: Confeſtim quippe, cum nulla mutandæ ſententiæ cauſa ſubeſſet, cùm neque novis popularium injuriis nec iniquis Arauſionenſis conditionibus premeretur, quemadmodum ipſe fatebatur, reſcripta iſta omnia, quibus comitia parlamentaria conciliantur, quæ nondum lucem obtinuerant, in ignem conjici juſſit; & *Cautione* ‖ interpoſitâ curavit, ut reliqua,

* Vid. hiſtor. deſert. pag. 109.

† Decem. 9.

‖ *A Caveat.*

quæ jam in vulgus prodierant fruſtra eſſent nec effectus deſtinatos ſortirentur. Eodem temporis veſtigio, *Feverſhamiæ* Comiti mandavit, ut exauctoraret exercitum & milites omnes miſſos faceret. Conſilium ſuper eâ re datis per Tabellarium literis cum eo communicavit. Jeſuitarum illud conſilium erat; illi Regem adhortabantur ut militibus militiæ vacationem daret, ſperantes eos citra commoda emeritorum præmiorum exauctoratos pleraque tum peſſimi exempli pravâ libidine, & vagâ licentiâ perpetraturos, quæ in publicam perniciem cederent.

Regiis literis acceptis, *Feverſhamienſis*, qui præerat exercitui, vir natalibus Gallicis *, & non in civium ſolummodo, verum & Procerum Anglicorum Album, Ducis Eboracenſis gratiâ aſcriptus, cohortes omnes exauctoravit. Hoc pacto Rex ſuum abdicavit exercitum militéſque duro neceſſitatis telo coegit Arauſionenſi ſe in voluntariam deditionem concedere; nullo etenim jam fruebantur Duce cujus ſub Auſpiciis contra hoſtem dimicarent.

* Olim Dominus *Duras*, & minor natu frater mareſchalli *de Lorge*.

Eodem tempore quo conſilium ſuum de exauctorandis cohortibus Comiti *Feverſhamienſi* aperuit, inclinante ad veſperem die Rex Prætorem Londinenſem & vicecomites civitatis in *Albam Aulam* acſcivit, præcepítque ut pro virili niterentur civitatis tranquillitatem tueri. Reginam & infantulum regno diſceſſiſſe dixit, ſibi vero ſtatutum fuiſſe apud illos ad ultimum commorari. Rex hujus promiſſi fidem eadem fidelitate quâ cæterorum omnium, mox liberavit; mane etenim inſequenti †, horâ tertiâ poſt mediam noctem fugam adornans, parvæ ſe Cymbæ commiſit, & ſecundo flumine Graves-Endam vectus naviculam ibi conſcendit, quâ in Gallias ſtatim trajeciſſet,

† Decem. 11.

jeciſſet, niſi, incidente caſu quem mox commemorabo, ſupremo rerum omnium moderatori viſum fuiſſet, profectionem illius in longius differre

Poſtquam Rex eluſâ omnium ſpe, & repudiatâ Senatûs auctoritate dereliquit communem Cauſam, tenuit populares ſtatim opinio iſta, quam ratio in conſimili cauſâ generi humano ſuggereret, Regem ita de poſſeſſione magnæ fortunæ cedentem, populi Anglicani jus in *ſua* ipſorum *fide* & *religione* depoſuiſſe. Quapropter diverſi nunc virorum ordines, pro loco iſto & dignitate quam in republicâ tenuerunt, certamen adjuvandæ patriæ excitarunt, & in eâ tutandâ, quâ quid eſt dignius in quâ omnis diligentia indulgentiáque noſtra conſumatur, totis viribus deſudârunt.

Eadem die quâ Rex ab Urbe diſceſſit, horâ decimâ antemeridianâ, Primores ferme omnes exercitûs qui tunc in Civitate Londinenſi aut locis ſuburbanis hoſpitium habebant, convenerunt in *Albam Aulam*, indéque ad Arauſionenſem miſſo nuncio, de Regis fugâ certiorem illum fecerunt, pollicítique ſunt ſe ſuo robore Prætoris Londinenſis auctoritatem firmaturos, daturóſque operam ut civitas tranquillitate frueretur, uſque dum Celſitudo ejus caſtra verſus Urbem moveret.

Eadem etiam die * Eccleſiæ Antiſtites & Proceres regni, qui tunc *Londini* & *Weſtmonaſterii* tanquam in ſpeculo agentes, communi ſaluti invigilârunt, videntes ſe Rege & adminiſtratione Regiâ orbos, in iſtum Anarchiæ ſtatum redactos fuiſſe, quo primi mortales vixerunt, priuſquam legum commoditas utilitáſque communis eos conciliabat; in Domum *Senatoriam* † conventum egerunt, & accerſito Domino Prætore cum Senatoribus

* Decem. 11.

† *Guild-hall.*

* Aldermannis.

*Civitatis, edicto publico pervulgarunt, " Se in iſtis rei-
" publicæ temporibus de Cauſâ religionis, legum
" terræ, libertatum, & bonorum ſubditorum om-
" nium ſolicitos eſſe: Se ſperaſſe, cum Rex, re-
" ſcriptis in publicum miſſis, diem Senatui libero
" indixiſſet, illorum conventu rebus ſuis in olumi-
" tatem partam fore: quoniam vero perditiſſimo-
" rum virorum hortatu rebus noſtris peſſime con-
" ſulentium, Regia majeſtas ſe clam ſurripuit, id-
" que, ut nos ſuſpicamur, conſilio mox regno de-
" cedendi, idcirco nos offi io defore noſtro exiſti-
" mavimus, ſi calamitatibus in iſtis ſilentium age-
" remus, quibus diuturna ſceleratorum conſilia rem-
" publicam noſtram labefactârunt. Unanimi ergo
" noſtro omnium conſenſu ſtatuimus ad Arauſio-
" nenſem noſmet recipere, qui non ſine ſingulari in
" regnum noſtrum benevolentiâ, non ſine pecuniâ
" ingenti, & maximo vitæ periculo Senatûs noſtri
" conventum procurare in ſe ſuſcepit, atque ità
" (minimâ quâ fieri poterat Chriſtiani ſanguinis
" jacturâ) nos ab ingruentibus *Servitutis* & *alienæ*
" *religionis* malis redemit. Declararunt inſuper,
" ſe omnes induſtriæ nervos contendere velle, &
" Arauſionenſi daturos operam, ut ejuſmodi con-
" venirent Senatum, qui ſine morâ Legibus Anglo-
" rum, libertatibus, rei cujúſque familiari, religi-
" oni, & Chriſtiani Orbis Principum Rerum pub-
" licarúmque omnium commodo, quorum utilitas
" cum noſtrâ arctiſſimè colligata eſt, proſpectum
" irent.

Edictum illud Archiepiſcopus Cantuarienſis cum duo de triginta aliis, quorum omnes aut Eccleſiæ Præſules erant, aut majorum gentium nobiles, Chirographis ſuis ſubſignârunt, & per Comitem *Pembrochienſem*, virum in iſto Ordine ſpectatiſſimum, Vicecomitem

cecomitem *Vimutienſem**, Epiſcopum *Elienſem*, & Dominum *Culpeperum*, reliquorum nomine *Ablegatos* cum Arauſionenſi communicârunt.

* *Weymouth.*

Eodem tempore Dominus *Prætor*, Senatorum *curia*, & *commune* Civitatis *Concilium*, quorum concionem Proceres regni vocaverant, ut colloquia cum illis ſererent, deliberaréntque quâ ratione regnum civitatémque tutarentur, ſupplicem libellum ad Arauſionenſem miſerunt, quatuor Senatoribus è communi concilio lectis legatione iſta fungentibus. " In eo ſingulares gratias Celſitudini ejus egerunt, " quod arma ſumere ſit dignatus, ut Angliam, " Scotiam, & Hiberniam à corporum & animarum " ſervitute aſſereret, & liberi Senatûs adminiculo, " res religionis, leges juráque civium, iſtis in regnis, " in tuto ſtabilíque loco reponeret. Speravimus, " inquiunt, Regem æquis iſtis poſtulationibus, quas " in edicto Celſitudo veſtra vulgavit, aſſenſum præ- " biturum, atque ità remedium aliquod malorum " nobis datum iri. At quoniam Regis diſceſſu nos " ſpes iſta fruſtrata eſt, hujus Civitatis nomine, " quæ regni caput eſt, ad Celſitudinis veſtræ clien- " telam confugimus, & comprecamur, ut citato " curſu huc properare velis, ubi Civitas univerſa " ſe feſtis ſtatim acclamationibus excipiet.

Eadem Die * Præfectura Londinenſis † in *Domo Senatoriâ* conventu facto, per Robertum Claytonum, Gulielmum Ruſſelum, Baſilium Firebracium, viros equeſtres, & Carolum Duncomb Armigerum, ſupplicem etiam libellum Arauſionenſi dederunt

* Decem. 11.

† *Lieutenancy of* London

In eo commemorant, " Se ingens illud benefi- " cium verbis non ſatis exprimere poſſe, quod Cel- " ſitudo ejus tot terræ Mariſque pericula pro reli-

" gionis & legum incolumitate adierit, ſine cujus
" auſpiciis omnia peſſum itura eſſent. Ægre, in-
" quiunt, tulimus, anſam nobis non antè fuiſſe obla-
" tam, quâ Celſitudini veſtræ & terrarum Orbi pa-
" lam faceremus, nobis ſtatutum fuiſſe, omnia bo-
" norum pericula, & diſcriminа vitæ ſubire, ut in-
" cœpta veſtra glorioſa, quibus regna miſerè labe-
" factata in integrum reſtituere concupiſcitis, feli-
" cem ſortientur exitum. Et ne rebus ſic ſtantibus,
" Civium officio deeſſe videremur, ita res noſtras
" compoſuimus, ut, Deo favente, nobis jam in
" manibus ſit, omnes antevenire inſidias, & civita-
" tem in otio & tranquillitate eo uſque continere
" donec Celſitudo veſtrà ad nos pervenerit. Enixè
" igitur obteſtamur, ut profectionem veſtram ad
" hanc Urbem ſummâ feſtinatione maturare digne-
" mini, ut præclarum iſtud incœptum quod tam
" bonis avibus auſpicati ſitis, non ſine ingenti
" univerſorum gaudio mox ad exitum perduca-
" tur.

|| Decem. 14. Ex ſupplicibus iſtis libellis, quos triduum poſt * ſingulorum Comitiorum Ablegati, apud *Henlium* in unum coacti Arauſionenſi tradiderunt, ex facili videre eſt, quo in loco res Anglorum fuere poſt Regis diſceſſum, quos tumultus, rude jam militibus donatâ, & ſolutis legum omnium vinculis, viri præ reliquis periculorum ſagaces metuerunt; quámque neceſſarium nunc rebus ſuis ducebant, ut Arauſionenſis auctoritate & auſpiciis omnia regerentur, illorum ſententias inſecutæ mox turbæ comprobarunt. Contra jus etenim legationis mobile vulgus in legatorum ædes vim fecerunt. *Barillonii*, legati *Gallici* domicilium frequens multitudo ex imâ plebeculâ fuſtibus ſudibúſque atque ejuſmodi telis ſubitaneis armata, hoſtilem in modum circumvenerunt. Ille verò ſervitiorum

vitiorum ſuorum & armatorum quorundam viribus fretus vim illorum à ſuis liminibus facilè prohibuit. At in ædes *Legati Iberici* non ſimili ſucceſſu lymphatica turba impetum fecit. Credibile eſt *legatum* voluiſſe injuriam iſtam à plebe committi, non ut damna ejus in majus relaturentur (quemadmodum mox factum erat) verum ut ità rebus domini ſui ſerviret. Novit ille *Hiſpaniarum* imperium & *Auſtriacæ gentis* majeſtatem in maxima fuiſſe pericula conjecta, nec potuiſſe vires aliorum ſociatas Galli imperium intrà fines ſuos continere, dum res *Jacobi* incolumes conſiſterent; ſui itaque officii duxit vulgi fovere rabiem, ut eâ audaciâ impetus illorum in majus creſceret, atque illi proniores ita in Arauſionenſem eſſent. Si aſtutiam iſtam *Regis Iberici* Legatus eo modo machinatus eſt, certe Jacobus Rex paulò poſt exemplum ejus miſero fatalique malo imitabatur: Ille etenim poſt appulſum in *Hiberniam* vagam iſtam ſicariorum latronúmque Hibernicorum vim, quâ Anglorum bona omnia ubique diripuerunt ſine ullâ in ſcelus iſtud animadverſione pertulit, ut prædæ dulcedine pellecti & ſceleris rei cauſam & vexillum ejus eò lætius ſequerentur.

Eodem tempore Idibus * nempe Decembribus antelucano tempore fama Londinum pervaſit Milites Hibernicos, quos *Feverſhamiæ* Comes pridie exauctoratos armis non ſpoliaverat, iter ad urbem accelerâſſe, atque in ea profectione obvios omnes, nullo ætatis aut ſexûs reſpectu habito, pro more ſuo peremiſſe.

* Decem. 13.

Tumultus iſte in causâ erat quòd poſterâ † die *Conſiliarii Sanctiores* & *Proceres* regni, edicto juberent, ut Hibernici milites arma ſua regii armamentarii officialibus confeſtim traderent.

† Decem. 14.

Ex

Ex iſtis turbis quas recenſui, facillimum eſt animi conjecturâ conſequi, quàm plena terroris & tumultûs poſt Regis diſceſſum, reliqua regni loca erant, & quanta neceſſitas ſtatim coegerit Eccleſiæ Antiſtites Proceréſque regni, Prætorem & Patricios Cives, Urbanum Civium Londinenſium Concilium, atque alios domi militiæque ſpectatos, primarios viros atque ampliſſimos civitatis ſummam rerum & cuſtodiam Urbis in ſe recipere; & Arauſionenſis ſubſidium implorare: non diu vero illorum adminiſtratio in iſto interregno duravit, Rex etenim Sextâ poſt fugam die, ſuadente potius rerum ſuarum conditione, quam ſponte ſuâ Domum ad Albam Aulam rediit. Quo pacto hoc contigit Lectorem pauciſſimis docebo.

Superius retuli Regem in Gallias trajicientem, Graves-Endæ naviculam conſcendiſſe. Non procul è portu navim moliebantur, cum Navarchus revocans in memoriam, ratem ſuam male fuiſſe ſaburratam atque ex eo veritus pericula maris, ne ventis ludibrium cederet, & minima tempeſtate obrueretur, monuit Regem quid facto opus eſſet, portum nimirum aliquem iterum tenendum, ut ſaburram illic in navim inveherent. Hæc memorans, non poſſum me continere quin narrationis filum hic abrumpam, & lectorem moneam, quam in lubrico verſentur res mortalium, quáſque calamitates ſibimet tyrannidem affectantes accerſant, dum ſuorum benevolentiæ ſecuri populum ſervitutis impatientem ſub jugum mittere conantur. Rex potentiſſimus, haud ambiguus maris arbiter, qui claſſis robore non minus quam imperii jure, id aliis gentibus clauſiſſet ſi modo in Civium animis ſibi quæſiviſſet imperium poſt malè adminiſtratam rempublicam à ſuis profugus, non unum navigiolum ſartum ſatis & refectum habuit in quo ſe pelago committeret. Non tale portentum

tentum Xerxes ſpectatoribus exhibuit, cum magnus Imperator, poſt acceptam cladem, ſcaphâ piſcatoriâ eo in mari vehebatur cujus undis verba prius inſixerat. Auxit verò portentum quod mox inſecutum eſt oſtenditque maximarum fortunarum fragilitatem. Navarchus Celoci ſuo ſaburram petens, in orientali oſtio * Inſulæ Sheppeiæ † quam Medweagus fluvius in Tamiſis æſtuario efficit, portum iterum tenuit. Ibi fortè *Feverſhamiæ* oppidani aliquot, Jeſuitas atque alios criminis ſuſpectos in ea rerum turba inveſtigantes, in Regem inciderunt *Edwardo Haleſio* viro equeſtri, & *Labadio* Achate altero comitatum. Deprenſo Regi id ex turbæ inſcitiâ & ignoratione facti tum contigit, quod neutiquam contigiſſe vellem, præſertim cum Jeſuitæ, qui aliarum gentium odium in Anglos trahere pro virili conantur, factum illud in deteriorem partem interpretari ſunt. Illi, quemadmodum ſæpius accepi, peregrinis auctores ſunt, Anglos ad conſpectum Regis in impotentem ſubitò rabiem fuiſſe accenſos; & ſine reſpectu, non majeſtatis tantùm ſed etiam humanitatis, in illum impetum feciſſe. Quod majeſtatem ita Regiam, quæ magna ſemper & Sancta apud omnes gentes fuerit, contempſerint, neſcio quomodo accepturæ ſint omnes Europæ nationes, illæque imprimis quæ ſub imperio Regio vivunt, ſi Jeſuitarum dictis fidem habeant. Ego ut maledictis omnibus obviam eam, & hujus rei infamiam invidiámque à tantillâ vel maritimorum Anglorum parte quorum mores * plurimum ex maris ingenio referunt, penitus amoliar, rem, quemadmodum geſta eſt referam. Fatendum ſanè eſt Agreſtes iſtos Regem in principio aſperiùs longe quam pro

* *Eaſt-Swale.*

† Quam Ptolomæi Toliatin eſſe ſuſpicamur.

† Vid. Mores Maritimi, Eraſm. adagior.

pro dignitate ſuâ, tractaviſſe; id vero ex eo contigit quod Rex ex induſtriâ conditionem ſuam illos celavit, at quam primum Feverſhamiam ventum erat, ubi Rex in Prætoris ædibus pernoctavit, ibique ex aliorum indicio didicerunt eum Regem fuiſſe, hæſerunt attoniti non aliter quam ſi piacu'um admiſiſſent, & genibus Regis advoluti delicti veniam petierunt. Pridie Idus Decembris * illud accidit. Eadem die Georgius Jeffriſius qui in amplitudinem Baronum Anglicorum † & ſummi Cancellarii dignitatem, à Jacobo Rege propterea cooptabatur, quòd, ſicut de Rabirio Verris ſodale dicebatur, *homo* eſſet *ad illius libidines factus*; Wappingæ in alienâ perſonâ deprenſus erat. Illum Prætor Londinenſis, cujus factum Proceres mox confirmârunt, in arcis Londinenſis arctam cuſtodiam tradidit; ibi ad veſperam perpotare conſuetus, ut vino angores animi diluaret, ex immodicâ potatione mortem ſibi facinoribus haud ſanè dignum brevi acceleravit.

* Decem 12.

† Baro de Wem.

Idibus Decembribus ‖ Londinum allatum erat Regem pridiè Feverſhamiæ fuiſſe deprenſum, plurimi ſtatim ex ejus Servitiis pleno gradu iter ad illum fecerunt. Poſtridie Proceres quatuor è nobilium Claſſe amplis honoribus uſos, Feverſhamienſem nimirum Comitem, Ailesburienſem, Garienenſem, & Middletonum, viros officiis ſuis apud Regem gratioſos, Oratores ad eum legaverunt, qui precibus illum obſecrarent ut gradum retro ad Albam Aulam flectere vellet: Sin eâdem animi pertinaciâ ſolum vertendi ſtudium retineret, tum Militibus Prætorianis præceperunt, ut ſalutari præſidio illi adeſſent, nec antè robore ſuo illum ſtipare deſinerent quàm quamcunque

‖ Decem. 13.

que vellet navim conſcenderet. Ægrè tulerunt nonnulli legationem iſtam, & ſermonibus ſuis clanculum factum illud tanquam nimis officioſum perſtrinxerunt. Vix ſatis in eorum judicio decorum videbatur, ut paucorum nobilium conventus, qualis eo die agebatur, Regem, tam repudiato Senatu, fugientem, domum revocarent, non communicato prius cum Arauſionenſi conſilio, quem frequentior nobilium cœtus, & reliqui optimates virique Ornatiſſimi civitatis in urbis hoſpitium invitârant; & in cujus ditionem univerſa ferme gens, auditâ Regis fugâ devenerat. Rex, etſi fugam capeſſere quam in prætorium reverti præoptaret, procerum tamen hortatu, quibuſcum propter benevolentiæ conjunctionem, & amicitiæ neceſſitudinem, ſermones familiares conferre ſuſtinuit, domum reverti decrevit. Id ſine dubio eò libentius fecit, quòd exiſtimavit, fugæ anſam iterum ſibi datam forè, quâ humaniorum omnium in ſe miſericordiam, odium vero inſigne in populares ſuos aut Arauſionenſem trahere.

Poſtridie itaque * Londinum verſus iter auſpicatus eſt, atque ea nocte *Roſſæ* † pernoctavit, quò plurimi è Prætorianis equitibus obviam illi proceſſerunt. Luce inſequenti, quæ dies erat Dominica, una pyroboloruin ‖ & tribus equitum Prætorianorum turmis ſtipatus, Londinum in *regiam* ſe contulit.

* Decem. 15.

† *Rocheſter.*

‖ *Granadieri.*

Rege reverſo & *Albæ Aulæ* hoſpitium occupante eadem quæ antè ſtudia ibi ſtatim conſpiciebantur; & *Regia* iſta non prius Domini ſui quam hominum, qui obnoxii erant Legibus & Anglorum inimicitiæ opportuni, diverſorium eſſe cœpit. Eò Jeſuitarum omnes reliquiæ concurrerunt, qui pavori nupero &

Regis

Regis fugæ erant ſuperſtites. Præter ſodalitium iſtud, quo, in eo rerum articulo, nihil exiſtimationem Regis apud populares ſuos aut Anglorum animos magis offendere poterat, omnia etiam illius conſilia & incœpta poſt reditum ad penates ſuos à civium ſtudio & voluntate aliena erant; adeo ut nonnulli jam, qui juxta ſuperſtitionem veterem Regi & rebus ejus per fas nefáſque fauſta omnia comprecati ſunt, non ſine ingenti angore animi dicerent, *Eum ideo domum poſtliminio revocatum fuiſſe ut graviorem apud ſuos offenſam incurreret, & certiorem ſibi accerſeret ruinam* *. Ego ſane, ſi in re tanta lector mihi conjecturæ poteſtatem faciet, dicam illud quod ſentio, tantùm abfuiſſe ut Rex poſt reditum manſueti animi officiis ſuos demereri concupiſceret, ut illos potius ex induſtriâ ad iracundiam provocaret. Voluit ſine dubio Civium animos eoúſque irritare, ut illorum injuriis laceſſitus in fugam ſe iterum conjiceret, & fugæ culpam in populares ſuos inclinaret. Eadem bona fide ſenatum tunc convenire decrevit, cum illorum conventui diem indixit, quâ domi apud ſuos commorari, poſtquam pedem retro ad Albam Aulam tulit. Id eum apud animum ſuum nunquam ſtatuiſſe ex eo comparet, quod quandocunque optimates, quibus religioſum erat Regis ſui voluntati obſequi, in ſummas anguſtias adducto obſequia ſua offerrent, ſemper reſpondit, *Nihil æque gratum mihi facere poteſtis, ac ſi facilem mihi fugam alium in orbem reddere omni veſtrâ ope nitamini* †. At ſi Rex tam vehementer animum ad fugam adjecit, unde, inquiet Lector, tam facilè curſum retro flexit, cum liberum illi foret, vel ex ipſorum Procerum indulgentiâ, rectà tum in Galli-

* Vid. hiſt. deſert. p. 105.

† Vid. emolum. hujus imperii, pag. 22. hiſt. deſert. pag. 101.

Galliam navigare? Reſponſio certè prompta & facilis eſt, ſi tam honorificâ legatione, & infimis nobilium precibus ad lares ſuos revocatus imperio ſe ſubtraxiſſet, non erat neſcius id grave & firmum argumentum adverſariis fore cur regno privaretur, quod ipſe contra Procerum voluntatem tam pertinaciter abdicaſſet. Hærebat tunc ancipiti malo implicatus; ſi à Proceribus domum redire imploratus, in fugam ſe conjeciſſet, novit ſe amicorum benevolentiæ & regni naufragium facturum; ſin animo apud ſuos manendi domum reverteretur, vidit tunc Senatûs conventum ſibi neceſſariò peragendum fuiſſe cujus conſpectum ſuſtinere non poterat. Quid ergo faceret? Nimirum id conſultiſſimum videbatur, ut *Albam Aulam* ſe conferret, ibique expectaret alterius fugæ occaſionem, cujus invidia aut cives ſuos aut Arauſionenſem penes eſſet: Nec eventus mox illius ſpem fefellit, quemadmodum nunc lectori palàm facturus ſum.

Eodem tempore quo Legati honorifici Regi decedenti moram fecerunt, præcipua regni lumina, & Civitatis Londinenſis inſigniores alumni, Arauſionenſem Londinum ad ſummam rerum ſuſcipiendam vocaverant. Magna etiam Regni pars vacante ſede imperiali, in illius obſequiis erant; & Procerum Anglicorum ingens etiam turba vexilla ejus inſecuti ſe cœptorum ſocios illi præſtiterant. Quapropter Anglorum *Primores* qui circa *Arauſionenſem* erant, audito Regem Londinum à Proceribus revocatum fuiſſe quò Arauſionenſis tunc omnium Ordinum rogatu profectionem adornavit, & non ignari turbarum, quas utrinſque ſimul in urbe præſentia concitaret, Auctores Arauſionenſi erant, ut per melioris exiſtimationis nuncium aliquem moneret Regem ut gradum aliquantiſper apud *Koſſam* reprimeret. Arauſionenſis ſtatim Dominum *Zuleſteinum* ad Regem

gem ablegavit; ille vel propter errorem viæ aut curſus tarditatem non prius Roffam pervenit, quam Rex illinc Londinum verſus proceſſerat; quapropter *Zuleſteinus* Regem conſecutus, Arauſionenſis epiſtolam ei apud Londinum tradidit. Nullus dubito quin Rex, perlectâ epiſtolâ, tacito gaudebat ſinu, atque illius animus præſagiit ſe fugæ anſam illinc captaturum; in hanc rem intentus eodem die per Feverſhamiæ Comitem (idoneum ſane nuncium ſi Regis tunc conſilium ſpectetur) literas ad Arauſionenſem miſit, quibus illum in hoſpitium ad Sancti Jacobi *baſilicam* invitavit, & copiam ei fecit quem vellet *Prætorianorum equitum* Numerum ſecum ferendi.

Intererat Regis ſimulationem iſtam & comitatem, in irato Principe haud ſanè gratuitam, tunc obtendere, atque illud in beneficium vertere quod neceſſitas erat. Eo etenim in loco nunc illius res erant, ut nihil hoſtile aggredi poſſet; Milites ſuos ipſemet diſcinxerat, regni munimenta omnia præter *Portum Magnum* Arauſionenſi in deditionem venerant; Proceréſque regni cum civium Londinenſium *flore* primas illi conceſſerant; quapropter ut vim meditari extremæ tunc dementiæ ſuiſſet, ita prudentiæ erat benevolentiam ſimulare, cum eo facto plus ſibi apud ſuos gratiæ, hoſti vero majorem invidiam ſe pariturum novit. Acceptis literis Arauſionenſis Feverſhamiæ Comitem ſtatim in *Vindeſorii* * Caſtrum cuſtodiæ tradidit, eum vero mox è carcere laxavit, Katharinæ Reginâ Dotariâ libertatem ejus ab eo impetrante fortunam iſtam Feverſhamienſi Rex ominabatur, atque eo conſilio virum Arauſionenſi præ aliis inviſum,& quem ab eo ita tractatum iri ſuſpicabatur, ad eum proculdubio miſit, ut eo facto, quemadmodum dixi, omnium invidiam in ſe traheret.

* *Windſor-Caſtle.*

Niſi

Niſi Rex dolum iſtum animo ſecum cogitaſſet è purpuratis Anglicis nobilem aliquem & Originarium Civem, ad eum miſiſſet, non vero Gallum, qui poſtquam Rex ſe fugæ commiſit, non communicato cum Arauſionenſi aut Regni Proceribus conſilio, miſſionem cohortibus dedit, priuſquam Hibernicos armis ſpoliaverat; atque ita belluis immanibus quaſi poteſtatem fecit in Anglorum vitam & bona invadendi, propter delictum illud, ex quo turbæ ſtatim inſecutæ ſunt, & alia nobis adhuc incognita, Feverſhamiæ Comes in carcerem erat conjectus.

Perlectâ epiſtolâ quam Feverſhamiæ Comes quaſi Bellerophontes alter, Arauſionenſi tradidit optimates Anglici qui cœptorum ejus ſocii in publicum conſulebant, non diu deliberabant quid facto opus eſſet; id neutiquam illis tutum videbatur; ut, acceptâ Regis invitatione, Arauſionenſis *Baſilicæ* Sancti Jacobi ſemetipſum crederet, quamdiu Rex hoſpitio urbis uteretur. Non ignorabant quæ pericula capiti ejus imminerent ex illorum inſidiis, qui latera Regis in vicinia aſſidui circumſtabant. Cautionem providúmque metum viris prudentibus ſuggeſſit, præter communia & uſitata pericula, novum perfidiæ documentum, quod triduum ante contigerat. Decimo Octavo cal. Januarii * Graftoniæ Dux, Procerum mandatis obſequens Prætorianorum peditum cohortem, per Actam † Urbis duxit, ut illorum præſidio Caſtrum Tileburgenſe, tunc in manibus Hibernicorum, occuparet: Dum ille primori in acie verſabatur, Eques Hibernicus, non doli ſuſpectus, ſubditis equo calcaribus, impetum in illum facturus erat, & extemplo animam iſtam, quam paulo poſt animoſus juvenis in obſidione Corcagiæ fortiter patriæ profudit, perfidus ille Sclopo

* Decem. 14.

† *The Strand.*

 conclu-

concluſiſſet, ni milites interveniſſent quibus percuſſor & homicida ille nefarius, ſceleris pœnas dedit. Proceres Anglici *Vindeſorii* tunc ingenti Anglorum Liberatori Comitantes, tam recenti exemplo territi, & non Auriaci tantum, cujus in ſalute ſalus omnium conſiſtebat, verum & Regis etiam causa ſoliciti, veritique ne ille in aliquod fortè vitæ periculum conjiceretur ex adverſorum agminum vicinia & fortuito conflictu, auctores erant Arauſionenſi, ut pedeſtrem cohortem, Corporis ejus ſub Comitis Solmeſii auſpiciis Satellites fidiſſimos, Londinum quo ille, à Proceribus & primoribus Civium accerſitus, profecturus erat, confeſtim mitteret, & illorum præſidio ſtationes omnes circa Albam Aulam occuparet.

Eodem temporis veſtigio Arauſionenſis, Marchionem Halliſaxiæ, Comitem at nunc Ducem Salopiæ * & Dominum Delamerum viros amplitudine ſuâ digniſſimos ad Regem ablegavit, qui chartam ad eum detulerunt Arauſionenſis & omnium circa illum oprimatium, de eo quod Regi nunc, propter ſuam & Arauſionenſis ſalutem, facere expediret, ſententias complectentem. Prætorii Arauſionenſis milites propter anni tempeſtatem non ante horam decimam nocturno tempore Londinum pervenerunt, & poſtquam Albam Aulam perventum eſt, non mediocrem illis moram fecerunt Satellites Regii, qui de ſtationibus quas tunc peragebant, non niſi inviti ceſſerunt. Intempeſta ergo nox erat, priuſquam nobiles chartam Regi in manus tradere potuerunt; Tunc illi Domini middletoni, qui Regi ab epiſtolis erat, officio ad illud uti, in Regium cubiculum perducti, chartam ſibimet datam illi tradiderunt. Chartam nobilibus iſtis Arauſionenſis his verbis exaravit.

* *D. of* Shrovesbury.

" Obte-

" Obteſtamur Vos, Marchionem Hallifaxiæ, Salo-
" piæ Comitem, & Dominum Delamerum, ut Regi
" indicaretis, nos cenſere, ipſum & tranquilitati Ur-
" bis, & ſuæ ſaluti optime conſulturum, ſi Hamum
" * ſe conferre velit, ubi ſa
" tellites ejus omnem ab illo
" vim facile prohibere poſſint —

* Ham.

Ædes iſtæ, quarum hoſpitium monitu Procerum Arauſionenſis Regi commendavit, Duciſſæ Lauderdaliæ ſedes erant; domus ampliſſima eſt & venuſtiſſima, in loco amœniſſimo ſita, ad decimum ab Urbe lapidem, & regione iſtâ, quæ longius à mari diſtat: atque illud viri nobiles prudenter conſuluerunt, ſi Regi etenim domicilium propiùs mare deſignaſſent, tunc Anglis ſuſpicioni locum dediſſent, ſe illum ad fugam ſolicitaſſe.

Perlectâ Chartulâ iſtâ Rex Proceribus reſpondit, ſe Arauſionenſis & optimatium voluntati obſecuturum. Illi igitur comprecati ſunt, ut proximo mane profectionem adornaret, idque ut *Hamum* appeteret ante meridiem, ne Arauſionenſem Londinum petentem in itinere fortè obvium haberet. *At mihi*, inquiebat, *Rex ſtatutum erat, antequam nuncium veſtrum accepi, Dominum Godolphinum ad Arauſionenſem cras ablegare, & conſilium iſtud, quod cum animo meo ſtatuebam, Roffam nimirum proficiſcendi, cum eò communicare, iſtius etenim loci quam cujuſpiam alterius hoſpitio uti malim.* Reſponderunt viri nobiles ſe poſtulatum ejus cum Arauſionenſi communicare velle, nec dubitare, quin facili ſtatim obſequio voti illum compotem faceret. Illi juxtà ac polliciti ſunt, rem per internuncium Arauſionenſi ſtatim detulerunt, qui voluntati Regis confeſtim obſecundavit.

Illa igitur nocte Arraniæ Comite & nonnullis aliis in itineris ſocietatem aſſumptis, Graves-Endam primùm, dein Roffam proficiſcebatur.

Eadem die * Princeps Auriacus omnium ferme votis diu exoptatus, Urbem Londinum, ſedem Regum noſtrorum omnium, domicilium imperii, & lumen gentium tandem pervenit. Audito illius adventu mentibus Anglorum caligo relegatur, ac ſicut maris cœlíque temperiem turbines tempeſtatéſque commendant, ita ad augendæ novæ libertatis gratiam illos tumultus præceſſiſſe crederes. Haud facile eſt oratione apud peregrinos fidem obtenturâ, illius diei gaudium complecti, & lectori memorare, quam verè triumphali progreſſu, quam fauſtis acclamationibus, & ingenti mortalium gratulatione per urbem inceſſit. Ubicunque curſum direxit ibi omnis Civitas ad Principem excipiendum & ſpectandum Regni ſtatorem effuſa venit. A tergo etiam promiſcua multitudo illum proſecuta eſt, & in illius ſalutem collata omnium vota erant, quaſi non illius Civitatis duntaxat & gentis, ſed omnium quæ in Europa ſunt conditor eſſet ac liberator. Non omnium ita Ora in ſe verterat Severus Imperator, poſt exauctoratum ſine dimicatione ullâ interfectorem Pertinacis exercitum, *Quem Senatus populúſque univerſus laureati exceperunt, primum ſcilicet ex omnibus hominibus atque Imperatoribus, citra ſanguinem tanti effectorem operis.* † Non Romano Imperatori unquam Capitolium aſcendenti, major & lætior civium clamor occurrit. Nec cum victor Orbis Alexander Babylonem ingreſſus eſt ſpectaculum tam jucundum exhibuit, licèt Bagophanes floribus coroníſque totum iter conſtraverat, & argenteis altaribus utroque latere diſpoſitis, magi ſuo more patrium cecinerant carmen ‖. Si omnes omnium nolarum concentus, ſi tot Civi-

* Decem. 18.

† Herodian. lib. 2. ſect. 45.

‖ Q. Curt. lib. 5. pag. 719.

um —

um tripudantium Clamor, ſi tam ſpacioſæ Urbis loca omnia ignibus ac luminibus collucentia, non paria lætitiæ ſigna præ ſe tulerunt, at certè Civium animos uberius longe gaudium inceſſit, cum in iſtâ civitate libertatis vindicem conſpexerunt, in quâ paulò poſt ſe ſervitutem miſeram conſpecturos ſcirent. Et quamprimum Urbis hoſpitio uſus eſt, & Sancti Jacobi baſilicam magnus hoſpes implevit, talis circa eum Procerum & Optimatium conſalutantium facta eſt conglobatio, qualem vix poſt hominum memoriam Regum noſtrorum palatia viderunt. Et certè ſi nihil aliud, ingens iſta lætitia quâ magni Anglorum *liberatoris* conſpectus omnium animos perfudit, abundè teſtatur, Anglos per Jacobi Regis quadriennium, graviſſimos angores fuiſſe perpeſſos, & longe graviores extimuiſſe.

Sed ut hæc miſſa faciamus, Rex, quem Roffam è Londino profectum fuiſſe, ſuperius memoravimus, ibi commoratus eſt uſque ad decimum Calend. Januarii * quo tempore circa horam primam poſt mediam noctem ſe clam inde recepit, & non aliis itineris ſociis uſus, quam Radolpho Sheldono viro Jeſuitis addictiſſimo, & *Delabadio*, Dubrim † petiit, ibique conſcensâ nave, quam in id ipſum paratam habuit, in Galliarum tandem regnum, ſecundâ navigatione tranſvectus erat.

* Decem. 23.

† *Dover.*

Pridie ejus diei quâ Roffâ profugit propriâ manu chartam exaravit, diſceſſus ſui cauſam continentem.

Cum Rex, eo quem memoravimus modo, poſt oppreſſas leges, cruciatam religionem, & projectam Senatûs auctoritatem, cujâ interierat reipublicæ afflictæ & perditæ mederi, in fugam ſe conjeciſſet, feciſſet certe imprudenter (niſi ſine animo aut ſpe ali-

quâ revertendi adornaſſet fugam) ſi non aliquâ excuſatione prætexuiſſet culpam, atque iſtius odium & invidiam in alios inclinâſſet. Eo nomine, ut nimirum ſuorum ſibi benevolentiam conciliaret, ut ab illis fugæ impetraret veniam & culpam in alios transferret; de adempta *Feverſhamienſi* libertate, quod ipſe factum iri ſine dubio animitus exoptavit, & de intempeſtiva Arauſionenſis legatione, quæ caſu tantum accidit, querelas excitat. At hæc ſtultorum ludibria quis mentis compos ferre poteſt? Non ille vi aliqua aut neceſſitate coactus, ſed ſponte ſuâ animum ad fugam appulit; & ratio in promptu eſt, ſi domi apud ſuos commoratus fuiſſet, tum ſenatum convenire neceſſum haberet, ſine illius conventu etenim nulla querimonis civium remedia adhiberi poterant. At nihil animo æque averſabatur ac comitiorum tempus, etſi etenim ante Arauſionenſis Appulſum, Parlamentum ſeriò cogitare videbatur, id ex eo provenit, quòd exiſtimavit *inferioris domûs* delegatos, mutata prius unà cum immunitatum chartis municipiorum formâ & ſuffragiorum jure, plurimiſque, quorum inter ſecreta colloquia animos occultè tentaverat, partim pollicitationibus & blanditiis, partim minis interpoſitis in illius gratiam allectis, omnia ex illius arbitrio & libidine acturos. Quamprimum vero peregrina Claſſis Arauſionenſis copias in terram expoſuit, & favori civium velificatus Rex municipiis omnibus immunitatum chartas induſit, gnarus tum in eâ ſuffragiorum libertate Senatores in *Domum Communium* electos fore, qui libidinem ejus poſt utilitatem communem haberent; ratus eſt ſibi tùm Comitiis Parlamentariis ſuperſedendum fuiſſe. In eâ ſententiâ cum ſumma obſtinatione animi ad ultimum perſeveravit, ea penitus animo inſedit, & extremo tempore, cum ſpes nulla regni motus componendi niſi

ex

ex auctoritate Senatûs eluceret, maluit imperium abdicare, quam penes illos rerum controverſias permittere. Cum mentem Regis tam ſui Conſilii pertinacem, tam alienam à pacis conſiliis, in ultimo fortunarum ſuarum diſcrimine contemplemur, quid aliud nobis ratio ſtatim ſuggerit, quàm ipſum illorum omnium, quæ in Arauſionenſis *Declaratione* memorantur, ſibi conſcium fuiſſe, & elegiſſe potius inſignia majeſtatis abjicere, & pati voluntarium exilium, quam ut in tantâ audientium celebritate, in publicis regni comitiis, dies cognitioni indiceretur. At ſi illud nos augurium fallit, hoc certò ſcimus, Regem præſenſiſſe, ſi tumultus Regni Senatûs judicio componerentur, tum liberum illud & plane deſpoticum imperium, quod ingenti ſpe devoraverat ad ordinem redactum fore. Quapropter à Senatu abhorruit, cujus è decretis aliquam inanis gloriæ diminutionem paſſurus erat. Et quoniam Jeſuitæ ſuaſores ſceleris omnium, illum adhortati ſunt ut in Gallias fugam caperet, unde paulò pòſt triumphali pompâ domum rediret, & obtineret in ſuos uberiorem potentiam, & ſplendidioris imperii majeſtatem, quam votis unquam concepit; ideo monitis illorum paruit, atque ità, eo quo nos memoraturi ſumus modo, regno excidit, oſtendítque. *Quam brevibus pereunt ingentia fatis.* Claud.

CAP. IV.

Complectens ea quæ ad Imperii mutationem ſpectant.

QUod Tiberius olim Nero dixit, *Cuncta mortalium incerta, quantóque plus adeptus foret, tanto ſe magis in lubrico verſari* * novum ex rebus in Angliâ geſtis & in hoc capite à me recenſendis fidem obtinebit. Regis etenim potentiſſimi calamitatem memoraturus ſum, qui brevi & inglorio imperio perfunctus, cui, quemadmodum de Claudio Nerone dictum eſt, *Æternitatis perpetuæque famæ cupido erat, ſed inconſulta* †, qui non aliud ſibi ad gloriam ſtruebat iter, quam per legum ſubverſionem, populariúmque ſervitutem. Quapropter id minus mirandum eſt quod Anglia ſine bello ſit recepta, quod ſine certamine in ditionem Principis Auriaci pervenerit. Jus ille ſuum per nimiam ſævitiam & libidinem exercuit, & tandem irritæ ſpei feſſus, & pertæſus imperium quod ex ſuo arbitrio moderari non poterat, non alio conſilio exulatum abiit, quam ut in peregrinâ terrâ novam arriperet anſam, libertatem Populi Anglicani evertendi. Non ille ut quondam Sebba Rex Orientalium Saxonum *regno ſe abdicavit ut Chriſto vacaret* ‖, nec Mamerci Æmylii exemplum ſequens, aut verba uſurpans dixit, *Ut reiſſa ſciatis, Quirites, quam mihi diuturna non placent imperia, dictaturâ me abdico* *. Ille ſuadentibus Jeſuitis in Galliarum regnum trajecit, ita fore inquiebant,

* Tacit. annal. lib. 1. ſect. 72.

† Suet. Ner. Claud. Cæſar.

‖ *Camd.* Brit.

* Liv. lib. 4. ſect. 14.

bant, ut Parthorum more *fugiendo vinceret*,& tandem congratulatione ac favore ingenti civium domum reduceretur. Sæpe ego audivi inquiebat Minucius †, *Eum primum esse virum, qui ipse consulat quid in rem sit: Secundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenii esse.* Quemadmodum ista in Regem nostrum quadrent, facile lector persentiet, ille imprudens aspernatus est Procerum consilium qui rerum controversias ad Senatum rejiciendas monebant, nec Archiepiscopo Cantuariensi facilem aurem præbuit, qui in se recepit, ac sanctissime Regi, (Obligato in id suo ipsius capite) spospondit, ipsum nec vitæ nec coronæ periculum aditurum, si modo apud se in Ædibus Lambethianis permanere vellet, ipse consultius ratus est Jesuitarum parere consiliis, qui solum eum vertere cohortati sunt. Rectius fecissent Jesuitæ, si usurpatæ à Dionysio tyranno Vocis eum admonuissent: *Quâ pedibus tractum, non insidentem equo relinquere tyrannidem dixerit debere. Facile esse momento quo quis velit, cedere possessione magnæ fortunæ: facere & parare eam, difficile atque arduum esse*†. At mihi non videtur humano consilio ne mediocri quidem cœlestis numinis curâ, res illa perfecta. Quidni fateamur justitiam divinam tunc in terris adfuisse & nostris se admiscuisse negotiis, cum res potentissimi Regis illorum consiliis pessum irent, quibus consultoribus usus est ad leges regni & civium libertates evertendas. Quo pacto hoc contigit, nos in hoc capite mox tradituri sumus.

† Liv. lib. 22. sect. 29.

† Liv. lib. 24. sect. 22——

Quamprimum Princeps Auriacus Londinum pervenit, omnia omnium Ordinum officia quemadmodum superius memoravi, rerum Anglicarum Sospitatoris gratulationi semet obtulerunt. Ex Civium tunc

tunc conſalutatione facile erat conjectare, ipſum paulò pòſt *abdicatum* à Jacobo Rege imperium obtenturum: Erat enim in animis, erat in judiciis Anglorum, &, ſicut de Trajano dictum eſt, *Soli ferè omnium illi contigit ut Rex eſſet antequam crearetur.*

* Decem. 18.

Eadem die qua Londinum ingreſſus eſt *, Commune Civitatis concilium conventum egit, edictóque ſanxit, *Ut Senatores omnes cum illorum deputatis, & duobus è communis concilii aſſeſſoribus ex unaquaque tribu, Arauſionenſem adirent, & eò loci ac temporis quod ipſe præſtitueret, proſperum illi adventum in urbem gratularentur.* Eodem tempore illud Officii munus duobus *vicecomitibus*, & *lictorum Principi* injunctum erat, ut ab Arauſionenſi ſcitarentur, quodnam tempus maximè gratum & opportunum illi eſſet, quo civium conſalutationes & officia gratulabunda exciperet. Ille decimum tertium Cal. Februarii * illorum voluntariæ Urbanitati & Obſervantiæ indixit. Illa igitur die communis Londinenſium Concilii *Comitia tributa* in *Sancti Jacobi baſilicam* confluxerunt, & Georgius Trebeius Equeſtri loco gaudens, tunc *Prætor* || Londinenſis, nunc communium placitorum * *Juſticiarius Capitalis*, vir rectus temporibus dubiis, & Anglis eo nomine colendus, reliquorum nomine Orator Arauſionenſem his verbis compellavit.

† Jan. 20.

|| *Recorder.*

* *Common-Pleas.*

" Quod felix fauſtúmque ſit Celſitudini veſtræ! " Cum Prætor Urbanus, adversâ uſus valetudine, " domi retentus ſit & eâ de causâ ab hoc aditu ob- " ſequii prohibeatur; huc confluxerunt Senatores " omnes, & hujus civitatis, quæ caput regni eſt,

" *Commu-*

" *Communium Deputati ſelecti*, celſitudini veſtræ in
" felici hoc rerum articulo proſperum huc adven-
" tum gratulaturi. Cum nupera pericula animis
" complectamur, nobis ante oculos obverſatur lu-
" gubris tunc Eccleſiæ & reipublicæ ſtatus, quarum
" illa *religionis alienæ* impetu, hæc Cæſaris *Arbitrio*
" ad extremum pœne fatum pervenit; id virorum
" auſpiciis & arbitratu commiſſum eſt, qui ſacro-
" ſancta omnia legum noſtrarum præſidia, & (quod
" magis dolendum erat) νομοθέτην, ſive jus legiſla-
" tivum penitus ſuſtulerunt. In peſſimo igitur ca-
" ſu ad noviſſimum remedium deſcendimus. Non
" aliunde quam à Celſitudine veſtra fortunæ adver-
" ſæ auxilia petenda erant. Ex eâ natione es cu-
" jus amicitia omni tempeſtate grata nobis & pro-
" ſpera fuerit, ex eâ familia illuſtri, quæ ampliſſi-
" mis beneficiis humanum genus cumulaverit, &c.

" Cum ad ſuperiorem menſem oculorum aciem
" dirigamus, & celerem conſervationis noſtræ cur-
" ſum contemplemur, hæremus attoniti, & non
" ſine miraculo confitemur id fuiſſe geſtum. Cel-
" ſitudo veſtra cœleſtibus auſpiciis & voce popu'i
" ducta, omnia quæ mortalibus in pretio ſunt, no-
" bis in integrum reſtituit, religionem nimirum &
" leges noſtras, quarum beneficio vitâ, libertati-
" bus, fortuniſque noſtris incolumes fruimur, &
" ſine quibus mundus nihil aliud quam ſolitudo
" eſſet.

" At quibus Officiis ingens illud beneficium
" compenſabimus? Gratitudine nimirum exundant
" cogitationes noſtræ, & Celſitudo veſtra diutur-
" num rerum geſtarum monumentum, in bono-
" rum omnium pectoribus, precibus, elogiis con-
" ſtituit: nec ſera poſteritas prius detinet nominis
" veſtri famam celebrare, quam, reſoluto cœlorum
" cardine, menſura omnis temporum eſſe ceſſabit.

Ex

Ex eâ oratione, qui fuerint eâ tempeſtate reliquorum Anglorum affectus, facile eſt conjecturam facere; Omnes etenim qui religionem & leges regni ante Regis impotentem libidinem, & miſeram ſervitutem habebant, magni *Conſervatoris* benefacta, non minus gratè cogitationibus ſuis, quam Trebeius oratione iſtâ, complexi ſunt.

Arauſionenſis orationem iſtam, & officia gratulationémque civium comiter excepit, & ne parum dignus tantâ gratitudine videretur, publicis Anglorum utilitatibus ulterius invigilare cœpit. Primam curam exercitûs geſſit, Anglicos Jacobi Regis legionarios milites, & Scotos Hibernicóſque Auxiliarios in hiberna diſpoſuit: Arma omnia quæ ex repentinâ legionum exauctoratione amiſſa erant, militibus reſtitui, aut in armamentarium Regium invehi *edicto* juſſit.

* Decem. 21. Eadem die * Procerum Anglicorum concionem in Sancti Jacobi baſilicam vocavit. Illi ad numerum ſexaginta convenerunt, omnéſque, duobus tantum exceptis, robur ac fidelitatem ſuam, cum Arauſionenſi conſociarunt. Quo negotio peracto, his verbis illos compellavit.

Viri Nobiles,

" VEſtrum huc congreſſum efflagitavi, ut colloquia vobiſcum ſererem, & nos deliberaremus, quâ ratione id effectum dari poſſit, quod " in *declaratione* noſtrâ propoſitum eſt, nimirum " ut liberum Senatum conveniremus, cujus adminiculo reformata religio, *jura* & *libertates* regni, " in priſtinum ſtatum reſtituantur, atque eo poſita " ſint loco, ut in poſterum nihil ſit periculi, ne ab " inſidiatoribus evertantur.

Poſt

Poſt Arauſionenſis orationem ſtatim ſancitum eſt ut die inſequenti *Weſtmonaſterii* in Conventu Procerum diſceptatio ſuper ea re haberetur. Quoniam vero maximarum rerum momenta, & quæ magni erant conſilii tunc agebantur, cenſebant viri nobiles, juriſconſultos quoſdam aſciſcendos fuiſſe, quos ſui participarent conſilii, & quorum monitis ſe audientes præſtarent. Quinque igitur, juris publici, moris majorum, rei denique publicæ peritiſſimos accerſebant, Holtum, Polexfenum, Bradfordum, Atkinſonum, & Johannem Maynardum equeſtri loco nobilem, virum ferme nonagenarium & legum oraculum, qui cum ad Arauſionenſem venerabundus acceſſit poſt adventum ejus ipſi & populo Anglicano gratulaturus, quemadmodum ego audivi, apud eum dixit, *Se tribus juriſconſultorum ordinibus ſuperſtitem fuiſſe, & niſi*, inquiebat, *Celſitudo veſtra huc veniſſet nos in libertatem vindicatum, ipſis legibus ſupervixiſſem.*

Undecimo Calendarum Januarii * Arauſionenſis rogatu *Nobiles* Concilium Weſtmonaſterii peregerunt. Illi ante omnia conveniendi conſilia cum juriſconſultis communicarunt, & rogarunt viros rerum & conſuetudinum Anglicarum peritiſſimos ſententias ſuas, quid ipſis in eo rerum articulo expediret facere, ut rempublicam incolumem præſtarent. Reſponderunt *Sapientes* conveniendos eſſe *Ordines* regni, penes quos eſt, poſt Regis *abdicationem*, in ea orbitate regni, communi conſulere ſaluti, & regimen publicum ex reipublicæ tempeſtate formare. Interea temporis uſque dum talis utriuſque ſenaculi conventus celebraretur, monuerunt ut ſe in fidem & poteſtatem Arauſionenſis permitterent. Flexit optimatium animos ad id quod mox ſecutum eſt conſilium, *Prudentum* illud *reſponſum*.

* Decem. 22.

Octavo

Octavo Calendar. Januarii * cogente rerum neceſſitate, majorum gentium *nobilium* irerum concio vocata eſt. Tunc Primores Regni ſupplice u hunc libellum ſuis ſignatum Chirographis Arauſionenſi tradiderunt.

* Decem. 25.

" Nos Eccleſiæ Antiſtites & Proceres Regni in " his reipublicæ temporibus conventum hic cele- " brantes, Celſitudinem veſtram comprecamur, ut " rempublicam capeſſere & negotia omnia ad ci- " vilem politiam & militiam ſpectantia gerere dig- " nemini; ut tributum publicum in religionis, le- " gum, libertatum, & rei cujuſque familiaris inco- " lumitatem, pacíſque conſervationem erogare ve- " litis. Obteſtamur inſuper ut ſingulari ſtudio ad " iniquam fortunam, quâ Hibernia nunc utitur, " animum attendatis, atque omni operâ nitamini, " ut in veſtrâ manu ſit imminens regno iſti fatum " extremum antevenire: hæc omnia vos ſuſcipere " atque adminiſtrare obſecramus, uſque ad diem " Conventui ſtatutum, quem nos *Weſtmonaſterii* un- " decimo Calendar. Febru- " arii † celebrari volumus. " In eo, dubio procul habemus nos ea inituros con- " ſilia quibus res noſtræ à firmamento & ſanctione " legum eò ſtabilitatis perducantur, ut nunquam " in poſterum convelli poſſint.

† Jan. 22.

Eodem etiam tempore viri nobiles Arauſionenſem obſecrarunt ut miſſis Epiſtolis Autographis ‖, regni conventum indiceret: Ut undecimo Calendar. Februarii frequens omnium ordinum *Conventus* Weſtmonaſterii in ſenatu adeſſet.

‖ Sua ipſius manu ſubſcriptis.

Poſtero die * quam illa erant acta in Procerum concilio, longe frequentior *Optimatium* Cœtus, qui tamen

† Decem. 26.

tamen infra Primoris nobilitatis gradum erant, ad Arauſionenſem in *Sancti Jacobi baſilicam* confluxerunt Cauſa iſtius concurſus ſic ſe habuit. Ille ſtatim poſt ingreſſum in urbem, ut omnia amplo conſilio & imperio agere videretur, ad conſultandum ſecum in ea reipublicæ tempeſtate citavit. Quotquot ſenatorio munere ſub Carolo Secundo fungebantur, una cum Prætore Urbano patriciis civitatis * & quinquaginta ex communi Urbano concilio. Arauſionenſis rogatu centum & Sexaginta viri Senatorii unà cum reliquis ad illius colloquium evocatis, excepto tantum Prætore quem valetudinis excuſatio domi retinebat, ad illum concurrerunt. Illi de rerum ſtatu ab Arauſionenſi certiores facti, ejus monitu ſe Weſtmonaſterium in *Communium* Senaculum contulerunt, atque ut Senatûs ibi formam & imaginem repræſentarent, *Rogatorem Comitiorum* ſibi tunc adſciverunt dominum Powlium virum ſagacem & facundum. In primo ſtatim congreſſu geſta Procerum ſuis ſuffragiis unanimiter comprobantes iiſdem verbis rerum ſummam penes illum in iſtis reipublicæ temporibus permiſerunt. Ex hac igitur *Patrum regni* & *Plebeiorum* ſupplicatione, Arauſionenſis, tunc cum ad interregnum ventum eſſet, brevi & temporario decreto, quaſi *Populi Magiſter* creabatur, & in quantum illis poteſtas illud largiendi competebat, liberum obtinebat jus, *Dictatoris* ſimillimum, qui apud Romanos *ſine provocatione imperabat.* Accepto virorum Senatoriorum ſupplici libello, Arauſionenſis id illis quod Proceribus in Sancti Jacobi baſilica quinto calendarum Januarii †, reſpondit, " Se operam reipub-
" licæ navaturum, & in otio ac tranquillitate re-
" tenturum civitatem, uſque dum dies conventui
" præſtitutus appropinquaret, ad quem concilian-
" dum

* Aldermannis——

† Decem 28.

" dum ſe confeſtim dicit *reſcripta* emiſſurum; ſe " cenſum publicum erogaturum in iſta negotia quæ " maximè è re communi eſſe judicaverit; ſe Hiber- " niæ laboranti opem atque auxilia laturum; & " quemadmodum, inquiebat ille hoc iter ſuſcepi " ut religioni reformatæ, legibus & libertatibus " Angliæ ſubvenirem, ita pro incolumitate horum " omnium omnia vitæ diſcrimina ſemper animo lu- " benti aditurus ſum.

Suſceptâ republicâ & obligatâ in ejus tutelam optimatibus fide, Arauſionenſis in ejus curam ſe ſtatim accinxit, & quoniam vectigalia ſunt reipublicæ nervi ſine quibus nulla magnarum rerum molitio fieri poteſt, initio rerum * edictum in Vulgus miſit, quo omnibus, pro more veteri, injunxit tributi ſolutionem. Id factu neceſſarium erat, fluctuavit etenim tunc ancipiti animo populus, & parum tutum crediderunt in eo interregno publicanis tributum numerare, donec ab edicto Arauſionenſis fiduciam acciperent.

* Januar. 2.

Triduum poſt † Ut in Conventum aſciſcendi liberis omnium *Ingenuorum* ſuffragiis cooptarentur & ne equam terror militaris turbam concitaret, aut vim " electionibus faceret, alio edicto proclamavit, ut " Tribuni militum, aut alii exercitûs optimates legi- " ones aut turmas quibus præfuerunt, ubique è " municipiis, in quibus deputati in Senatum legen- " di erant, in alium locum amandarent, ibíque " eos continerent uſque dum abſoluta eſſet ele- " ctio.

‖ Jan. 5.

Eâ tempeſtate quotquot Anglici nominis erant miſeros animorum cruciatus in Hibernià ſenſerunt: Indigenæ etenim, Gens maximâ ex parte ferox & immanſueta, ad veterem rabiem & mores ferinos redierunt

redierunt. Illi non ante plurimorum memoriam‖ qui nunc in vivis ſunt, nullis injuriis laceſſiti, non claſſicum canentes, non præmiſſis in aciem ſignis infeſtis, aut ulla clarigatione factâ, paucis menſibus centum & quinquaginta Anglorum millia miſera clade peremerunt. Angli igitur infamiâ veterum Scelerum & recentibus nequitiis territi, frequentes ſe lembis exiguis & ſcaphis piſcatoriis credentes per aſperum mare & naufragiis infame in Angliam adultâ jam hyeme transfretarunt. Miſerorum quiritationibus ſubacti Primores Anglorum Arauſionenſem orabant, ut Genti periclitanti ſuccurreret. Ille Hiberniam cogitavit, at fatali quorundam fretus conſilio ab incepto iſto tunc deſtitit, atque eò magis quod Anglicis Jacobi Regis cohortibus confidere, nec ſatis tutum credidit, nec Batavos illuc tranſvehere donec plena rerum quies Anglià parta eſſet. De Scotiâ, quæ Britanniæ etiam Regi obtemperat in ordinem nunc redigendâ ſpem longe uberiorem concepit, cum illi non Hibernicorum more collecto undique Regni robore ad arma contra Arauſionenſem conclamarunt, verum ipſius in ditionem ſemet dediderunt. Ille optimates illorum omnes Londini tunc hoſpitio utentes ad ſe accerſivit, ut de communi Scotiæ ſalute cum illis conſultaret. Septimo Idus Januarii † illi ad numerum triginta Procerum, generoſorum octoginta, in ædes *Sancti Jacobi* ſe contulerunt, & tunc Arauſionenſis hanc apud illos orationculam habuit.

† Anno. 1641.

† Januar. 7.

Viri Nobiles & Generoſi,

" UNicum mihi ad hanc profectionem ſuſcipiendam illud incitamentum erat, quòd nimirum conſpexerim leges & libertates horum

" regnorum everſa, & religionem reformatam in " extremo verſari periculo; & quandoquidem tot " viri Primores hic commoramini, idcirco hanc ve- " ſtrî Concionem exoptavi, ut in medium conſu- " leremus, qua ratione, religionis columen, præſi- " dium legum & immunitatum, juxta ac nos in *De-* " *claratione* noſtra propoſuimus, facile conciliari " poſſint.

Auditâ Arauſionenſis Oratione, illi Albam Aulam in *Sanctioris Concilii Senaculum* * de iis rebus conſultatum iverunt. Ibi Hamiltoniæ Ducem, virum Grandævum, familiæ claritudine & rerum experientiâ primas inter illos facilè tenentem, *Concioni* Præſidem ſtatuerunt. Poſtridie eodem loci altera eorum congreſſio facta eſt. Ibi Arraniæ Comes Hamiltoniæ Ducis major natu filius, Regiis partibus devotiſſimus ſententiam ſuam ita tradidit. *Cenſeo*, inquit, *nos communi ſaluti non aliâ ratione melius conſulturos; quam ſi Principi Auriaco conſilium afferamus, ut Regem domum revocet, & auctor ſit illi ut comitia Parlamentaria peragat, quorum auctoritate religio & immunitates noſtræ juxta legum præſcriptum, in tuto adverſus omnia pericula collocentur.* Ea oratio Ducem & reliquos omnes anxios & infenſos habuit, Patricius Hume equeſtris familiæ inſignia geſtans, concionem interrogavit, num quis ſententiam iſtam propugnaret, & cum omnes cerneret ab iſtius patrocinio alienos, ſuam ita ſententiam aperuit, *Arraniæ Comitis judicium illud Arauſionenſis incœptis, Declarationi ejus, & conſiliis etiam adverſari, quibus religionem veri, leges & libertates reſtituere decrevit.* Huic orationi omnes ſtatim ſuffragati eſſent, niſi Præſes Concilii quod ſibi videretur dixiſſet, non opus fuiſſe in Arranienſis ſententiam verbis ulterius animadvertere quæ fruſtrà ex ſe cecidiſſet, quoniam nemo illi obſecundabat.

* *Council-Chamber*—

Die

Die insequenti, quæ erat quinta Iduum * Januarii, Sanctio ab illis lata erat, quam retulerunt in Album, & Arausionensi, per Hamiltoniæ Ducem reliquis omnibus coram stantibus, in manus tradiderunt. * Jan. 9.

" Nos, inquiunt, Nobiles & Generosi è Regno " Scotiæ, in extraordinario hoc rerum articulo, hic " in unum coacti, Celsitudini vestræ singulares gra- " tias agimus, quod glorioso hoc incepto laboranti " religioni, legibus & libertatibus regni nostri auxi- " lio adfuistis. Quo melius incepta vestra effectum " à vobis propositum sortiantur, enixe obtestamur, " ut rempublicam capessere, & rem civilem milita- " rémque administrare, expendere Regiam gazam, " propugnacula præsidiis occupare, atque omnia " facere digneremini, quæ paci stabiliendæ necessaria " videbuntur, usque ad proxima *Comitia*, quorum " Celebritatem pridie Iduum " * Martii fieri à Celsitudine * Martii 14. " vestra comprecamur.

Decimo nono Calendarum Februarii † Arausionensis Scotiæ Primores eodem loci convenit, & in frequenti illorum coronâ hanc orationem habuit. † Jan. 14.

Viri Nobiles & Generosi,

" VOluntati vestræ obsecuturus apud animum " meum statui, rerum vestrarum, usque ad " Comitiorum tempus, eam curam habere, quæ " necessaria visa fuerit ad comitia concilianda, ad " pacem tuendam, ad gazam Regiam in impensas " publicas erogandam, & ad complenda muni- " menta regni iis militibus, quorum fidei populares " salutem suam credere ausint; fidem insuper vo- " bis astringo, me lubenter assensurum iis omnibus,

" quæ ad rem religionis, legum & libertatum reg-
" ni conducere viſa fuerint.

Dum hæc ita geruntur pecuniæ publicæ cœperunt deficere & impares eſſe neceſſitatibus temporum. Gazam Regiam bellici Jacobi Regis apparatus pœne hauſerant, ita ut ipſe non ultra quadraginta librarum millia in ærario reliquerat. Pluribus vero nunc pecunia ingens numeranda erat, præter etenim terreſtrium copiarum reliquias, Claſſiarii Regis milites, & nautica omnis turba ſtipendia ſibi debita non ſine gravi quiritatione poſtularunt. Et plurimi nunc ſerendis diſcordiis intenti, occaſionem à tempore captantes claſſiarios ad ſeditionem concitare pro virili nitebantur, rumuſculos in vulgum ſpargebant ipſos ſtipendiis fraudatos fore. Arauſionenſis ut hujuſmodi querelis obviam iret, à civibus Londinenſibus centum & quinquaginta librarum millia mutuatus eſt. Quo facto decimo ſeptimo Calendar. Februarii * edicto vulgato, nomen publicè locavit, ſe nautis ſtipendia numeraturum.

* Jan. 16.

Interea temporis Ordinum delectus, è quibus generalis conventus componitur, liberis *plebeiorum* ſuffragiis ubique in provinciis & municipiis fiebat. Non nunc, quemadmodum antea, voces Civium minis aut pretio expreſſæ, viros, qui venalem habent patriam, in gradum Senatorium cooptaverunt. Nemo jam facundiâ vel divitiis pollens miſeros adeo cives pellexit, ut Regis ſtudio nimis flagrarent, & Deputatos eligerent per omne fas ac nefas in illius verba juraturos. Ut nulla optimatium factio, ita nec popularis inſania civium delectus turbavit, verum unicuique *ingenuitatis* & electionis jus integrum manſit; nec alia in diribitoriis cura aut ſolicitudo ſuffragantes tenuit, quam ut in Auguſtiſſima Comitia eligerent ipſa reipublicæ lumina, in quibus elucere

elucere præ aliis juſtitiam, pietatem, gravitatem, humanitatem, fidem, cernerent. Hanc inſuper electionem id facilem reddidit quod Rex intra paucos menſes, bis reſcripta emiſerat ad comitia conciliandа. Tunc etenim plebis *delegati* non ſententiis tantum ingenuorum erant comprobati, verum plurimis in locis etiam illorum calculis electi. Cum igitur poſt tam nuperam comperendinationem ad electionem nunc iterum ventum eſſet, nihil erat quod delectui moram faceret, verum facili negotio Senatores in comitia aſciſcebantur.

Dum Cives eo modo, orbitati Regni & publicis neceſſitatibus conſulturi, plebeios delegatos adoptant, venit tandem dies comitiis ſtatutus, quibus, maximis ordinum aſſenſionibus, latum illud judicium eſt, in Auriaci favorem & diminutionem Regis, in quo, ſi modo vehementibus Jeſuitarum maledictis, & temerariis aliorum linguis fides habeatur, inſtar eſſe omnium ſcelerum videbitur. Quo pacto hoc, & quibus de cauſis, variatis hominum ſententiis, poſt longam illarum rerum diſceptationem, quæ venerunt in judicium, tandem geſtum ſit, ſtatim palam lectori facturus ſum.

Undecimo Calendar. Febr. * Jan. 22.

* Conventus haberi cœptus eſt, eò Præſules Eccleſiæ, majorum Gentium nobiles, & *domûs inferioris* Senatores eadem celebritate confluxerunt, quâ prius in Comitia Parlamentaria, quibus in toto terrarum Orbe non aliud eſt venerabilius & auguſtius Concilium. Initio rerum omnium, more majorum, *Oratores* elegerunt, quorum munus eſt, Senatorum *rogationes*, ſive ſchedulas quæ in Parlamento exhibentur, verbis ornare, & proponere comitiis in utráque domo. In ſuperiori Senaculo Cancellarius, Principis Orator & interpres ſemper munere iſto fungitur; nunc vero, vacante

Cancellarii ſede, Marchio Hallifaxiæ, vir inter *Dynaſtas trabeatos*, rerum experientiâ, ingenii acumine, & ſingulari facundiâ ſpectandus, reliquorum conſenſu dignitatem iſtam obtinebat. In inferiori Senaculo Powlius, quem in frequenti Civium congreſſu *quæſtionibus* præfuiſſe ſuperius diximus, aſcitus erat in *Prolocutoris* Cathedram.

Factâ celebritate Conventûs, Arauſionenſis, cujus poteſtas nunc ad ſtatum Comitiorum tempus exolevit, literas ad *Purpuratorum* Comitia dedit, quæ mox in utroque ſenaculo perlectæ ſunt. In illis apud Senatum profitetur, "Se quantum in illo "nervorum fuit intendiſſe, ut illorum obſequeretur voluntati, atque ita procuraret Rempublicam, "ut pace & incolumitate frueretur; nihil ab eo, "quod ad communem ſalutem videbatur conducere, neglectum ab eâ tempeſtate fuiſſe, quâ rerum ſumma ipſi primum permiſſa erat. Nunc "vobis, inquit, id negotii datur, ut veſtrâ ope firmo in poſterum & ſtabili fundamento, religionis, "legum, & libertatum veſtrarum incolumitas nitatur. Nullus dubito quin in tam frequenti & "libero conventu conſilia omnia effectum sortientur, quæ in declaratione noſtrâ propoſita ſunt: "Et quoniam rerum humanarum *Rectoris* ductu "& auſpiciis omnia à me non ſine bona fide ſuſcepta feliciter hactenus ceſſerint, idcirco ſpem "in eo haud dubiam repono, ipſum ſua ipſius "conſilia ad exitum perducturum, atque eam mentem comitiis veſtris aſpiraturum, ut concordiâ "ſummâ, & unanimi veſtro omnium conſenſu, "res eam firmitatem obtineant, ut nunquam in "poſterum dirui poſſint. Pericula, quibus Angli "in Hibernia premuntur, magna à vobis & repentina auxilia efflagitant, & fortuna iſta, "quâ peregrinæ gentes in præſentia u-

☞ "tuntur,

" tuntur, facit, ut vos monerem, nihil, poſt inte-
" ſtina diſſidia, rebus noſtris æque periculoſum
" fore, ac nimiam in veſtris conſultationibus mo-
" ram. Confœderati Ordines, qui vires iſtas mihi
" ſuppeditarunt, quibus hanc gentem à ſervitute
" aſſerui, funeſtos iſthus moræ Eventus cito perſen-
" tient, cum hoc pacto & ſuarum cohortium ro-
" bore, hic in veſtris præſidiis ſtationem peragen-
" tium, diutius quam par eſt, carituri ſint, & tem-
" peſtivis etiam veſtris auxiliis, contra hoſtem po-
" tentiſſimum, qui bellum ipſis denunciavit. Et
" quemadmodum Anglia tenetur, virtute ſanctiſſi-
" marum neceſſitudinum, & fœderis cum illis per-
" cuſſi, Belgis laborantibus auxilia mittere, ita ſine
" dubio præclarum illud amicitiæ documentum,
" quod, non ſine inſigni rerum ſuarum periculo,
" in ſalute veſtrâ tuendâ exhibuerunt, iſtam apud
" vos benevolentiæ & ſubſidii gratiam reperiet,
" quam par eſt Anglos & Proteſtantes, ipſis re-
" ponere quandocunque res illorum id poſtula-
" turæ ſint.

Primo Comitiorum die Arauſionenſis epiſtolam iſtam ad Purpuratos ablegavit, illi cum inferioris Senaculi ordinibus, ſupplicem confeſtim libellum ad eum miſerunt. " In eo propter acceptum be-
" neficium immortales gratias illi retulerunt ſoli
" poſt Deum, ut aiunt, religionis & libertatum
" vindici. Grati etiam agnoverunt incredibilem
" diligentiam quam ad illud uſque tempus, in re-
" publicâ adminiſtrandâ adhibuit ipſius etiam Cel-
" ſitudinem obteſtati ſunt, ut Reipublicæ negotia
" omnia gereret tum ad rem Civilem & Militarem
" ſpectantia, ut ſumptum erogaret ex ærario in re-
" ligionis tutelam, in juris publici, legum, liber-
" tatum, & pacis conſervationem; ut ſingulari in-
" duſtria ſaluti Hiberniæ advigilaret, & venturum

" mox Regni iſtius fatum maturius anteveniret. " Hæc omnia, inquiunt, vos eouſque adminiſtrare " comprecamur, donec noſtrum conſilium vobis " ulterius notuerit, quod opportune nos, quem- " admodum res poſtulat, uti & reliqua omnia ſine " mora facturi ſumus, quæ Celſitudo veſtra à no- " bis fieri præcepit.

Per iſtam Sanctionem & Supplicem libellum, Arauſionenſis ampliori longe jure Dictaturam nunc quàm ante obtinebat. Ille accepti honoris & beneficii gratiam his verbis remiſit.

Viri Nobiles & Generoſi,

" GAudeo mihi ipſi quod incepta noſtra vobis " cordi ſint, & quoniam ita fert voluntas ve- " ſtra, ut rempublicam ulterius gererem, provin- " ciam iſtam lubens accipio. Non poſſum non fi- " dei veſtræ commendare rerum exterarum curam, " quarum mehercule ea eſt conditio, quæ vos ad- " monere debet, quam neceſſarium ſit, ut conſul- " tationes veſtras maturetis, idque non ſolum ut

☞ " incolumitati rerum veſtrarum, verum " ut OMNIS etiam EUROPÆ ſa- " luti à vobis proſpectum ſit.

Poſt Arauſionenſis orationem iſtam, *Comitia* regni ad neceſſitates publicas ſe ſtatim receperunt. Initio cœptorum omnium, à Deo & religione auſpicantes, jejunium indixerunt, propter Servatam ab Arauſionenſi religionem & libertatem in hac re vel Ethnici exemplo iis præiverunt, quibus moris erat *rerum agendarum initium à precationibus capere* *, vel ut Xenophontis præcepto utar πειρᾶσθαι μὲν θεοῖς ἀρχεσθαι παντὸς ἔργου.

* Plin. paneg.

Statim poſt * Procerum Sanctione ſtatutum eſt, *Nequis*

* Jan. 23

Perdu-

Perduellium, tempore Comitiorum in Pergulam, Cameram pictam, curiam Supplicum libellorum, aut Weſtmonaſterii Aulam pedem conferret. Non neſcii erant viri prudentes cauto tunc iſto opus fuiſſe, ne optimis Civibus communi ſaluti conſulentibus, inſidiæ à nefariis viris ſtruerentur. Poſt procœmia iſta quibus inſequentibus conſultationibus proluſerant, ardua regni negotia tractari cœpta ſunt. Inſignem nunc Controverſiam conſtituerunt, & ſummâ animorum Contentione. De reficiendâ Republicâ diſceptarunt. Non Senaculi parietes tantum lites continuerunt, verum ægri etiam Studiorum concertatione extrà curiæ Cancellos de *re Communi* Controverſia inſtituta eſt. Omnes etenim ferme qui ingenio præpollebant immiſcuere ſe *Cauſæ publicæ*, & prout quiſque aut Regis aut Reipublicæ partibus ſtudebat, ità miſſis clàm in lucem libellis congeſſerunt argumenta, & pro virili niſi ſunt influere in Senatorum animos, illóſque ad ſuarum partium, ſtudia flectere. Qui Regis cauſam fovebant, ſcriptis Londini editis (quo non alia Civitas magnorum ingeniorum feracior eſt) Auctores erant Senatui, ut, repudiatis eorum ſententiis qui abrogandum Cæſari imperium cenſebant, ipſum ad lares ſuos ſtatim poſtliminio revocarent. Id quidem juſtæ Civium iracundiæ indulſerunt, ut Regem ad Ordinem redigerent, & figerent arctas leges, quæ ipſum ita religarent, ut non amplius omnia à nutu & arbitrio ejus regerentur*. Contrà, omnes qui ſalutem populi ante Regis majeſtatem & effrœnatam libidinem habuerunt, monuerunt Senatum, nulla legum vincula ſatis valida fore quæ Regem in officio continerent.

* Vid. Epiſt. ad Senatorem in ſeptima Chartar. collect. pag. 19, 20. & Orat. nobil. viri extra Senat. in 9. Chart. collect. pag. 20, &c.

Suaſe-

Suaſerunt igitur, ut, abrogato ipſi imperio, cujus, à Conventis & pactionibus primùm, deinde à Regno recedendo, optimo jure jacturam feciſſet, alium in ejus locum ſufficerent. At hujus Conſilii Auctores diverſi animorum erant. Nonnulli etenim magnopere cenſebant poſt Regis abrogationem ſoli Arauſionenſi diadema & reipublicæ gubernaculum tradenda fuiſſe: Aliorum vero ea erat ſententia, ut Mariæ Principiſſæ, tori ejus conſorti, rerum ſumma committeretur, cui hæreditario jure nunc regnum obveniebat. Alii poſtea medium inter utrumque concilium dederunt, quorum ſententiam Senatus complectebatur. Omnes illi quorum favor in Arauſionenſem inclinavit, poſt abdicatum à Rege imperium aſſerebant *populo* ſummi Imperii jus omne & illorum ex dono ſceptrum Imperiale penes illum eſſe voluerunt. Mora eſſet, ſi ea omnia memorarem quæ viri docti, & hujus ſententiæ patroni, ea tempeſtate, ſcriptis tradiderunt. Diſſolutam fuiſſe politiam Anglicanam acriter contendebant, quòd duo politiæ membra quæ pertinent ad integritatem ipſius & formam eſſentialem penitus concidiſſent, *Rex* nimirum, & *Communium domus*, quorum ille non ſolum Regno ſe proripuit, verum *majeſtatis* etiam *inſignia* ſecum aſportavit, atque ita ſummum abdicavit Imperium, & per ceſſionem iſtam jus Regium diſſolvit. Quod ad *communium comitia* ſpectat, abſente inquiunt Rege conciliari nequeunt, ita nimirum ut forma politiæ Anglicanæ poſtulat quam ex tribus Ordinibus, *Rege*, *Proceribus Regni*, & *Communium domo* eſſentialiter componi neceſſe eſt *. At præter iſtam ſolutionem & orbitatem regni, quam fuga Regis fecerat, iidem inſuper auctores gravibus argumentis egerunt, Regem in omnia

* Vid. Epiſt. ad amicum in ſextâ chartar. collect. pag. 13. &c. Verbum ſapientibus dictam, ibid. pag. 21. propoſit. comitiis oblatæ, in octavâ collect. pag. 3.

omnia ſubditorum jura involantem, ipſo facto imperio excidiſſe, & propter iniquam iſtam adminiſtrationem regno fuiſſe mulctandum. Qui etenim edidit libellulum, qui *Verbum Sapientibus* dicitur, poſtquam lectori ſedulò inculcaſſet, legum ferendarum & abrogandarum poteſtatem, propter Civilem communitatem, penes *trinos Regni Ordines* eſſe, & *Regiam poteſtatem* in eo conſiſtere, ut adminiſtrando rempublicam & leges exequendo, conſuleret ſaluti civium, & illorum animos recrearet, quæſtionem tandem his verbis proponit: Si Rex, cui Regia poteſtas ut ſupra, commiſſa eſt, pacta & conventa primaria ſolverit; Senatus conſulta relaxaverit; curias non legitimas erexerit; collegia & municipia eruerit; involaverit in civium prædia & jura ſuffragiorum; portus & munimenta Regni in manus hoſtium tradiderit; *perduellibus* non ſolum delictorum gratiam fecerit, verum ipſos etiam honoribus cumulaverit; & poteſtatem iſtam quam civium tuendorum gratiâ obtinuerit, in excidium populi, legum & religionis ruinam uſurpaverit: Annon talis Rex, talia perpetrando, etſi non verbis tamen re ipſa palam apud ſuos profitetur, Se rempublicam non juxta legum Sanctionem, verum ſuum ipſius arbitrium adminiſtraturum? Atque alius anonymus Auctor qui *dedit Conſiltum conventui de publicis Rebus Ordinandis* his verbis animi ſenſum aperuit. Multis, inquit, Nominibus Rex apud cives ſuos Regni jacturam fecit: Barclaius etenim ipſe (etſi Regiæ poteſtatis propugnator acerrimus) in libro quem contra Monarchomacos ſcripſit*, fatetur *Regem ſi in alicujus clientelam ſe contulit & regnum quod liberum à majoribus accepit, alienæ ditioni mancipavit, ipſo facto ex Rege ſe non Regem facere, atque omni honore & dignitate Reguli atque in ſubditos poteſtate*

* Vid. Barcl. l. 3. cap. 16. locum non citat auctor hic.

poteſtate deſtitui. Grotius etiam dicit, *Si Rex partem habeat ſummi imperii, partem alteram populus aut Senatus, Regi in partem non ſuam invôlanti vis juſta opponi poterit, quia eatenus imperium non habet* *. At non opus eſt argumentis, inquit, quæ palam nobis faciant Regem noſtrum regnum ſuum ſub peregrinum jugum miſiſſe; impotentem ſibi ſupra legum omnium faſtigia dominatum uſurpaſſe; & in jus illud invaſiſſe, quod juxta politiæ formam civibus in ferendis legibus competit †. Argumentis iſtis atque aliis quamplurimis quæ tunc temporis lucem obtinuerunt, viri eruditione & ingenio pollentes ſenatoribus oſtendere & perſuadere conati ſunt, Regem per omnem libidinem rempublicam gerendo, & curam tandem regnandi animúmque abjiciendo imperium in ſubditos amiſiſſe. Maneat igitur quod aſſerunt Regem ea committere potuiſſe propter quæ ſe principatu exuit, atque ipſum à conventis recedentem & facientem contra quàm pactus eſt, pacta & conventa ſolvere, atque iſto vinculo ſoluto quod Regem cum populo continet, omne illud jus amitti quod ad ipſum pertinebat, qui pacta ſolvit. Reſtat nunc ut lectorem moneam quod judicium de ſupremo jure in ea orbitate Regni tulerint. *Si verum*, inquiunt, illud eſt quod inter legis axiomata à juriſperitis noſtris recenſetur, *Quod non eſt hæres viventis*, tum regnum non jure ſucceſſionis ad hæredem proximum deſcendit, verùm ad *Populum*, tanquam ad fontem è quo primo fluxerit, poteſtas omnis haud minus retrovertitur, quam ſi univerſi regium ſanguinem attingentes fato conceſſiſſent. Atque ſi res ita ſe habeat, ſi ſoluta ſit politia Civi-

lis,

* Vid. Grot. de jure belli & pacis, lib. 1. cap. 11. ſect. 13. non citat. ab hoc auctore.

† Vide verba auctor. in octavâ chârtar. collect. pag. 3.

lis, & Angli nunc in eundem naturæ ſtatum prolapſi ſint, quo principio rerum utebantur, antequam cœtus hominum jure ſociati eſſent, cum in tuguriis atque antris habitarent, ac ſine legibus, ſine certis ſedibus palantes vagarentur: Cuinam igitur, inquiunt, in hoc rerum articulo imperii ſummam committere par eſt? Utrum illi * qui Rempublicam eludere cogitatis ſuis furoribus contendit, qui omni tempeſtate gazam Regiam erogavit, & captatis omnibus occaſionibus pro virili conatus eſt, ut religionem, leges, & jura civium everteret? An illi † qui propriis ſumptibus, nec ſine extremo vitæ & fortunarum omnium periculo, rempublicam noſtram à noviſſimâ calamitate vendicaverit, cujus prudentia, vitæ integritas, fortitudo ſingularis, & rei militaris peritia, pariunt ſeculo decus, gaudium bonis omnibus, malis vero domi foriſque terrorem, & cujus vita populo cui præ eſt ſummum ſplendorem allatura ſit? Hujuſmodi argumentis & elogiis viri Arauſionenſi ſtudentes Comitiorum benevolentiam ipſi conciliare ſummâ ope nitebantur. Et plurimis ſane rationibus ſubacti illum imperio præficere ſtudebant, quarum iſtæ præcipuæ erant, *Ut libertatis vindici* tanto *munere* grates haud minores beneficiis referrent; Ut Ducem ſibimet adſciſcerent parem grandibus inceptis, quæ à bellicoſâ Anglorum gente, ſua ipſorum & Europæ ſalus externo mox in campo exigeret; Ut Donatio inſuper iſta *ab Ordinibus* Regni præter *jus ſucceſſionis* facta, hominibus documentum eſſet, quas partes ſibi Ordines Regni vendicent in collapſæ reipublicæ regimine conſtituendo. Alii contendebant non tam crebrî vero ſcriptorum concertatione, ſolam Mariam Auriacam Principiſſam Regio diademate ornari debuiſſe.

* Jacobo Regi.

† Arauſionenſi.

buiſſe. Hujus ſententiæ auctores id Arauſionenſis cultoribus concedebant, *Regem ſe Principatu exuiſſe*, popularem vero ambitionem averſati, & ſuperſtitiosè Regiæ familiæ addicti, mordicùs negabant in eo caſu concidiſſe politiam Civilem & rerum omnium arbitria penes nunc populum fuiſſe. Ita etenim luculentus ſcriptor, qui hujus cauſæ patrocinium ſuſcepit, animi ſui judicium aperit. Juris Anglicani, inquit, Axioma illud eſt, *Quod nullum ſit interregnum*. Fit igitur neceſſariò mutatio Perſonæ, continuatio vero regiminis. Atque hæc regula ejus momenti eſt, ut non temere ab illâ recedendum ſit. Propter Obſoletum illud dictum, *Quod non eſt hæres viventis*. Vis, inquit, à Rege immunitatibus Civium illata, & fuga cui ſe commiſit, nullâ prius adminiſtrationis publicæ curâ adhibitâ, pro *Ceſſione* ab imperio habenda ſunt, & Civili politicâque interpretatione perinde accipienda, ac ſi Rex mortem obiiſſet. Quoniam vero ea ejuſmodi *Ceſſio* eſt quæ neceſſario poſtulet, ut de eâ *judicium* feratur, ideo Ordinum Regni Conventum agi neceſſe eſt, ut illorum eâ ſuper re decretum habeatur. Quo facto imperium ſtatim ad Auriacam Principiſſam, proximam nimirum hæredem devolvitur *. Eadem tempeſtate tertia ſententia, media inter eas quas nunc memoravi, & utriuſque conſilii particeps typis mandata erat. Neſcio etenim quis anonymus ſcriptor auctor erat conventui, ut Arauſionenſem & tori ejus *Conſortem* in ſolium Regium ſimul aſciſcerent, poteſtatem vero legum exequendarum ſoli Arauſionenſi permitterent. Majeſtatem Imperialem ideo cum Principiſſâ participandum monuit, ne ſecus facientes juri hæreditario haud ſatis æque conſulere viderentur. At ſoli Arauſionenſi rerum habenas tradendas

* Vid. Conſilium in gratiam Auriacæ Principiſſæ datum in 7. collect. pag. 1.

dendas cenſuit, quoniam res Europæ & noſtræ etiam eo eſſent in ſtatu, ut alacri & ſtrenuâ adminiſtratione indigerent. Nemo etenim potis eſt recuperare res amiſſas, mox ruituras ab interitu vindicare, & emendare iſta quæ perperam admiſſa ſunt, niſi Princeps togæ & militiæ artibus inſtructiſſimus. Atqui non aliud, inquit, Comitia regni ſapientiæ ſuæ uberius documentum exhibere poſſunt, quam ſi Regis munia unius poteſtati permittant; inter duos etenim auctoritate pares haud raro contingit quod inter ſe diſſentiant, atque ita contraria jubeant, duorum vero imperatis morem gerere nemo poteſt. Marito, inquit, potius quam ſponſæ reipublicæ cura tradenda eſt, propter fœdus conjugiale, & quoniam natura, vitæ inſtitutio, & experientia rerum virilem ſexum magis idoneum formavit ad Imperatorias artes obeundas. At præter felicitatem & prærogativam Sexus, dignitas intaminata, Sapientia recondita, virtus ſingularis, & merita haud exæquanda Arauſionenſem commendant: Atque eo nomine, inquit, præ aliis omnibus gubernacula reipublicæ tractare meruit, quoniam naturâ propenſus eſt ad juſtitiam, ad miſericordiam, ad pacem; atque illius geſtit animus incepta omnia glorioſa publice auſpicari, quæ ad humanæ ſocietatis utilitatem ſpectare videantur *.

* Vid. rationes cur corona ambobus daretur, executio rerum ſoli Principi, in 9. collect. pag. 17, 18. 19.

Eæ erant ſententiæ, quas, Comitiorum tempore, viri eruditi, prout animum cujuſque aut rerum ſuarum reſpectus, aut publica ſalus, aut partium ſtudium inclinavit, pervulgârunt ſcriptis; ut lectores omnes, ſenatores vero præcipue in ſententias ſuas allicerent. Iſtas ego pluribus ideo verbis recitavi, ut lectorem diſceptationum omnium accuratius admonerem,

monerem, quæ tunc in conſtituendâ republicâ non tantum inter Sapientes non ſenatorios, verum etiam munere iſto in Senatu fungentes obortæ ſunt. Iiſdem etenim Sententiis & argumentis intra Senatus parietes res controverſa erat quæ viri eruditi ſcriptis ſuis pervulgarunt.

Plebis Deputati in inferiori Senaculo, *quæſtione* de ſtatu nunc regni habitâ ſummis Univerſi Ordinis aſſentionibus confeſtim hiſce verbis Sententiam ferebant, *Jacobum Regem, pacta & conventa mutua Regi cum civibus inita ſolvendo, civilem Regni politiam, quantùm id illum penes erat, ſolviſſe; ipſúmque Jeſuitarum & aliorum ſceleratorum voluntati obſequentem, leges fundamentales ſubvertentem & cedentem tandem regno imperium* ABDICASSE, *& ſolium eo facto nunc* VACUUM *relictum eſſe* *.

* Januar. 28. 1688.

Eodem tempore decreto ſancitum erat in *communium* etiam *conventu*, ut plebiſcitum illud ad Procerum ſenaculum poſtridie renunciarent, eo nimirum conſilio ut illorum calculo comprobatum vim legis obtineret. Illi non ſtatim in *Plebeiorum* ſententiam iverunt, verum altercationes eâ ſuper re ortæ *comitia* aliquantiſper diſtinebant. Selecti itaque oratores ex utroque ſenaculo rem in diſceptationem vocabant. Quibuſdam è Proceribus id in *plebis* iſto *ſcito* diſplicuit, quòd, Regem imperium ABDICASSE, atque *ſolium* ita VACUUM fuiſſe pronunciaſſent. Rogabant itaque PLEBEIOS, ut, mutatis vocabulis, à Rege DERELICTUM fuiſſe imperium non ABDICATUM aſſererent, quoniam vox iſta non erat *juri Anglicano* nota. Id ſi facerent, & deſinerent pro VACATIONE nunc ſeu *Orbitate* ſolii contendere, ſe decreto illorum ſuffragaturos dicebant. Haud *Proceres* quidem inficias ibant, Regem regno excidiſſe, & quantum ad ſuum ipſius jus ſpectabat,

ſpectabat, illud ABDICASSE; *ſolium* verò in eo caſu haud à Principe VACARE idcirco contendebant, ne ſecus facientes regnum HÆREDITARIUM in ELECTIVUM mutare, atque ita in proximam hæredem injurioſi eſſe viderentur. Illud Dynaſtis iſtis in votis erat ut derelictum à *Jacobo* Imperium ad *Mariam* Arauſionenſis Principem haud ſecùs deſcenderet quam ſi pater ejus fato conceſſiſſet. *Plebeii* vero latâ à ſe ſententiâ diſcedere noluerunt. Tandem itaque purpurati *plebiſcitum* illud ſuis ſuffragationibus ratum habuere *.

* Febr. 7.

Ex illo tempore, quo *Ordinum* aſſenſionibus declaratum erat *Regem ſe principatu exuiſſe*, ventum erat ad primævum iſtum naturæ ſtatum, quo rudes & inculti mortales uſi ſunt, priuſquam utilitas prima hominum conciliatrix, concilia cœtúſque virorum concordes congregavit. Quoniam igitur ſoluto regimine humana felicitas diu conſiſtere nequit, cura conſtituendæ iterum reipub ſenatorum animos proximè occupavit. Quidam è *Proceribus* reliquos monuerunt ut Jacobo ad ſuos penates iterum revocato, titulum nomenque Regis & omnia majeſtatis inſignia permitterent; *jura* vero *Majeſtatis* penes alium eſſent, quem *Regentem* vocarent, quique Regis nomine adminiſtraret rempub. donec Rex è medio excederet; quo tempore proximus hæres regno potiretur. At neque intermortuæ jam amicorum Orationes, neque ſuæ ipſius literæ ad *Sanctius concilium* † è Galliis miſſæ Regi profuere. Duæ inſigniores ſententiæ ſenatum diſtinebant, atque ſumma erat controverſiæ utrum *Arauſionenſem*, an *Mariam* tori ejus conſortem, regno præficerent. Dum in iſtis altercationibus diutius hæſerunt, nonnulli authores

† Vid. Epiſt. iſtam in 9. chartar. collect. pag. 11.

erant Senatui, ut, ad ista dissidia tollenda, utrumque in regni communionem asciscerent, rerum verò administratio penes Arausionensem esset, qui non solum Princeps erat libertatis nostræ defendendæ, verum animum etiam gessit parem bellis quæ paulo post ab illo foris erant gerenda. Sententia ista plurimorum assensu comprobata strepitum ferme omnem illico vicit. Atque eo tempore (sic Dei providentia tulit) Auriaca Princeps opportune atque optatò è Belgio venit. Post ejus adventum odia partium quievere, atque * *Ordines* regni privata studia publicis utilitatibus remittentes Senatusconsulto statuebant. " Ut Wilhel-
" mus & Maria, Princeps & Principissa Arausionis,
" in Regem & Reginam Angliæ, Franciæ, Hiberniæ,
" & locorum omnium ad illarum ditiones spectan-
" tium, adoptati sint, & coronâ Imperali Regiâ-
" que majestate durante illorum aut superstitis
" vitâ fruantur; ut quamdiu ipsi in vivis fuerint
" Arausionensis solus utriusque nomine Regiam
" omnem potestatem exequetur, postquam vero
" necessitati ultimæ concesserint, corona dignitás-
" que imperialis ad Auriacæ Principissæ hæredes,
" & si proles illi defuerit ad hæredes Annæ Cim-
" bricæ Principissæ, & si illa improlis fuerit, ad
" Arausionensis hæredes pertineat. Eodem in-
" super decreto comprecati sunt ut Princeps &
" Principissa lubentes regnum adirent.

* Febr. 12.

Hunc finem dominationis habuit Jacobus, brevi sane lætatus funesto imperio, & rempublicam, quam gloriosissimè administrare poterat, voluntariâ primum abdicatione, deinde immaturâ abrogatione finivit. Nulla prodigia eo anno antè vel postquàm hoc gestum est, in regno nunciata sunt. Non *solis* Orbis minui visus; non duæ interdiu lunæ

lunæ Ortæ ; non pugnantem cum lunâ ſolem ſimplices & ſuperſtitioſi mortales viderunt ; non Thameſinæ undæ ſanguine mixtæ fluxerunt ; non Regum monumenta ſudarunt ſanguinem ; non ſidereus Obeliſcus de cœlo tactus ; non boves, non infantes in utero matrum venturam Regi calamitatem prædixerunt. Omnia erant prodigiorum vacua, & natura priſtinum ordinem perinde retinuit, quaſi rerum humanarum *rector*, ex tranquillo iſto naturæ vultu id nobis voluiſſet noteſcere, nihil præter jus & æquum Regi noſtro contigiſſe, verum diminutionem iſtam planè fuiſſe cœptis ejus congruam. Jeſuitæ injuriam ab *Ordinibus* Regni Cæſari illatam verbis ubique exaggerant. Æqui vero rerum æſtimatores facinus illud viris ſapientibus, ſine dubio, condonandum exiſtimabunt. Quid fecerunt etenim ? quod piaculare crimen admiſerunt ? Otio nimirum Principem, quod ipſe quæſivit, reddiderunt ; neque illi quietis gloriam inviderunt, qui non aliis reipublicæ curis, quàm civium cruciatu, & ſubverſione legum ſe diſtringi patiebatur. Furores ejus, quos nullis legibus, nullis judiciis frœnare poterant, illius voluntati quaſi morem gerentes, decreto iſto à ſuis cervicibus repulerunt, & in omne ævum gravi documento ſanciverunt, ne quis unquam Rex opprimeret leges, populúmve opportunum tantæ injuriæ duceret. Qui tanti Principis calamitatem animo contemplabitur, videbit, Regem nullum, qui Civium benevolentiæ, qui pactis & conventis omnibus nuncium remiſit, quique homines liberos & fortes ſub jugum mittere conatur, in loco incolumi conſiſtere. Videbit quàm ſit varia vitæ commutabiliſque ratio, quam vaga & volubilis ſors rerum humanarum, &, quemadmodum Darius Alexandro retulit, ſentiet,

* Quint. Curt. lib. 4. *Nunquam diu eodem veſtigio ſtare fortunam* *. Atqui ſi Communis humanitas à nobis poſtulet ut aliorum vicem doleamus, ſi majoris illud officii ſit Regum infelicitate moveri, quibus ludibria fortunæ, propter claritatem generis & vitæ ſplendorem, majorem animi ægritudinem pariunt. At Regis noſtri infortunium æquo à nobis animo ferendum eſſe videtur. Vix etenim, poſt hominum memoriam, quiſquam è faſtigio Principum dejectus erat, cujus imperium plures magis infeſtum, fortunæ verò naufragium, pauciores boni magis dolendum habituri eſſent. Quis enim eſt qui non videat non noſtris tantùm civibus, verum exteris; etiam, juris, libertatis, rerum, fortunarúmque ſuarum ſalutem in illius diminutione conſiſtere? Quapropter Comitiorum ſuffragio iſti, quo tot gentium libertas & ſecuritas fundabatur, ſuperſtitioſi Regum ubique cultores ignoſcere debent, niſi carius penſiúſque illud humano generi exiſtiment, ut plures nationes miſerâ ſervitute premantur, quam ut mortalem unum impotentis animi libido, & iniqua ſpes fruſtraretur. *Neceſſitas durum* mehercule *telum* ordines Regni ad id patrandum impulit, non niſi inviti etenim & in ultimo fortunarum ſuarum periculo, imperium Regi abrogarunt, haud aliter quam frugi homines ſæpiſſime vaſa in mare conjiciunt, cum jam ſpondet interitum conſuſio fœda maris & fluctuum. Omnibus etenim perſpicuum eſt, ſalutaribus Jacobi rebus, noſtram omnium libertatem interituram, & venturam cito diem, quâ Galliarum Regis ditione nutuque maria, terræ pax, bella regerentur. Ille etenim ſubſidiis dominationis ſuæ uſus eſt Turcarum Imperatore, & Rege noſtro, cujus fides velut fataliter illi ſemper integra manſit.

manſit. At contra *Triumviros* iſtos pro Imperio & religione fortiter bella moventes, quæ ſociata aliorum virtus ſtare potuiſſet? Si *noſter* etenim Rex, & Gallus (quemadmodum ſuos apud animos ſtatuebant) poſtquam Cæſarem Germanicum & Turcam inter ſe commiſiſſent, conjunctis viribus terrâ marique in Belgium, velut altera Europæ clauſtra, impetum feciſſent, quid in eo caſu belli-coſiſſimæ *Provinciæ*, hoſtium Claſſi & copiis terreſtribus impares, niſi vinctas manus & capta traderent arma? Devictis ita Belgis, quæ fortuna belli Germaniam & Hiſpanias, addo etiam Italiam, cito verſaret, facile eſt abſque oraculorum monitu conjectare. Quo etiam in loco res noſtræ, poſt aliorum calamitatem, forent, adeo clarum eſt, ut, quemadmodum in proverbio dicitur, *vel cæco appareat*. Jucunda nimirum iſta libertas è Parlamenti auctoritate nata, quam nullum Europæ regnum præter Angliam & Poloniam, juxta *juris feudalis* conſtitutionem illibatam retinet, concideret ſtatim, atque ita neceſſe haberemus aut Regis noſtri furores omnes tolerare, aut Galli libidini obſequi. At Imperium à Jacobo derelictum Arauſionenſi tradendo noſmet atque alios ab iſtis periculis prohibuimus; & quoniam non alia ratio erat expediendæ noſtræ omnium ſalutis, idcirco patienter ab omnibus iſta diminutio Regis terri deber, ex quâ tanta felicitas generi humano eluxerit. Si multa Regis in patriam promerita extitiſſent, non illa tanti eſſe crederem ut illorum ergò, perpetuum nobis jugum imponi pateremur. Ego cum Memmio potius cenſeo, *Quod in Republicâ præſtat beneficii quam maleficii immemorem eſſe* *. Jacobi vero Regis benefacta in memoriam revocare, injurias obliviſci nemo poteſt, cum illa rara fuerint aut nulla,

* Saluſt. bell. Jugurth. p. 63.

la, hæ vero graves ac diuturnæ. Plurimi è peregrinis ſcio dictis meis fidem vix habituri ſunt, qui ab aliis didicerint multos in Angliâ eſſe, inter reformatæ religionis alumnos, quorum fides etiamnum pro Jacobo Rege integra maneat & invicta, quique in obſequium Arauſionenſis jurare recuſent. Nonnullos ita affici ut inficiari non poſſumus, ita ſummam illud nobis admirationem moveret, quempiam eſſe qui Jacobum nunc deſideret aut infortunio ejus tangatur, niſi animo iſta contemplans, *Neronis* fatum recordarer. *Ille*, teſte Suetonio, *Nullum adhibuit delectum, aut modum interimendi quoſcunque libuiſſet, quacunque de causâ. Cum ille multos jam Senatores necaſſet, multas ſignificationes nec dubias jecit, ne reliquis quidem parſurum Senatoribus, cúmque ordinem ſublaturum aliquando è republicâ. Religionum uſquequaque contemptor fuit, præter unius deæ Syræ, quam mox ita ſprevit, ut urinâ contaminaret.* Mors ejus *tantum gaudium publicè præbuit ut plebs pileata totâ urbe diſcurreret.* * *Et tamen*, inquit idem Suetonius, *non defuerunt qui per longum tempus veris æſtiviſque floribus tumulum ejus ornarent* *.

* Suet. Ner. Claud. Cæſ.

Simili fortunâ Jacobus utitur, etſi enim impotentem ejus dominatum, nemo ferre poterat, etſi diminutio ejus ſummam lætitiam *Genti Anglicanæ* fecerit, vicem tamen illius multi dolent, miſeriis ingemiſcunt. Ratio cur nonnulli in illum ita propendeant, ut non omnibus eadem eſt, ita non una à nobis afferri poteſt Plurimorum temporaria ſunt ingenia, & quod nunc in voluptatis aut beneficii loco numerant, paulo poſt infortunium ducunt. Quoſdam ita natura finxit, ut favor illorum ſemper in calamitoſos inclinet; alios vero, ut, quemadmodum de Catone dictum eſt, *Semper in potentes obliqui ſint*: Nonnullos nimius rerum ſuarum

rum reſpectus, & ſpes augendi peculium, aut honores adipiſcendi, quoſdam invidia atque odium inimicitiarum in alios, rerum novandarum ſtudio incendit. Præter communes iſtos animorum impetus, peculiares quædam rationes *infenſorum* voluntates retinent in priſtinis adhuc officiis, & à novi Regis obſequiis alienas reddunt. Plerique haud perinde Jacobum quam Caſum locúmque principatûs miſerantur; Ægrè illud ferunt (imprudenter vero & injuſtè) ſummum Imperium cuipiam *Senatûs* auctoritate deſignatum fuiſſe, & non potius hæredi proximo poſt *abdicatum* regnum hæreditario jure obveniſſe, & obſequium fidémque quod Arauſionenſi inviti, tori ejus *Conſorti* haud inviti præſtarent. Quidam conſciêntiâ inſtincti ſcelus id eſſe exiſtimant, vivo Jacobo, fidelitatem alteri ſpondere. Scrupulum iſtum, maximâ ex parte, illis injecerunt inconſiderati nonnulli, qui obſequium hominibus præcipientes, quod auctoritate ſacræ ſcripturæ Regibus aſſeritur, juris & æqui metam tranſgreſſi ſunt, & in Regem, animíque ejus libidinem deforme obſequium pro dogmate Eccleſiæ Anglicanæ venditarunt. Aliis quorum animi ad opes & honores turpiter nitebantur, ſpes unica è ſervitute Civium eluxit. De illis loquor, qui, multos per annos, non noſtrorum ſolummodo Regum verum, prorſus corrupti, in ſummis Galli obſequiis fuerint; à quibus, pro vili, hoſti acerrimo prodita Senatûs auctoritas, proditum imperium noſtrum, domi militiæque venalis reſpublica fuit. Ea eſt virorum turba qui *Jacobitæ* audiunt, quorum diſſenſionis cauſas præcipuas in eum finem memoravi ut lectorem monerem non ſingulari Civium benevolentiæ aut virtuti Regis tribuendum eſſe quod multi fortunæ ejus miſereantur. Reliqui Cives, quique ſoli ſunt iſto nomine digni propterea quod eum Regem

publicæ ſalutis gubernaculis admoveri exoptant qui natus Reipublicæ videtur, omnes Wilhelmum Regem ſummis dignantur obſequiis, cujâ unius operâ ſalvam eſſe rempublicam intelligunt. Et quamvis ſub illius imperio ingentem pecuniam, & majorem longe quam unquam poſt *Anglici* nominis memoriam, diutini teterrimique belli ſumptibus erogarunt, tantum tamen abeſt ut infortunium ſuum ſub novo Principe deplorent, ut contra ſibimet perpetuo gaudeant, aliis gratulentur, numinis optimi clementia *Rectorem*, ſibi tandem contigiſſe cujus in manu eſt gentem & clientelam ſuam tutari, ſociis periclitantibus ſuccurrere, priſtinum Anglorum decus foris militiæ quocunque pretio redimere, & fidelem ſtrenuámque operam ſociis navando, infamiam iſtam & labem diluere, quæ nobis poſteriori hoc ſeculo adhæſit, propter dubias & incertas ſocietates, & violatas fœderum ſanctiſſimas neceſſitudines. Tantum Regem, tam ſuis & aliorum temporibus opportunum, ſummo amore complectuntur, & hujus beneficii gratiam Deo immortali tribuendam putant. Illum ego divinitus nobis conceſſum ideo exiſtimo quòd in illo ſumma ſint omnia, quæ idonea tempori & levandis hominum calamitatibus neceſſaria videantur. Oportebat ſane & neceſſe erat, ut, qui furorem Galli caſtigaret, & à ſociis *Gentibus* vim prohiberet, qui libertates oppreſſas reſtitueret Angligenis, & collapſam undique rempublicam ad priſtinum decus revocaret, non ſolùm infenſus adverſaretur Galliarum Regis libidini, atque alios omnes proſequeretur ſumma benevolentiâ, verum etiam ut invictum animum gereret, atque imperatoriis omnibus virtutibus eſſet inſtructus; ut non ſolùm libere educaretur, & in republicâ ſervitutis impatienti, verum qui ſciret etiam moderari ſortunæ animóque ſuo, atque omnia gubernare prudentiâ.

dentiâ. Hæc vero omnia in Rege noſtro ſunt conſpicua, atque ita ille moratus eſt, ut noſtræ & publicæ Europæ neceſſitates poſtulant. Etſi etenim nemo magis benefica ſit voluntate, aut communis humanitatis minus expers, attamen (quod Deo & noſtræ omnium felicitati deberi fatendum eſt) in inimicitias in Gallum exercet quæ mihi videntur à natura inſitæ, aut quaſi à majoribus non ſine diris imperatæ, haud aliter quam Annibalem impuberem jurejurando ante aras pater Amilcar aſtrinxiſſe fertur, ut quam primum per ætatem liceret, arma contra Romanos ſumeret *. præterquam etiam quod ſimultates iſtas in Gallum fovet, quo nihil, rebus ſic ſtantibus, in Rege Britannico gloriofius eſſe poteſt, in illo etiam tam incredibilis ac pene divina animi magnitudo emicat, ut non modo eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed antiquitatis memoriam virtute æquiparaverit. Nihil eſt in uſu militari poſitum quod hujus ſcientiam fugere poſſit, nec alterius cujuſpiam major eſt labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo. Ille, quemadmodum de Trajano dictum eſt, *Imperator eſt titulis, & imaginibus, & ſignis: cæterum modeſtiâ, labore, vigilantia, Dux, & Legatus, & Miles* †. Atque non illud nos in præſenti ſolummodo bello didicimus, in quo gloriam Britanniæ ab interitu vindicavit, & noſtram caſtrorum diſciplinam, lapſam extinctámque reſovit depulſo hujus poſterioris ſeculi malo inertiâ luxuriâque, in quo toties ſe fortiter morti obtulit pro iis omnibus qui ad commune plurimarum gentium bellum ipſum Imperatorem depoposcerunt, verum ſingularis etiam virtus illius olim emicuit in bello maximo ab acerrimis hoſtibus perfide ſuſcepto, quod nimirum

* Sil. Ital. lib. 1——

† Plin. pan.

nimirum ſubito exarſit, atque ipſi Batavi prius audiverunt geri quam parari. In eo bello, in quo ultima reipublicæ fortuna illum exercuit, ineunte primâ juventute maximi exercitûs factus Imperator, ea geſſit, propter quæ Batavorum reſpublica non paucorum annorum gratulationem, ſed æternitatem immortalitatémque ipſi donatura ſit. Nemo illo ſcientior, nemo major, tunc cùm in adoleſcentiâ circa Rheni aut Moſæ fluenta copias in aciem eduxit. At Major ſeipſo apparuit, virtus etenim & fortuna ſimul enituerunt, quando Rhenum cum Boinio & Sinneno conjunxit; pluſque nos libertatis noſtræ non ſolum defenſori, ſed conſervatori etiam, quam Batavos reipublicæ *Statori*, debere fatemur. Laus illa, quam in Angliâ & Hiberniâ meruit propter excuſſa à miſerorum cervicibus ſervitutis vincula, tanta quidem eſt ut trophæis monumentiſque ejus nulla ætas finem ſit allatura. Nunc etenim Inſulæ noſtræ multis caſibus defunctæ & poſt damna renovatæ, mitiori imperio cuncta refoventi, ſub tutela manſuetudinis ejus acquieſcunt.

Perge in itinere iſto quo cœpiſti, Princeps optime, & quemadmodum collapſum undique & perturbatum Imperium noſtrum in bene moratam & liberam Civitatem tranſmutâſti, ita ad ultimum tibi curæ ſit populum fidei & tutelæ veſtræ Creditum in otio & tranquillitate retinere. Non te pridem propria ſed aliena cupiditas, alienus timor Regem fecit, nec te læta & proſpera ſtationis iſtius, ſed aſpera & dura ad capeſſendum regnum impulerunt. Sicut igitur diadema noſtrum ideo induiſti, & paludamento indutus, inſtructus militibus, ſubvenires laboranti Europæ, & exitium à *Turcâ*, à *Defenſore fidei*, à *Rege Chriſtianiſſimo*, religioni Chriſtianæ & fortunis noſtris imminens à nobis omnibus arceres; ita comprecamur ut inceptum illud ad felicem exi-

tum

tum perducas, ut Anglia priſtinam gloriam, æque ac libertatem per te recuperet. Cum nationes exteræ viderint, te non minus obſtinatè operam navare, ut ſocios noſtros à periculis & communi hoſte tuteris, quam alii ipſos perditum iverunt.

Vive memor, Princeps Auguſtiſſime, Regem benevolentiâ civium, potius quam armis, ſeptum eſſe debere. Reputa ſæpius cum animo veſtro, *nihil eſſe tam populare quam bonitatem* *, & *quod nihil ſit præſtabilius viro*; *quam periculis patriam liberare*: *beatos eſſe quibus ea res honori fuerit à ſuis civibus* †. De cætero, quâ flores apud populares tuos dignitate & gratiâ eam tibi perpetuam exopto: Faxit Deus ut illi intelligant bona ſua, & ſe dignos veſtro uſu præbeant atque identidem cogitent ſe obſequium Principi præſtare, non qui ſervitute, ſed qui libertate Civium lætatur ſemper in ſtudium veſtrî ſit voluntas illorum omnium propenſa, nec quod Tacitus ‖ ait, *Primum diem poſt malum Principem optimum eſſe*, apud nos fidem obtineat, verum quod temperamentum omnes in illo ſubito pietatis calore, poſt inaugurationem veſtram, ſervavimus, hoc ſinguli perpetuo teneamus. Grati ſemper recordemur quibus beneficiis nos & humanum genus cumulaveris; nec quiſpiam ſit tam rudis in republicâ, tam nihil unquam nec de ſuâ nec de communi ſalute cogitans, qui non intelligat veſtra ſalute contineri ſuam, & ex unius tui vitam pendere omnium. Hoc boni ſapienteſque omnes quoties ſecum dies noctesque meditantur, extimeſcunt graviter caſus humanos, ſævam nimirum iracundiam belli, incertos eventus valetudinis, naturæ communis fragilitatem, & quod ab hoſtibus tuis haud

* Cic. pro Q. Ligario.

† Cic. pro Milone.

‖ Tac. hiſt. lib. 4 ſect. 42.

parum

parum metuendum eſt, ſceleris & inſidiarum contentionem. Omnibus hiſce caſibus defungaris precor, nec te prius à nobis Deus abripiat, quam conſtitutâ & compoſitâ republicâ noſtrâ, frænatâ Galli tyrannide, & glorioſâ pace fœderatis gentibus redditâ, otio & tranquillitate diutinâ nobiſcum perfruaris. Tunc cum ſatis gloriæ tuæ, ſatis reipublicæ & amicorum utilitatibus vixeris, cumque naturam ipſam expleveris ſatietate vivendi, tandem in loco piorum animis deſignato placidè quieſcas! Quamprimum illud tibi humanitùs acciderit, tunc optima cujuſque Civis pietas incipiet Magni Conſervatoris jam defuncti memoriam venerari, & ingentis animi famam ac figuram complecti. Tunc quicquid ex Rege noſtro amavimus, quicquid mirati ſumus, manſurum eſt in animis hominum, in æternitate temporum, famâ rerum. Et cùm impotentes tyrannos, ſanguine & rapinis ſaginatos, velut inglorios & ignobiles oblivio obruet, aut mala fama perſequetur, tunc *liberatoris* noſtri virtus vigebit memoriâ ſeculorum omnium, celebrabitur non ſolum noſtris, ſed pœne omnium Gentium literis & linguis, atque ipſam poſteritas alet, æternitas ipſa intuebitur.

FINIS.